# INSTRUCTISSIMÆ BIBLIOTHECÆ MANUALIS CONCIONATORIÆ, TOMUS SECUNDUS.

*In quo*

## DE VITIIS ET PECCATIS,

*COPIOSA ET SELECTA PRO CONCIONIBUS, EXHORTATIONIBUS, aliisque ſpiritualibus Inſtructionibus materia,*

*NEMPE*

DEFINITIONES, DIVISIONES, SENTENTIÆ SS. SCRIPTURÆ, & SS. Patrum, Hiſtoriæ Sacræ & profanæ, Similitudines, Motiva, Media, Doctrinæ Aſceticæ, Conceptus prædicabiles, Miſcellanea, Axiomata, & Proverbia, & tandem Loca Authorum fuſiùs de tali materia tractantium, ex optimis quibusque Authoribus, ſingulari delectu & induſtriâ collecta, facilìque, ordinatâ, & gratâ Methodo digeſta proponuntur.

*Opus omnibus animarum Paſtoribus, nec non Divini Verbi Præconibus, & vitæ Aſceticæ Studioſis inprimis utile, & ad levandos Concionum labores accommodatum; cui præter alios Indices copioſus Index concionum pro Dominicis & Feſtis totius anni adjunctus eſt.*

Operâ ac Studio

## R. P. TOBIAE LOHNER,

SOC. JESU PRESBYTERI.

*Cum Grat. & Privil. Sac. Cæſ. Maieſt.*
*Et facultate Superiorum.*








DILINGÆ,

Typis, & Sumptibus JOANNIS CASPARI BENCARD, Bibliopolæ Acad.

Per JOANNEM FEDERLE.

ANNO M. DC. LXXXI.



# PRÆFATIO
## AD
# LECTOREM.

*Alteram tibi, Amice Lector, Bibliothecæ Manualis partem exhibeo, materiâ quidem, non tamen Methodo disparem priori. Copiosam illa tibi de Vitiis & Peccatis discurrendi & prædicandi materiam offert, non quidem omnibus, sed communioribus, id est, iis, quæ magis vigere solent inter Peccatores, quorum proinde Naturam, Actus, Effectus, & Media fusè, dilucidéque descripta hîc reperies. Quòd si verò interdum in Mediis, quæ communiter ab Ascetis præscribi solent, puta Novissimorum memoriâ, Sacramentorum frequentiori & religioso usu, & similibus brevior, quàm optabas, fuisse videbor, nôsse te volo, me materias eiusmodi ad tertiam Bibliothecæ Manualis partem reiecisse, in qua illas potissimùm materias tibi exhibebo, quæ neque in Virtutum, neque in Vitiorum censum venire queunt. Sed & de illis Vitiis, quæ minùs communia, ideóque in hac parte studio omissa sunt, non omnino tacebo, sed in quarta parte, arctiorem quidem, sed tamen pro extraordinario discursu aut concione sufficientem materiam suppeditaturum me polliceor. Fruere ergo & hoc labore meo, & materiam hanc de Vitiis & Peccatis sic percurre, & lege, ut & ipse salutarem eorundem horrorem concipias, & alios quoque per motiva hîc tibi proposita, ad simile odium, fugámque efficaciter persuadeas. Ita ex animo voveo, precórque.*




INDEX

# INDEX TITULORUM
## HUJUS TOMI.





BIBLIO-







# BIBLIOTHECAE MANUALIS CONCIONATORIÆ

## TITULUS I.

# ACEDIA.

## §. I.

### QUOAD ESSENTIAM.

*Definitio.*



*In Epist.* Cedia est Tœdium Spiritualis boni, quo quis negligit bona debita inchoare, aut cœpta perficere; ut S. Bernardus describit. S. Gregorius dicit eam esse languidam Dejectionem utriusque Hominis de virtutum laudabili Exercitio. Sed & alij SS. Patres per eam communiter intelligunt tædium in exercendis actionibus piis ad salutem necessariis.

*Divisio,*

Variè à variis dividitur. 1. Marchantius *In Horto Past.* juxta definitionem S. Bernardi suprà traditam assignat duas species, quarum prior est, quâ bona opera cum tœdio & tristitia aggredimur; posterior, inchoata bona ex tœdio intermittuntur. 2. Jacobus Alvarez in Mortalem & *l. 1. p. 2. c. 13. n. 2.* Venialem dividit, quarum prior Morti Spirituali comparatur, de qua S. Paulus dixit: Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & *Eph 5. v 14.* illuminabit te Christus. Et Siracides: Tabitudo, & mors imminet in Mandatis ejus. Po- *Eccl. 18. v. 7.* sterior somnus Spiritualis vocatur, de quo S. *Ps. 118. v. 28.* David locutus est: Dormitavit Anima mea præ tœdio.

*Actus.*

I. *In Exercitiis Spiritualibus remissè se gerere*; id est, meditari sine fructu: Orare sine devotione: Conscientiam suam cursim examinare: Legere, quæ delectent, non quæ moveant: In Confessione durum, in Communione lapidem & sine sensu existere: In Exhortationibus Spiritualibus sponte ad aliena di- *Num. 21. v 5.* strahi, ita ut eum Israëlitis dicat: Anima mea nauseat super cibo isto levissimo.

*l. 1. c. 19. §. 2.* II. *Nunquam se colligere*: Nam ut rectè Thomas Kempensis ait, si fortiter proponens sæpe deficit, quid ille, qui rarò aut minùs fixè aliquid proponit?



III. *Proposita sua assiduò mutare*: nam, ut *loc. cit. §. 3.* idem dixit, si pietatis causa, aut fraternæ utilitatis proposito quandoque consuetum omittitur Exercitium, facilè postea poterit recuperari. Si autem tœdio Animi, aut negligentiâ facilè relinquitur, satis culpabile est, & nocivum sentietur.

IV. *Otium & carnalia desideria sectari*: *S. Greg. l 3. Past. adh. 26.* nam, ut rectè S. Gregorius dixit, mens, quia se ad Superiora stringendo non dirigit, neglectam se inferiùs per desideria expandit. Et dum Studiorum Sublimium vigore non constringitur, cupiditatis infimæ fame Sauciatur, ut, quo se per disciplinam ligare dissimulat, eò se esuriens per voluptatum desideria spargat. Cui rectè per Salomonem dicitur: Propter *Prov. 20. v. 4.* frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei.

V. *Colloquia inutilia quærere & frequentare*: nam, ut iterum pius Ascéta ait, ideo *l. 1. c. 10.* tam libenter loquimur, quia per mutuas locutiones ab invicem consolari quærimus, & cor diversis cogitationibus fatigatum optamus relevare.

VI. *Ferventes, Homines aversari, & Patres Spirituales fugere*: de quo gradu sic lo- *S. Laur. Just. De disc. Monast. c. 13.* quitur S. Laurentius Justinianus: Instigante livore detractionibus linguæ habenas laxant (tepidi Fratres) & vitam Proximorum murmurationibus dilaniare non cessant, observant gressus, verba discutiunt, & mores illorum, quibus invident, semper dijudicant. Eorum derogant devotionibus, eorum virtutibus lacessuntur, eorumque bonis operibus affliguntur. Facilè & pro minimo adversus eos, qui æmulantur, turbantur, nec Spiritu livoris agitati suum valent cohibere vel dissimulare furorem. Non possunt pacificè loqui, sed mox, ut verba protulerint, fervere intrinsecus inchoant, forsque contumeliosa verba jaculantur. Bonum illorum malum dicunt, sed vel utinam malum bonum. Insanabilis prorsus istorum est languor; non enim placantur blanditiis, non mulcentur obsequiis, non rationibus acquiescunt. Quin potiùs, quemadmodum

A lignum

lignum accenditur additione lignorum, ita & horum passio augetur multiplicatione virtutum.

## §. II.

## EX S. SCRIPTURA.

*Qualitas.*

*Prov. 6. v. 6.* I. VAde ad Formicam, ô Piger & considera vias ejus, & disce Sapientiam: quæ cùm non habeat Ducem, nec Præceptorem, nec Principem, parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat.

II. Vult, & non vult piger: arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei.

*Prov. 13. v. 4.* III. Habeo adversum te pauca, quòd caritatem tuam primam dereliquisti. Memor esto itaque, unde excideris, & age Pœnitentiam, & prima opera fac.

*Eccles. 9. v. 10.* IV. Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec Sapientia, nec Scientia erunt apud Inferos, quò tu properas.

*Heb. 12. v. 12.* V. Propter quod remissas manus, & soluta genua erigite, & gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur.

*Damnum.*

*Prov. 21. v. 5. & 25.* VI. Omnis Piger in egestate est. Desideria occidunt Pigrum, noluit enim quidquam operari.

*Matth. 22. v. 13.* VII. Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores; ibi erit fletus & stridor dentium.

*Luc. 12. v. 47.* VIII. Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non se præparavit, & non fecit secundùm voluntatem ejus, vapulabit multis.

*Io. 15. v. 2.* IX. Omnem Palmitem in me non ferentem fructum tollent eum. Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut Palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittetur, & ardet.

*Prov. 10. v. 4.* X. Egestatem operata est manus remissa, manus autem fortium divitias parat.

*Prov. 15. v. 19.* XI. Iter pigrorum quasi sepes spinarum: via Justorum absque offendiculo.

*Ib. c. 24. v. 30.* XII. Per agrum Pigri Hominis transivi, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleverant Urticæ, & operuerant superficiem ejus Spinæ, & maceria lapidum destructa erat.

*Ibid. v. 32.* XIII. Usquequo Piger dormies? Usquequo de somno consurges? Parùm, inquam, dormies, modicum dormitabis, pauxillum, manus conseres, ut quiescas? & veniet tibi quasi Cursor egestas, & mendicitas, quasi vir armatus.

*Prov. 10. v. 5.* XIV. Qui congregat in messe, Filius sapiens est: qui autem stertit in æstate, Filius confusionis.

*Apoc. 3. v. 15.* XV. Utinam frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.

*Matth. 3. v. 10.* XVI. Jam securis ad radicem posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, exscindetur, & in ignem mittetur.

## §. III.

## EX SS. PATRIBUS

*Qualitas.*

*S. Bern. in Serm.* I. O Homo imprudens, millia millium ministrant ei, & decies centena millia assistunt ei, & tu sedere præsumis?

*Beda sup. Prov. lib. 2. c. 13.* II. Vult, & non vult piger. Pigri vocabulo denotatur, qui vult regnare cum DEO, & non laborare pro DEO. Delectant præmia, cùm pollicentur: deterrent certamina, cùm jubentur.

*S. Leo S. de apparit.* III. Non dormientibus provenit Regnum Cœlorum, nec otio & desidiâ torpentibus Beatitudo Æternitatis repromittitur.

*S. August. de conflictu vit. & virt. 9.* IV. Torpor & Ignavia dicunt, si lectioni continuato studio semper insistis, oculorum caliginem incurris: si indesinenter lacrymas fundis, ipsos etiam oculos amittis. Si protelatis Vigilus Psalmorum censum persolvis, insaniam capitis acquiris: si quondiano labore te conficis, ad opus Spirituale quando consurgis?

*S. Bern. S. 63.* V. Viro Sapienti sua vita Vinea est, sua mens, sua conscientia, nil quippe incultum desertùmve in se sapiens derelinquet; Stultus non ita. Cuncta apud eum neglecta invenies, cuncta jacentia, cuncta inculta & sordida. Ubi vitis virtutis? Ubi Botrus boni operis? Ubi vinum lætitiæ Spiritualis? Per agrum hominis pigri transivi, inquit, & per vineam Viri stulti, & ecce totum repleverant Urticæ, & operuerunt superficiem ejus spinæ, & maceria lapidum destructa erat.

*S. August. in Psalm. 69.* VI. Nemo dicat; Sufficit mihi, justus sum: Qui dixerit, remansit in via, non novit pervenire. Ubi dixerit, sufficit, ibi hæsit. Attende Apostolum, cui non sufficit. Fratres, inquit, ego me non arbitror apprehendisse. Ergo quid dicit: Qui se putat aliquid scire, nondum scit, quomodo oporteat eum scire. Unum autem, quæ retro sunt, oblitus, in ea, quæ ante sunt, extensus, secundùm intentionem sequor ad palmam Supernæ vocationis. Ille ergo currit, tu hæsisti? ille nondum dicit se perfectum, & tu jam de perfectione gloriaris? Confundantur, qui dicunt tibi: Euge, euge. Confundaris & tu inter illos, qui tibi dicis: Euge, Euge.

*S. Bern. S. 6 de Ascens.* VII. Invenire est homines pusillanimes & remissos deficientes sub onere, virgâ & calcaribus indigentes, quorum brevis & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conversatio, quorum obedientia sine devotione, sermo sine circumspectione, oratio sine cordis intentione lectio sine ædificatione; Quos denique, ut videmus, vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frenat ratio, vix disciplina coërcet. Non tibi horum uita Inferno penitus appropinquare videtur?

*S. Bern. tr. de Pass. Dom. c. 19.* VIII. Sunt nonnulli, qui bona quidem opera faciunt, vel coactione, vel necessitate, vel consuetudine, sed ad hæc agenda nullâ alacritate moventur. Quod vitium propriè Accedia dicitur, & hoc quidem vitio Religiosi homi-

Homines maximè affliguntur, nam seculares admodum pauci, etsi hoc sit vitium, non animadvertunt; mundo enim alligati Spirituales vitij vix possunt apprehendere nomen.

IX. Acedia est remissio Animæ, resolutio mentis, Pusillanimitas Exercitationis, odium Professionis, detractrix DEI quasi inviscerosi, & existentis sine benignitate Attonita in Psalmodia, infirma in oratione, in ministerio ferrea, in opere manuum pigra, in obedientia improba. *S. Climacus apud Marchant. tr. 7. lect. 1. Hort. Past.*

*Damna.*

X. Hoc frigus, si semel invaserit Animam, mox (ut in corpore solet evenire febricitantibus) subit quidam animi rigor, & vigor lentescit, languor fingitur virium, horror austeritatis intenditur, timor sollicitat paupertatis, contrahitur animus, subtrahitur gratia, protrahitur longitudo vitæ, sopitur ratio, Spiritus extinguitur, defervescit Novitius fervor, ingravescit tepor fastidiosus, refrigescit fraterna caritas, blanditur voluptas, fallit securitas, revocat consuetudo. Quid plura? Dissimulatur Lex, abdicatur Jus, fas proscribitur, derelinquitur timor Domini. Dantur postremò impudentiæ manus, præsumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpissimus, plenus ille ignominia & confusione, saltus de excelso in abyssum, de pavimento in Sterquilinium, de solio in cloacam, de cœlo in cœnum, de claustro in seculum, de Paradiso in Infernum. *S. Bern. S. 63. in Cant.*

XI. Neque existimandum est, cùm ruinæ alicuius cernuntur, tum incipere damnum; Sed quia comederunt alieni robur ejus, & ignoravit. Ob eam causam nos Spiritus S. admonet: In pigritiis humiliabitur contignatio, & infirmitate manuum perstillabit domus. *S. Bern. S. contra vit. ingrat.*

XII. Admonendi sunt, qui inchoata bona minimè consummant, ut tanta circumspectione considerent, quia, dum proposita non perficiunt, etiam, quæ fuerant cœpta, convellunt. Si enim, quod videtur gerendum, sollicita intentione non crescit, etiam, quod fuerat bene gestum decrescit. In hoc quippe Mundo Anima quasi more Navis est contra ictum fluminis condescentis, quæ uno loco nequaquam stare permittitur, quia ad ima relabitur, nisi ad summa conetur. Si ergo inchoata bona fortis operantis manus ad perfectionem non sublevat, ipsa operandi remissio contra hoc, quod operatum est, pugnat. Hinc enim est, quod per Salomonem dicitur: Qui mollis & dissolutus in opere suo fuerit, Frater est sua opera dissipantis. *S. Greg. 3. Past. l. 35.*

XIII. Radix desperationis est Ignavia, & non Solùm radix, sed & Nutrix ejus & Mater. Nam sicut vestimentum & tineam generat, & nutrit, ita Ignavia non solùm gignit ex se desperationem, sed alit, & fovet. *S. Chrys. l. de lapsu.*



XIV. Tristitia Animarum crudele tormentum est, & dolor inexplicabilis, & Judicium omni Judicio & vindicta deterius. Nam & vermi similis est venenato, non solùm carnem, sed & animam ipsam perimens: & tinea non solùm ad ossa, sed etiam ad corda pertingens: & perpetuus quidam Carnifex, non corpus dilanians, sed vires Animæ consumens. *S. Chrysost. epist. 7. ad Olymp.*

## §. IV.
## EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

I. O Tepor & negligentia Status nostri, quòd tam citò declinemus à pristino fervore, & jam tædet vivere præ lassitudine & tepore. Utinam in te penitus non dormitet Profectus Virtutum, qui multa sæpius exempla vidisti Devotorum. *l. 1. c. 18. §. 6.*

II. Quid fiet de nobis adhuc in fine, qui tepescimus tam manè? Væ nobis si sic volumus declinare ad Quietem, quasi jam Pax sit, & securitas, cùm necdum appareat vestigium veræ Sanctitatis in conversatione nostra. *l. 1. c. 22. §. 7.*

III. Quàm jucundum est & dulce, videre fervidos & devotos Fratres, bene Morigeratos & disciplinatos. Quàm triste est & grave, videre inordinatè ambulantes, qui ea, ad quæ vocati sunt, non exercent. *l. 1. c. 25. §. 5.*

IV. Religiosus fervidus omnia bene portat, & capit, quæ illi jubentur. Religiosus negligens & tepidus habet tribulationem super tribulationem, & ex omni parte patitur angustiam, quia interiori consolatione caret, & exteriorem capere prohibetur. *Ibid. §. 7.*

V. Si incipis tepescere, incipies malè habere. Si autem dederis te ad fervorem, invenies magnam pacem, & senties leviorem laborem propter DEI Gratiam, & Virtutis amorem. Homo fervidus & diligens ad omnia est paratus. Major labor est resistere vitiis & passionibus, quàm corporalibus insudare laboribus. Qui parvos non vitat defectus, paulatim labitur ad majores. *Ibid. § 11.*

## §. V.
## EXEMPLA EXTERNA:
### *Fuga Acediæ.*

I. CHristus tantopere hoc vitium & otium fugit, ut de seipso per Davidem diceret: Pauper sum ego, & in laboribus à Juventute mea. *Ps. 87. v. 16*

II. B. Virgo adhuc in templo existens à summo manè usque ad tertiam Orationi insistebat, & tum labori Manuali usque ad Nonam vacabat, sicque totam diem hac vicissitudine consumens, otium studiosissimè fugit. *Marulus l. 3. c. 9.*

III. D. Antonius cùm aliquando Animum illius tædium & cogitationum confusio invaderet, atque ideo à DEO auxilium peteret, vidit foras quendam tanquam seipsum sedentem & operantem, deinde *Spec. Ex. d. 2. ex 54.*

surgentem ab opere, & orantem, & iterum sedentem, plectámque de Palmis facientem, atque inde rursus ad Orationem surgentem, post quæ audivit vocem dicentem sibi: Sic fac, & salvus eris.

*Cassian. l.10.c.24.* IV. Abbas Paulus probatissimus Patrum quotidie certum ex collectis Palmarum foliis pensum à se exigebat; cúmque opere totius anni antrum fuisset impletum, nec vendere posset, id quod sollicita curâ laboraverat, singulis annis supposito igne concremabat.

*Pallad. c.10.* V. Abbas Pambo cùm esset moriturus, astantibus dixit: Ex quo veni in hunc locum nullus fuit dies, quo non operis aliquid fecerim manibus meis: nec memini me ab aliquo gratis panem datum comedisse.

*Damna Acediæ.*

*2.Reg.c.11.* VI. David, quia tempore, quo Solebant Reges ad bella procedere, domi remansit, & otio vacavit, in grave Adulterium & Homicidium incidit.

*3.Reg. c. 11.* VII. Salomon, quamdiu in ædificatione templi occupatus fuit, luxuriæ stimulos non sensit; hoc verò completo, otio vacans, femina instigante, defecit ad Idola, & vitulum aureum adoravit.

*Sur.1.Febr.* VIII. S. Birgitta Virginem quandam ad se invitatam a Spiritu Acediæ liberavit, dum ei Dœmonem horribili specie assidentem ostendit, &, cùm rogaretur, cur ad hanc Virginem accessisset? dicentem: Apud Virginem hanc demorandi spatium & opportunitatem ejus torpor & ignavia præstat.

*Salutius in Spec. p.1.c.17.* IX. Quidam Patrum cùm Dœmonem è Fratris cujusdam cella modò ingredientem, modò egredientem videret, & ex Fratre quæsisset, quid ageret, deprehendit, tum ingressum esse Dœmonem, quando Frater otiosus erat; & tum exiisse, quando occupatus erat.

*Sur.2.Maij* X. S. Antonius transiens prope domum quandam, Angelósque tecto insidentes videns, cùm intrâsset, Viduam cum tribus Filiabus, nudis pedibus, lacero vestitu colum trahentem vidit; Quibus cùm largam Stipem obtulisset, alio tempore propè eandem domum incedens Dœmones tecto insidentes vidit, iterúmque ingressus, &, quid à Vidua & Filiabus ageretur, percontatus, advertit eas depositâ Colu otio, & comendo Corpori vacare solitas.

## §. VI.

## EXEMPLA DOMESTICA.

*Fuga.*

*Tursel. l.3. c.16. vit.* I. S. Franciscus Xaverius sæpe dicebat, erubescere se & indignari, Mercatores vilium suarum Mercium vendendarum gratiâ tam maturè in Japoniam penetrâsse, se verò tam serò cum thesauris & divitiis cœlestibus eôdem pervenisse.

*Vita p.2. f.125.* II. Joannes Berchmannus ne quid temporis difflueret, perpetuò secum libellum aliquem sacrum aut studiis utilem habebat, eúmque si quo loco diutius commorandum erat, statim explicabat, legebátque.

*Annua 1650. Prov. Med.Coll. Taurinen. f.n.23.* III. Jo. Baptista Gentilis otium adeò exe-cratus est, ut non modò sibi imperatos labores peraccuratè compleret, sed alios etiam studiosissimè juvaret, ideóque pes & manus omnium diceretur. Et videbatur labore perpetuo perpetuam alere pietatem, & hanc adminiculum habere laboris.

*Annua 1612. f.54.* IV. Joannes de Mendoza licet honestissimis ortus Natalibus, Marthæ semen Ministerio adscribi voluit, in quo tam sedulum & laboriosum se exhibuit, ut etiam, cùm Phtisi debilitatus vix se sustentaret, labores continuaret, ne mors, ut dicere solebat, cessantem & imparatum occuparet.

## §. VII.

## EXEMPLA PROFANA.

*Diod. Sicul.* I. Ægyptij lege lata, mortis pœnâ animadvertebant in eos, qui Artem, quâ alerentur, exhibere non possent.

*Plutarch. in Solon.* II. Solon inter alias leges etiam hanc posuerat, ut Filius Patrem alere non teneretur, qui nullam Artem ipsum docuisset, aut doceri curâsset.

*Laërt.l.5. c.2.* III. Athenienses si quis de crimine quodam accusabatur, & desis etiam ac otiosus probabatur, non aliam ad alterum crimé probationem requirebant.

*Epist.8.* IV. Seneca de seipso scripsit: Nullus mihi per otium dies exit, partem noctium Studiis vendico. Non vaco somno, sed succumbo, & oculos vigiliâ fatigatos, cadentésque in opere detineo.

*Langius in Polyanth. f.636.* V. Brachmannæ Philosophi Pueros suos impransos foras extrudebant, si quando nihil utilis operæ: vel Parentibus, vel suis rebus necessarius dedissent.

*Textor.l.5. c.67.* VI. Wenceslaus Romanorum Imperator tam ignavus fuit; ut propter pigritiam, administrandi ab imperio dejectus sit.

## §. VIII.

## SIMILITUDINES.

*Pud. Christ c.7.p.1.§.8.* I. Sicut terra inculta aliud nihil, quàm spinas tribulósque ex se gignit, aut stagnans aqua bufones & serpentes; sic & hominis desidiosi animus nihil præter flagitia generat.

*Engelgrav. Dom. Sept. p.2.Luc. Evang.* II. Sicut Aves non nidificant in alis molarum, nec in illis desident, nisi dum à solito motu quiescunt; ita diabolus neque locum, neque quietem in illis repent, qui semper in motu & actione sunt; sed solùm in otiosis sedem figit.

*Prov. 26. v.14.* III. Sicut ostium vertitur in cardine suo (id est, aliis ingredientibus & egredientibus ad res suas agendas, cardinibus suis inhæret) ita piger in lectulo suo quiescit, dum alij ad labores surgunt.

*Cassianus l.10. de Inst. Monach.* IV. Sicut Febris quædam tempore præstituto ardentissimos calores & æstus ciet; ita Acedia certis temporibus, & tum maximè, quando orationi vacandum esset, infestat.

V. Sicut

S. Chrysost. L. de lapsu. V. Sicut vestimentum tineam generat & nutrit; ita Ignavia non solùm gignit ex se desperationem, sed alit & fovet.

Stapleton. them. 5. in Sept. VI. Sicut Pueri, dum in Casulis luteis componendis occupantur, & in Arundine equitant, occupatissimi sibi videntur, cùm tamen prudentum judicio meras nugas otiosè tractent; sic omnes hominum occupationes quæ ad DEI Gloriam, & nostram aut aliorum Salutem non tendunt, etsi seria & gravia negotia videantur, à DEO & Sanctis velut otium & nugæ ridentur.

Drexel. in Palæst. p. 3. c. 7. §. 1. VII. Sicut Homo contagiosus in nullum Domûs angulum admittitur; ita otium velut ipsissima Pestis ab omnibus vitæ nostræ horis proscribendum est.

S. Bern. S. de S. Andrea. VIII. Sicut per rimam Sentinæ aqua latenter intrat, & excrescit, donec Navis per Nautarum incuriam demergatur; ita ex otio ac Ignavia cogitationes pravæ & concupiscentiæ multiplicantur, donec Navis cordis eis fuccumbens in peccato pereclitetur.

S. Laurent. Justin. c. 3. de ligno Vitæ. IX. Sicut Aqua, quæ caret decursu, ac jacet in foveis, putrescit; ita & corpus otij tabe confectum concupiscentiarum ac voluptatum carnalium parit ac nutrit insaniam.

## §. IX.

## MOTIVA.

I. Quia DEO invisos nos reddit, nam Maledictus, qui facit opus DEI negligenter.

II. Quia Superioribus nostris graves & molestos efficit, sicut Equus assiduis stimulis ad incessum urgendus Equiti permolestus est.

III. Quia Proximis nostris odibiles nos facit, sicut Mendicos robustos videmus omnibus detestabiles, & Fucos Apibus exosos esse.

Epid. 6. IV. Quia Corporis sanitatem lædit; cùm juxta Hippocratem hæc duo sanitatem tueantur, cibis non satiari, & impigrum esse ad labores. Hinc Equi diu stando, aqua non labendo, ferrum non utendo corrumpitur: Agricolæ verò saniores plerumque sunt otiosis & delicatis Hominibus.

S. Chrys. Hom. 15. in Gen. V. Quia nocet vehementer Animæ; dum velut omnium malorum & vitiorum origo eam sceleribus replet, & in periculum salutis præcipitat.

VI. Quia sibi ipsi molestus est Acediosus Homo, teste S. Chrysostomo dicente: Grave malum est otium, facitque, ut facilia omnia videantur difficilia; sicut Studia & Vigilantia etiam ardua & difficilia, facilia nobis sunt.

Ps. 87. VII. Quia tentationibus Dœmonis exponit; cùm juxta antiquos Patres apud Cassianum, qui laborat, ab uno Dœmone, otiosus ab innumeris infestetur.

VIII. Quia Christus in laboribus à Juventute fuit; non decet ergo servum otio marcessere, quando ipse Dominus, & tantus quidem inter labores sudat.

Prov. 6. v. 6. IX. Quia Filij hujus sæculi tantoperelaborant, ut perituras & morituras divitias congregent; quantò magis pro lucro spirituali & æternùm duraturo laborandum erit?

X. Quia ipsa bruta nos ad laborem incitant exemplo suo, hinc Salomon ait: Vade, piger, ad Formicam, & considera vias ejus, & disce Sapientiam. Prov. 20. v. 4.

XI. Quia paupertatem adducit in temporalibus bonis; nam propter frigus Piger arare noluit, inquit idem Salomon, mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei.

XII. Quia exitium sempiternum affert: nam omnis Arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Matth. 3. v. 10.

## §. X.

## MEDIA.

I. *Christi Exemplum ob oculos semper habere*; Si enim Solatium est Miseris Socios habere; Si Equus præcurrentis Equi exemplo ad cursum animatur; Si sua vulnera sentit miles, qui Ducis vulnera intuetur; quomodo non animabitur ad laborem, qui tanti Ducis labores consideraț; hinc meritò Christus ad se invitat dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis (tœdio & difficultatis molestiâ) & ego reficiam vos (exemplo scilicet meo.

II. *Sanctorum exempla præclara frequenter ponderare*, sibique ipsi ignaviam illis olim S. Augustino dictis verbis exprobare: Potuerunt isti & istæ, & tu non poteris?

III. *Auxilium divinum implorare*; Sic enim S. Bernardus suasit dicens: Cùm te torpore, Acedia vel tœdio affici Sentis, noli propterea diffidere, aut desistere à Studio Spirituali, sed juvantis require manum, trahi te obsecrans Sponsæ Exemplo, donec denuo suscitante gratia factus promptior, alacriórque curras, & dicas: Viam Mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum. S. Bern. Serm. 21. Ps. 118. v. 32.

IV. *Amorem DEI ardentem procurare*: Nam, ut S. Bonaventura dixit, non potest frigere foris, qui intus calescit. Neque ignis & tepiditas in uno domicilio commorantur, teste S. Bernardo. Et ut S. Gregorius dixit, amor DEI nunquam est otiosus; operatur enim magna, si est: Si autem operari renuit, amor non est. In vita. S. Bern. Serm. 3. de Ascens. S. Gregor. in homil.

V. *Laborem amare*: nam, teste Cassiano, experimento probatum est, Acediæ vitium, non declinando fugiendum, sed resistendo superandum: Et nos ipsi si pes fortè obdormivit, eum frequenter movendo, torporem excutere molimur. Cassian. l. 10. de Instit. Monach. c. 25.

VI. *Severitatem judicij Divini studiosè perpendere*; sic enim horribilem illam tubam: Surgite mortui, & venite ad Judicium: cum S. Hieronymo frequenter in auribus resonantem audiemus, haud dubiè à Desidiæ somno excitabimur.

VII. *Vocationem & Salutem suam seriò amare* sic enim tepiditatem declinabimus, ne audire

*Apoc. 3. v. 16.* audire cogamur: Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.

### §. XI.

### ASCETICA.

I. Cùm Vitium hoc, si ullum aliud, iis potissimùm, qui Virtuti ac Perfectioni student, periculosum sit, mentò etiam Asceta in extirpationem illius totis viribus incumbere, &c, quoniam *Tepiditatis* potissimùm nomine apud Viros DEO sacratos exprimitur, tria de illa specialiter advertere debet.

II. Primò itaque bene apprehendat, quid sit Tepiditas ista, & quæ sint Indicia illius; nimirum quòd aliud nihil sit, quàm remissio Fervoris in prima conversatione concepti: nam, ut S. Bernardus sapienter advertit, tepescimus processu temporis à fervore conversationis nostræ: Paulatim refrigescit caritas, abundat iniquitas, ut consummemus carne, qui Spiritu cœperamus: inde enim est, ut minùs ea sciamus, quæ à DEO donata sunt nobis, indevoti pariter & ingrati. Timorem Domini relinquimus, Religiosam omittimus solitudinem, verbosi, curiosi, faceti etiam Detractores & Murmuratores, vacantes nugis, fugitantes labores disciplinæ, quoties sine nota id licet, quasi verò confestim sit etiam sine noxa. *S. Bern. S. 3. de Annunc.*

III. Secundò: bene quoque apprehendere debet gravitatem hujus morbi, ut ad ejus curationem suscipiendam tantò vehementiùs incitetur; Quam quidem gravitatem colligere potest ex eo, quòd juxta SS. Patres tanta sit potentia & vis hujus tepiditatis, ut, quem semel absorbuit, semper ferè retineat.

IV. Tertiò pertinet ad Ascetam, ut solidum & efficacem sciat modum curandi hunc morbum, qui quidem modus in sequentibus Industriis consistit. 1. Ante omnia conetur tollere radicem morbi, & quia plerumque hæc Tepiditas ex inordinato amore seu concupiscentia alicujus rei creatæ oritur, hanc efficaciter subtrahere studeat; alioqui enim frustra alia media adhibebit. 2. Medicorum more suaviora quædam illi remedia proponat, qualia sunt imprimis Oratio ad DEUM, uti suasit S. Augustinus dicens: Agnosce te in illa tentatione tœdij, cùm adest, & clama ad Dominum, ut de necessitatibus tuis etiam hîc liberet te. Et de hac tentatione liberatus cùm fueris, confiteantur illi miserationes ejus. Deinde suadeat illi, ut ipse quoque DEO cooperetur, & pro viribus resistat Acediæ, honestis occupationibus se onerando. 3. Si hæc nihil proficiant, severiora & magis amara remedia adhibeat, ostendendo ei, in quàm malo statu versetur, & quanto periculo, ne evomatur ex ore DEI, & Vocatione sua excidat. Jubeatur considerare, quid in vitæ termino de hoc suo vivendi modo sit sensurus, revocentúrque ei in memoriam illa S. Bernardi verba: Quis ille pavor erit, ô Anima mea, cùm dimissis omnibus, quorum tibi est tam jucunda præsentia, tam gratus aspectus, cohabitatio ipsa tam familiaris, sola ingrediens incognitam penitus regionem, occursantia tibi catervatim ruere teterrima illa monstra videbis? Quid tibi in die tantæ necessitatis occurret? Quis tuebitur à rugientibus præparatis ad escam? Quis consolabitur: Quis deducet? Imò moneatur, ut hanc suam miseriam ex aliorum tepidorum vita cognoscere studeat, sicut S. Gregorius suasit his verbis: Scribitur in Job: Considerate Semitas Theman, Austri, inquam, sive teporis, quia quæ in nobis minùs dijudicanda credimus, quàm sint turpia, in aliorum actibus cognoscimus. Sicque fit, ut ad semetipsum mens redeat, & agere, quod reprehendit, erubescat: Quasi enim à speculo fœda facies displicet, cùm mens à vita simili, in seipsa, quod aversetur, videt. Denique si Tepiditas hæc nimis actas radices fixisse videtur, imitetur exemplum illorum Medicorum, qui in simili Casu longiorem curam per acidulas vel alias Medicinas suadent, hortetúrque, ut in solitudinem Spiritualem secedens, Sacris Exercitationibus vacet, & tum ex Peccatorum suorum, novissimorúmque seria meditatione, tum ex vita ac Passione Christi considerata, aliísque piis exercitiis in hoc secessu obiri solitis ignem & fervorem caritatis in se accendat, quo tam noxiam tepiditatem fuget.

*S. August. In Ps. 106.*

*S. Bern. Serm. in 6. tribul.*

*S. Gregor. In cit. loc.*

### §. XII.

### CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. Ex occasione thematis: *Cùm autem dormirent Homines, venit Inimicus ejus, & superseminavit Zizania.* Ostendi possunt mali fructus Acediæ, & Zizania, quæ interea in mente Hominis velut agro seminantur à Diabolo. Videlicet. 1. Malitia seu detestatio bonorum Spiritualium. 2. Rancor seu indignatio erga Personas inducentes ad bona Spiritualia. 3. Torpor circa præcepta necessaria. 4. Pusillanimitas ab arduis consiliis. 5. Desperatio seu recessus ab ultimo fine. 6. Curiositas & evagatio ad objecta illicita. 7. Verbositas, dũ per collocutiones vanos solatium quæritur. 8. Instabilitas in locis & propositis mutandis. 9. Tristitia ex carentia veri solatij exorta. 10. Inquietudo mentis, dum ubique pacem & quietem quærit, & nusquam invenit. Excitentur proinde Auditores, ut somnum Acediæ excutientes vigilent, caveántque, ne Inimicus ejusmodi Zizania superseminans triticum bonorum operum suffocet, & perdat. Alios effectus Acediæ adducit, & fusiùs explicat Marchantius, nempe Teporem, Mollitiem, Somnolentiam, Otium, Dilationem, Tarditatem, Negligentiam, Inconstantiam, quas vide loc. cit. *Matth. 13. v. 25.* *Marchant. Hort. Past. tr. 7. lect. 4.*

II. Ex occasione thematis: *Domine Puer meus jacet Paralyticus in domo, & malè torquetur:* Potest Acedia Paralysi comparari. 1. Quia ut Paralysis omnibus propè membris sanitatem & virtutem movendi aufert, præcipuè verò Pedes à gressu, Manus ab opere, *Matth. v. 6.*

Corpus

Corpus à motu impedit. 2. Quia Acediosus ut Paralyticus ab aliis, semper moveri & portari debet, valdéque molestus est, DEO, SS. Angelis & Cælitibus, Superioribus, Æqualibus & Inferioribus. 3. Quia non minùs, quàm Paralysis est malum valdè diuturnum, & propè incurabile. Unde meritò vocandus Christus, ut curet. Vocabitur autem si frequenter vel ut liberalissimus Præmiator bonorum operum & laborum; vel ut severissimus Vindex Ignaviæ, aliorúmque Peccatorum consideretur; si enim de quovis verbo otioso tam rigidè ratione se exacturum dixit, quantò strictiorem de operibus non otiosis duntaxat, sed etiam tam graviter malitiosis exacturus est.

Matth. 20. v. 6. III. Ex occasione thematis: *Quid hic Statis tota die otiosi?* Dici potest, Christum, sicut variis horis otiosos invitavit ad vineam, ita indicare voluisse, varios esse Hominum status, qui Acediæ sunt subjecti. 1. Status est *Adolescentia*, quæ vel maximè fugere Acediam debet, & Formicæ more congregare, quod in seram ætatem conducere possit. 2. est *Juventutis*, quæ, sicut magis ob ætatis & corporis vigorem ad vitia inclinatur; ita magis quoque Acediam & otium velut omnium vitiorum radicem fugere debet.

Eccles. 12. v. 1. Hinc Salomon monet: Memento Creatoris tui in diebus Juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent. 3. est *Virilis*

Luc. 12. v. 48. *ætatis*: Qui, uti viribus maximè pollet (unde & nomen accepit) ita magis etiam labori vacare debet, quia, cui multùm datum est, multùm exigetur ab eo. 4. est *Provectioris ætatis*: cui sicut plerumque varia officia committuntur, ita major quoque incumbit obligatio laborandi pro Gloria Dei, & Subditorum bono; alioqui potentes potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior instat cruciatio. 5. est *Senis*, cui, sicut parùm restat temporis, ita vel maximè conari debet, ut optimè illud impendat, & ad rationem reddendam se præparet. Certè si axioma illud: *In fine velocior est motus*: alibi locum habet, in senio habere debet. Excitentur proinde hi omnes Status, ut Christum vocantem in vineam sequantur, & promisso denario Beatitudinis æternæ dignos se efficiant.

Luc. 7. v. 14. Eph. 5. v. 14. IV. Ex occasione thematis: *Adolescens, tibi dico surge*: Vel: *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis*: Dicere potest Concionator, se hodie Excitatoris munere functurum, & omnes qui somno Acediæ immersi sunt, illâ formulâ, quâ alicubi studiosi excitari solent: Nimirum *Bonus dies, Domini studiosi, surgite, tempus est*: excitaturum. Ostendat subinde per sententiam S. Bernardi supra §. 9. n. 9. cit. quale sit tempus. videlicet 1. *ad agendam Pœnitentiam*: juxta illud S.

Matth. 3. v. 2. Joannis Baptistæ monitum: Pœnitentiam agite; appropinquavit enim regnum cœlorum. 2. *Ad*

Eccles. 9. v. 10. *acquirendam Gratiam*: Juxta monitum Salomonis: Quodcunque potest facere manus tua instanter operare &c. & Christi: Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est:

Io. 9. v. 4. Venit nox, quando nemo potest operari. 3. *Ad gloriam promerendam*: Ostendatur proinde ejus magnitudo, & inferatur illud pij Ascetæ; Age, quod agis: fideliter labora in vinea mea, ego ero merces tua. Scribe, lege, canta, geme, tace, ora, sustine viriliter contraria; digna est his omnibus, & majoribus præliis vita æterna. l. 3. de Imit. c. 47.

V. Ex occasione thematis: *Per agrum pigri Hominis transivi, & ecce totum repleverant Urticæ, & operuerant superficiem ejus spinæ*: Dici potest, Diabolum, ut Homines in suam potestatem redigat, & in ea retineat, varias munitiones erigere, uti per singula vitia Capitalia ostendi potest; unam autem erexisse in medio Agri; hanc intra terram habere cavernas pro militibus eam propugnantibus, undique cinctam esse spinis, ædificatum in eo templum Priapo, cui Asinus Pigrorum Symbolum offerri consuevit, propugnari autem à quatuor cohortibus seu speciebus nimirum ab Adolescentibus voluptati deditis: à Negotiatoribus lucro augendo, & divitiis cumulandis intentis: à tepidis Clericis & Religiosis, & à desperatis Peccatoribus; hæ enim hominum classes potissimum Acediæ sunt subjectæ. Explicentur postea singulæ hujus propugnaculi partes, dicatúrque 1. in agro extructum, quia inter optimas metendi occasiones committitur hæc Acedia. 2 In terra habere cavernas, quia homines Acediosi plerumque non sunt terrenis cupiditatibus immersi, ut qui cœlestibus deliciis careant. 3. Spinis cinctam esse, ut, actionibus infructuosis, & quotquot eos tangunt; maximè autem ipsos Authores pūgentibus, eorúmque conscientiā vellicantibus. 4. Templum Priapo ædificatum, quia tales seipsos eidem tanquam pigrum Asinum immolant, & pro Deo ipsum venerantur. 5. Propugnari à dictis quatuor hominū Generibus, quia cùm in iis præcipuè inveterata sit Acedia, meritò illi quoque eandem præ aliis propugnare dicuntur. Ostendatur dein, quomodo hoc Propugnaculum expugnari debeat, scilicet Ignem fervoris applicando spinis, quibus cinctum est; hunc autem ignem de cœlo petendum, considerando præmij magnitudinem, quod fervori huic promissum est. Prov. 24. v. 30.

VI. Ex occasione thematis: *Vade Piger ad Formicam, & disce Sapientiam*: Ostendi potest quomodo Acediosi sedulitatem à Formicis discere debeant. 1. Ut, sicut Formicæ, sunt providæ de futuro tempore, ita & ipsi non ad præsentem duntaxat brevissimam vitam, sed etiam futuram oculos conjiciant, sibique pro ea maturè & copiosè provideant. 2. Ut, sicut Formica nunquam est otiosa, sed onera etiam majora, quàm ipsa sit, portat; ita etiam Acediosi seipsos vincant, & semper utili labore, licet importabilis videatur, se occupent. 3. Ut, sicut Formica suos labores & grana sollicitè conservat, detruncando, ne germinent: tempore pluviæ abscondendo, ne malefacta putrefiant: tempore sereno ea soli exponendo; ita & ipsi operasua bona pari sollicitudine custodiant, eáque tum à pluvia vanæ gloriæ defendant; tum soli Justitiæ per legitimam intentionem exponent. 4. Ut, sicut Formica tam constans est in labore, ut etiam in silice vestigia relinquat; ita & ipsi perse-

perseverent in laboribus usque ad finem, ut salutem consequantur. 5. Ut, sicut Formica una alteri sua grana communicat, ita & ipsi sua bona ex caritate aliis libenter largiantur.

*Eccl.33. v.29.* VII. Ex occasione thematis: *Omnem Malitiam docuit otiositas:* Ostendatur, quomodo verè pigritia & otium omnia peccata doceat, discurrendo per reliqua sex peccata Capitalia, & demonstrando, quomodo 1. Superbiam doceat, dum Pigri meliores se aliis æstimant, sibique ab aliis serviri cupiunt. 2. Avaritiam, dum hoc ipso, quòd laborando propria bona acquirere nolint, aliena appetant. 3. Invidiam, dum de aliorum prosperitate laboribus suis parta tristantur. 4. Gulam, dum Spiritualibus carentes solatiis, carnalibus inhiant voluptatibus, & tempus edendo & bibendo fallere conantur. 5. Luxuriam, dum caro fit Equus otiosus & bene pastus, lascivire incipit. 6. Iram, *Matth. 12. v.45.* dum graviter succensent, & indignantur illis, qui ipsos ad laborem & saniora consilia incitare moliuntur, ut verè impleatur in illis, quod olim Christus de immundo Spiritu dixit, quòd scilicet inveniens domum vacantem assumat secum septem alios Spiritus nequiores se.

§. XII.

## MISCELLANEA.

### *Fuga Acediæ.*

*Hieronb. doctr. ascet. l.c.29.* I. Cùm quædam Virgo aliquando peteret, quid DEO gratissimum in quadragesima facere posset, & quomodo illud tempus sanctè transigere deberet, contigit, ut, dum templum adit, eidem jam appropinquans, in Ecstasin rapta immobilis staret, videretque clarissimum lucis globum ex Ecclesia prodire, directùmq; ad eam, medium scindi, luminosis ad ejus cor radiis conjectis: tam subitò eo ipso in templi angulo, quo solebat præcari, elatam se cerneret, totúmque illud jubar in SS. Sacramentum, *Salvatoris* quod patens aderat, reciperetur, simúlque vocé Salvatoris illa audiret clarissimè dicenté: Totus labor tibi, tota Utilitas proximo, tota Gloria mihi. *Spec. Ex. d. 1. ex. 142.* Contigit hoc autem in domo Professa Poletana.

II. Abbas Silvanus, cùm quidam Frater alios operantes videret, & diceret seni: Nolite operari cibum, qui perit, Maria optimam partem elegit: Illum cum aliis Fratribus neque ad mensam vocavit, causámque rogatus ab eo dixit: Tu Spiritualis es homo, & non indiges corporeo cibo. Cùm ergo ille errorem suum agnosceret, dixit et iterum senex: Puto, opus habet omnino Maria Marthâ, per Martham *Drexell. in Rhetor. l.1.c.4 §.2.* enim Maria laudatur.

III. Veteri Apologo fertur Rusticus cum curru & Bobus in luto altiùs hæsisse. Ubi cùm gemeret, & Herculis opem implorarét, adfuit Hercules, & hominem increpans dixit: Abi, manus admove, boves urge, currum promove: ita Dij aderunt vocati, & juvabunt: pigros *In prato spir.c.130.* non juvant.

IV. Joannes Moschus refert, quòd Abbas Athanasius audierit Choros laudantium Deum, cúmq; ipse etiam vellet ad eos ingredi, audierit: Nemo huc ingreditur negligens: abite, certate, contemnite vanitatem seculi. *Faber. con. 2 in Sept. n.1.*

V. Alexander Magnus dicere solebat: Regiū est laborare: Servile est otio & luxui vacare. *Ibid.*

VI. Alphonsus Rex reprehensus ab aliquo, quòd manibus laboraret, dixit: Numquid Deus & Natura Regibus frustra manus dedêre? Idem de quovis Homine dici potest. *Ibid.n.2.*

VII. Septuaginta Interpretes ad Sententiā illam Salomonis Prov.6. Vade ad Formicam, ô piger &c. etiam hanc addunt: Vade ad Apem, & disce, quomodo operaria est: Operationem quoque quàm venerabilem facit. *S.Hier in c.6. Galat.*

VIII Titus Vespasianus Filius cùm quâdam nocte recordaretur in cœna, se nihil boni eâ die fecisse, ad Amicos conversus dixit: Hodie diem perdidi. *In epist. ad Pollionem.*

IX. M. Aurelius Imperator dicere solebat, solam illam Religionem felicem meritò dicendā esse, ubi singuli proprio labore fruuntur, & nemo de labore ac sudore alieno vivit. *Polyanth. v. Labor. f.634.*

X. Demetrius interrogatus, quomodo otiosi à laboriosis differrent? Respondit, quo pacto impij à piis, spe nimirum bona. Sperant quippe, qui corpus laboribus exercent, pinguia laborum præmia: desides autem semper præsentem intuentur Paupertatem. *Ibid.*

XI. Idem conspicatus Juvenem valdeindustrium dixit illi: Perge, Adolescens, nam optimum senectuti condis obsonium. *Laërt.l.6.*

XII. Diogenes cuidam monenti, ut in senectute quiesceret, dixit: Quid? si in Stadio curreré, & metæ jam propè vicinus essem, num oporteret cursum remittere? & non magis intédere? *Idem l.5. c.5.*

XIII. Aristoteles dicere solebat, Artium & laborum radices quidem esse amaras, sed fructus dulces.

XIV. Severus Imper. Militum Tribuno Symbolum dari jussit: *Laboremus*; ostendens hoc pacto, quantopere Acediam fugiendam judicaret. *Langius in Polyant. v. Labor. in fine.*

XV. Rusticus quidam Moriturus, ut Filios ad laboris amorem, & fugam Acediæ incitaret, ad se convocatis dixit, se omnem, quam in eorum bonū compararat, pecuniam in vinea obscondisse. Quare eo mortuo, Filij arbitrati, Thesaurum in vinea latere; hunc quidem non invenerunt, sed uberem laboris fructum tulerunt. *Æsop.*

XVI. Rectè canit Claudianus: *In Nuptiis Honorij.*

Non quisquam fruitur Veris odoribus,
Hyblæos latebris nec spoliat favos,
Si fronti caveat, si timeas rubos,
Armat spina rosas, mella legunt Apes,
Herculem duri celebrant labores.
Ite nunc fortes, ubi celsa magni
Duxit Exempli via.

### *Damna Acediæ.*

XVII. Quæritur Ægystus quare sit factus Adulter? *Ovid. 1. de remed. amor.*

In promptu causa est, desidiosus erat.

XVIII. Pediculi cùm à Pulicibus invitati ad pinguis Hominis opiparas epulas, avidiùs prædulcem succum exugerent, ille hoc morsu con citatus inimicum investigavit, &, quia Pediculi tardiùs reptabant, necavit; pulices verò, *Æsop. fab. 342.*

quia

quia saltu insidias illius frustrati fuerant, salvos dimisit. Sic nempe inertiâ Facultates, Existimatio, ipsáque vita amittitur.

*Catullus ad Caelium. Ovid. de amor.*

XIX. Otium & Reges simul, & beatas perdidit Urbes.

XX. Otia si tollas, periêre Cupidinis arcus,
Contemptæq; jacent & sine luce faces.

*Idem 1. Pont. 6. Pistorius in Epigr.*

XXI. Cernis ut ignarũ corrumpant otia corpus?
Ut capiant vitiũ, nî moveantur aquæ?

XXII. Quo te cũq; die nil sancti egisse putabis,
Hunc tibi vel penitus dispeiisse puta.

Ita nec in minimis ponas dispẽdia damnis,
Ære potest nullo vel breve tẽpus emi.

XXIII. Si tibi perpetuæ, vigil est ô cura Salutis,
Otiâ perpetuò deliciosa cave.

Hostis apricantem quoties videt inferus Hostem,

*Idem.*

Semper victrici currit ad arma manu.

Sed timet implicitum manuúmve, pedúmve labore,

Aut mentis vigili sollicitæ studio.

*Pontan. p. 1 Attic. Bellar.*

XXIV. Uxor pigra cùm ob otium à viro graviter multata objiceret, se injuriâ verberari, cùm nihil fecerit, responsum accepit à Marito, hâc ipsa de causa verberari, quòd nihil fecisset.

*Pontan. p. 2. Bellar.*

XXV. Nux, Asinus, Campana, Piger, sine verbere cessant,

Hæc dura, hic tardus, hæc tacet, ille jacet.

Sed simul ut ferri plagam sensêre, vel ulmi,

Hæc cadit, hic pergit, hæc sonat, ille studet.

## §. XIII.

## ADAGIA.

I. Ut mala devites, aliquid fac, otia vites, Otia dant vitia. *Buchlerus. V. Otium.*

II. O mihi præteritos referat si Jupiter annos, Seranimus stultæ est cantio desidiæ. *Ib. V. Desidia.*

III. Faule Leut haben gern viel Feyertäg. *Floril. p. 4.*
IV. Faule Leut haben allzeit lange Täg. *Ibid.*
V. Faul Fleisch wachst gern.
VI. Faulkeit aller Laster Säugamm und Mutter
VII. Faulkeit lohnt mit Armut.

## §. XIV.

## AUTHORES.

I. Jacobus Marchantius in Horto Pastorum. tr. 7. per novem Lectiones.

II. Joannes Busæus in Panario V. Acedia & Pigritia, & Tepiditas.

III. Philippus D' Outreman in Pœdagogo Christiano p. 1. c. 7. §. 8.

IV. Jacobus Aluarez to. 2. l. 1. p. 2. c. 13.

V. Bernardinus Rosignolius l. 2. de disciplin. Christ. c. 18.

VI. Cassianus l. 10. de Instit renunc.

VII. Henricus Engelgrave. p. 2. Lucis Evang. Dom. Septuag.

VIII. Matthias Faber co. 2. in Septuag.

IX. Petrus Canisius p. 3. §. 9. f. 147.

X. Thomas Stapletonus text. 5. in Dom. Sept.

---

# *TITVLVS II.*

# AMBITIO.

## §. I.

## QUOAD ESSENTIAM.

### *Definitio.*

### I.

*S. Thom. 22. q. 131. a. 2.*



Est Dignitatis & Honoris inordinatus appetitus. Per hoc enim à Superbia differt, quæ est inordinatus appetitus excellentiæ in communi: & à vana Gloria, quæ Laudem indebitam immoderatè appetit.

### *Divisio.*

*Marchant. in Hort. Past. tuba Sacerd. tr. 1. lect. 5.*

II. Dividi potest in *Ecclesiasticam* & *Secularem*; Illa est, quâ Ecclesiasticæ Dignitates appetuntur, de quâ S. Gregorius locutus est dicens: Sunt nonnulli, qui intra Sanctam Ecclesiam per speciem regiminis gloriam affectant honoris, videri Doctores appetunt, transcendere cæteros concupiscunt, primas in conventionibus quærunt cathedras. Qui susceptum Curæ Pastoralis officium ministrare dignè tantò magis nequeunt, quantò ad hujus humilitatis Magisterium ex sola elatione pervenerunt. Ista est, quâ Sæculares honorum gradus ambiuntur, qualẽ appetiit Aman, cupiens, ut quem Rex honorare vellet, veste regali indueretur, equóque regio impositus, & diademate regali coronatus per urbem circumduceretur, Præcone acclamante: Hoc honore condignus est, quemcunque Rex voluerit honorare. *Esth. c. 6. v. 11.*

### *Actus.*

III. Hos pulchrè in unum cumulum collegit Innocentius, dum dicit: Ambitiosus semper est pavidus, semper attentus, ne dicat, quod displiceat. *Innocent. De vilit. condit. hum.*

IV. Humilitatem simulat, Honestatem mentitur, Affabilitatem exhibet, Benignitatem ostendit, subsequitur & obsequitur, cunctos

ctos honorat, universis inclinat, frequentat Curias, visitat Optimates, assurgit & amplexatur, applaudit & adulatur; ut in Absalone cernere erat.

V. Promptus & fervidus, ubi placere cognoverit: tepidus & remissus, ubi putaverit displicere.

VI. Improbat mala, detestatur iniqua, sed alia cum aliis probat & improbat, ut judicetur idoneus, ut reputetur acceptus, ut reputetur ab omnibus, ut à singulis approbetur.

VII. Statim ut ad honorem est promotus, in superbiam extollitur, in Jactantiam effrenatur, non curat prodesse, sed gloriatur præesse: præsumit se meliorem, quia cernit Superiorem; priores dedignatur Amicos, notos ignorat, externos comitatur, contemnit antiquos, vultum avertit, cervicem erigit fastum ostendit, grandia loquitur, sublimia meditatur, subesse non patitur, præesse molitur, subditis onerosus, omnibus infestus, præceps, molestus, arrogans, gravis & importunus.

## §. II.

## EX S. SCRIPTURA.

### *Qualitas.*

I. NOli quærere ab homine Ducatum, neque à Rege cathedram honoris. *Eccl. 7. v. 4.*

II. Non adjicies exaltari ampliùs in monte sancto meo. *Sophon. 3. v. 11.*

III. Quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester Minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. *Matt. 20. v. 26.*

IV. Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à DEO tanquam Aaron. *Hebr. 5. v. 4.*

### *Damnum Ambitionis.*

V. Et tu Capharnaum usque ad cœlum exaltata es, sed usque ad Infernum demergêris. *Luc. 10. v. 15.*

VI. Quod hominibus altum est, abominatio est ante DEUM. *Luc. 16. v. 15.*

VII. Elevâsti me, & quasi super ventum ponens elisisti me valdè. *Iob. 30. v. 22.*

## §. III.

## EX SS. PATRIBUS

### *Qualitas.*

I. AMbitio est quædam chimia caritatis; Caritas enim patiens est pro æternis, Ambitio patitur omnia pro caducis. Caritas benigna est pauperibus, Ambitio divitibus. Caritas omnia suffert pro veritate, Ambitio pro vanitate. *Petrus Ravenn. in Serm.*

II. O perversitas! O abusio Filiorum Adam, quia cùm ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum, ipsi & leviter ascendunt, & difficiliùs descendunt, parati ad honores & celsitudines Graduum Ecclesiasticorum, ipsis etiam Angelis formidandos. *S. Bern. s. 2. in Ascens.*

III. O Ambitio ambientium Crux, quomodo omnes torques? omnibus places? nihil acrius cruciat nihil molestiùs inquietat; nihil tamé apud miseros mortales celebri' negotiis ejus. *S. Bon. l. 3. de consid.*

IV. Sæpe quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia subruere, facit Ambitio criminosos; habet enim forensem gratiam, domesticum periculum, &, ut dominetur aliis, priùs servit; curvatur obsequio, ut honore donetur; & dum vult esse sublimior, fit remissior. *S. Ambros. l. 3. super Luc.*

V. Etiam in sinu Sacerdotum Ambitio dormit, ibi sub umbra recubat, in secreto thalami se fraudulenter occultat. *S. Cyprian. s. de jejun.*

### *Damnum.*

VI. Potestatis Ambitio Angelum felicitate privavit, scientiæ appetitus hominem immortalitatis gloria spoliavit. Non Evam cibus deflexerat, non mandatorum destituerat oblivio, sed promissi honoris Ambitio illecebrosa decepit. *S. Bern. in quod. serm.*

VII. Quicunque desideraverit Primatum in terra, inveniet confusionem in cœlo; & inter servos Christi non computabitur, qui de Primatu tractaverit. *S. Chrys. in dial. l. 3.*

VIII. Omne, quod supereminet, plùs mœroribus afficitur, quàm honoribus gaudet. Quantò quisque curis mundi majoribus occupatur, tanto faciliùs vitiis premitur; si enim vix animus valet peccata devitare quietus, quantò miniùs occupatione sæculari devinctus. *Isid. l. 3. de summ. bon. c. 48.*

IX. Ambitio docet, quod Natura non novit: cupit, quod Pietas ipsa horescit: audet perficere, quod novo supplicio DEUS cogitur vindicare. *S. Chrysost. ho. de Absalom.*

## §. IV.

## EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

I. VVanitas est, honores ambire, & in altum se extollere. *l. 1. c. 1. n. 4.*

II. Omnis quidem gloria humana, omnis altitudo mundana, æternæ gloriæ tuæ comparata vanitas est & stultitia. *l. 3. c. 40. n. 6.*

III. Fili, noli tibi attrahere, si videas alios honorari, & elevari, te autem despici & humiliari. Erige cor tuum ad me in cœlum, & non contristabit te hominum contemptus in terris. *l. 3. c. 41. n. 1.*

IV. Non nocet, si omnibus te supponas; nocet autem plurimùm, si vel uni te præponas. *l. 1. c. 7. n. 3.*

V. Verè magnus est, qui in te parvus est, & pro nihilo omnem culmen honoris ducit. *l. 1. c. 3. n. 6.*

## §. V.

## EXEMPLA EXTERNA:

### *Fuga Ambitionis.*

I. CHristus, cùm cognovisset, quòd Populus trans mare Galilææ ob patratum miraculum eum rapère, & Regem facere vellet, mox in montem solus se proripuit. *Io. 6. v. 15.*

II. Moyses, cùm eum adhuc Parvulum Thermutis Filia Pharaonis in sinum Pharaonis collocâsset, & Rex blandè excepto diadema suum imposuisset, indignabundus capiti detraxit, ac in terram abjecit; *Ioseph. l. 2. antiq. c. 5. Hebr. 11. v. 24.*

Sed

Sed & grandis factus negavit, se esse Filium Filiç Pharaonis, magis eligens affligi cum Populo DEI, quàm temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum, improperium Christi.

*Paulinus in ejus vita.* III. S. Ambrosius à Populo & imperatore Mediolanensi pro Episcopo postulatus, noctu ex urbe aufugit, & cùm Ticinum iret intendisset, non sine miraculo manè se in porta Mediolanensi deprehendit.

*Surius in vita 12. Mart.* IV. S. Gregorius electus in Pontificem non modò aufugit, sed etiam Imperatorem Mauritium rogavit, ne consentiret electioni. Indicio tamen columnæ igneæ proditus consensit, & primus se in Epistolis Servum Servorum appellavit.

*Pall. hist. Lausiac. c. 12.* V. S. Malachias omnem locum sublimem velut præcipitium reformidabat, ideòque Episcopatum non priùs suscepit, quàm Episcopi congregati sub Anathemate eum compulerunt.

*Vita l. 4. c. 10.* VI. S. Dominicus rogatus, cur in Carcassona Diœcesi libentiùs moraretur, quàm in Tolosana, ubi tot Hæreticos converterat, respondit: In Tolosana multos invenio, qui me honorant, in Carcassona verò omnes impugnant.

VII. Adrianus Sextus interrogatus, quod supplicium capitali hosti imprecaretur? Pontificatum respondit. Hinc tale ei Epitaphium factum est.

Adrianus Sextus
hîc situs est,
Qui nihil sibi infelicius,
Quàm, Quòd imperavit,
duxit.

*Beyrlink. Apopht. f. 477.* VIII. Leo XI. ad extremum vitæ redactus, Confessario suo in aurem dixit: Quàm meliùs fuisset mihi, si Monasterii, quàm si cæli claves tenuissem.

*Engelgr. Dom. 16. post. Pent. §. 2.* IX. Paulus III. animam agens sanctè asseverabat: Mallem me subjecisse coco Familiæ Capucinorum, quàm hanc DEO proximam dignitatem decennio sustinisse.

### *Damnum.*

*Esther. c. 7.* X. Aman quia honorem à Mardochæo negatum ægrè ferens toti genti Judæorum interitum fuerat molitus, ipse in patibulum quod Mardochæo paravetat, suspensus est.

*Niceph. l. 13. c. 1.* XI. Rufinus cum Arcadio Imperatore regnum administrans, quia ipsam Imperialem dignitatem sibi arrogare ausus est, caput amisit; quod publico in loco hastæ affixum est, dextera verò illius abscissa per urbem circa opificû officinas circumlata est cum hoc elogio? Date stipem inexplebilis Ambitionis & Avaritiæ viro.

*2. Reg. 15.* XII. Absalon ambitione regni impulsus quia contra proprium Patrem exercitum eduxit, crinibus in arbore suspensus, & triplici lancea à Joab transfossus occubuit.

*Judic. 9.* XIII. Alimelech quia septuaginta Fratres interemit, ut solus regnare posset, miserè postea à Muliere per tegulam capiti impactam percussus lethaliter, & ab Armigero proprio interemptus est.

*Lipsius in ex. polit.* XIV. Herodes Judææ Rex ambitione regni retinendi septuaginta Senatores Regiæ stirpis, uxorem Mariamnem, & tres Filios interfici jussit; Moriturus verò nobilissimos quosque ex Judæa ad se evocavit, & circo inclusos omnes à Militibus occidi curavit.

## §. VI.

## EXEMPLA DOMESTICA.

*Ribad. l. 5. c. 3.* I. S. Ignatius honores summè fugiebat; hinc summopere laboravit, ab initio quidem, ne Generalis fieret, postea verò ut honorem deponere posset. Ob eandem causam etiam omnibus honoribus in Societate aditum præclusit.

*Vita l. 3.* II. S. Franciscus Borgia ideo etiam Societatem, abdicato Ducis titulo, elegit, quòd viam honoribus in ea præclusam cerneret. Generalatùs verò honorem, sicut coactus suscepit, ita non semel abdicare voluit.

*Hist. Soc. p. 2. l. 8. n. 2.* III. P. Jacobus Laynes non tantùm varios Episcopatus & Cardinalatum, sed etiam Pontificatum, pro quo duodecim jam habebat suffragia, recusavit.

*Hist. Soc. l. 14. n. 15.* IV. P. Joannes Nunnius dicebat, se malle totam vitam in catena transigere, quàm Patriarchatum Æthiopicum suscipere; unde non nisi obedientia cogente suscepit.

*Vit. Compend.* V. P. Andreas Oviedo cùm ei Episcopatus Hierosolymitanus nunciatus esset, ita consternatus est, ut statim S. Ignatio scripserit, se in omnibus quidem obediturum, hâc unâ in re non posse, proin Pontifici scripturum, cujus tamen jussu suscepit munus.

*Hist. Soc. l. 6. n. 97.* VI. P. Melchior Nunnius dicebat, se, si Professio honorem afferat, libentiùs coquum coadjutorem futurum; sin verò cruces, accepturum.

## §. VII.

## EXEMPLA PROFANA.

*Textor. in Offic. l. 3. c. 24.* I. Senecio quispiam fuit, qui omnia grandia habere volebat; unde servos non nisi grandes, similémque Concubinam, vasa quoque grandia eligebat, &, ut ipse quoque grandior appareret, summis pedum digitis insistebat.

*Ibid.* II. Menecrates Medicus nullam ab his mercedem solebat accipere, quibus medebatur, sed tantùm hoc petebat, ut liberati se ipsius Servos esse faterentur, eúmque Jovem dicerent.

*Ibid.* III. Alexander Magnus Jovis Ammonis Filius dici voluit.

*Ibid.* IV. Domitianus primus se Dominum & DEUM appellari jussit; edixitque ne scripto aut sermone aliter nominaretur. Statuas in Capitolio non nisi aureas, argenteásque poni jussit.

*Justinus l. 10.* V. Ochus Persarum Rex cùm Fratres habetet centum & undecim, ex iis octoginta interfecit, ut regnum securiùs solus possideret.

*Idem l. 24.* VI. Phrahartes Herodis Parthorum Regis ex Pellice Filius & Patrem senem, & triginta Fratres, regnandi libidine accensus interfecit.

*Suetonius.* VII. Agrippina Neronis Mater cùm nato vix Nerone Astrologus ei prædixisset, eum regnaturum, sed Matrem necaturum, subitò exclamare cœpit: Occidat, modò imperet.

## §. VIII.

## SIMILITUDINES.

### *Fuga Ambitionis.*

*Ruiz.* I. Sicut si Homo quispiam solus esset in Mundo, utique nullum honoris desiderium haberet; ita & nunc, cùm omnes Homines sint quasi nihilum coram DEO, meritò omne honoris desiderium abjicere debet.

*Lud. Gran. in loc. com. f. 595.* II. Sicut ex magna Appetitûs corruptione provenit, ut ægroti quidam terram avidissimè comedant; ita ex grandi judicii corruptione oritur, ut Homo Famulorum comitatu, & aliis similibus honorum obsequiis tantopere delectetur, ut propter hæc paranda & tuenda divinas, humanásque leges ac jura violare non horreat.

*Staplet in Dom. 2. post Pent. them. 4.* III. Sicut lapis deorsum cadens non sistit, donec ad fundum veniat, & in ipso motu modum tenere non potest, sed quò diutius movetur, tantò celeriùs labitur; ita Ambitio moderationis fines egressa, nullum ambiendi modum facit.

*Ibid.* IV. Sicut Canis famelicus ad mensam Domini assistens, bolos ipsi objectos momento deglutit, & alium incessanter petit; sic Ambitiosi novos semper honores appetunt, nec unquam acquisitis satiantur.

*Idem in Dom. 16. post Pent. them. 6.* V. Sicut cibus nimio sale conditus nullâ arte ad temperatum saporem reduci potest; ita qui altiores semper honores appetunt, ad saniorem mentem vix ullo medio revocari queunt.

*Idem in Dom. 4. Quadr. them. 6.* VI. Sicut imago, quò artificiosiùs est depicta, & tem ad vivum repræsentat, tantò magis fallit quia res ipsa existimatur (uti Zeuxem Parrhasius fefellit, dum tapetem tam artificiosè pinxit, ut Zeuxis verum esse tapetem ratus removeri jusserit) ita honores hujus Mundi, quantò majores sunt, tanto magis decipiunt, cùm omnis Mundi gloria non nisi umbra sit, & vapor & modicum patens, teste S. Jacobo. *Jac. 4. v. 15.*

### *Damnum.*

*Ovid. in Metam.* VII. Sicut Phaëton, dum maturè nimis habenas sibi vendicavit, totum orbem accendit, & se perdidit; ita & ij, qui dignitates & Imperia immaturè sibi arrogant, & se, & subditos perdunt.

*Staplet* VIII. Sicut Pueri, dum Papilionem in aëre volitantem insequuntur, subitò in scrobem cadunt; ita Ambitiosi, dum oculos semper ad honores in alto positos erigunt, eósque sectantur, plerumque vel in scrobem mortis, vel in aliud grave malum præcipitantur. *in Dom. 2. post pent. them. 6.*

IX. Sicut Eleazarus, dum Elephantem & Regem supra se stantes dejecit, simul cum illis contritus periit; ita plerumque Ambitiosi, dum alios de suo gradu dejicere conantur, seipsos miserè opprimunt. *1. Mach. c. 6.*

X. Sicut ab illis cibis & potibus maximè cavendum est, qui etiam saturos & non sitientes ad edendum & bibendum provocant, quia naturam incautè obruunt, & extinguunt; ita honoris possessio maximè vitanda est, quæ nulli necessitati, sed soli voluptati servit. *Staplet. in Dom. 2. Pent. them. 6.*

XI. Sicut Arbores per præcipitia nascentes non Hominum, sed Corvorum usibus serviunt; sic honores indebitì actiones non DEO, sed Diabolo servientes proferunt. *Ibid.*

XII. Sicut hi, qui absque fame & siti bibunt aut comedunt, etiam ea, quæ sumpserunt, revomunt; & dum superfluis se onerant alimentis, etiam necessariis privantur; ita ambitiosi, dum novos semper honores ambiunt, nec illis, quos habent, potiuntur diu. *Ibid.*

XIII. Sicut Saxi venti in tranquillum mare delati, totum ab imo subruunt, ut & arena cum undis misceatur; sic Ambitio & turpis quæstus animam subeuntes omnia subvertunt. *S. Chrys. hom. 43. ad popul.*

## §. IX.

## MOTIVA.

I. Quia Ambitiosus fit dissimilis Christo, & similis Lucifero, qui propter Ambitionem de cœlo præcipitatus est; unde sicut Luciferum DEUS & omnes Boni summè oderunt, ita & Ambitiosus DEO & Hominibus exosus est.

II. Quia Ambitio primos Parentes & nos cum illis sua felicitate privavit, & in supremum exitium præcipitavit; quis autem Interfectorem suorum Parentum, suúmque & Fratrum suorum capitalissimum hostem odio non prosequatur, & hospicio excipiat.

III. Quia Ambitiosus perpetuis spei, timoris, & iracundiæ motibus agitatur, imò omnino denique per hos tres affectus, non aliter ac Absalon Ambitiosus per tres lanceas, perimitur.

IV. Quia Ambitio in Apostasiæ, aliorúmque gravium vitiorum periculum præcipitat; nam, ut S. Gregorius ait unusquisque Rector tories ad Apostasiæ culpam dilabitur, quoties præesse Hominibus delectatus, honoris sui singularitate lætatur.

V. Quia Honor onus potiùs est, quàm animi levamentum; nam, ut bene Seneca advertit, est inter onus & honorem non tam allusio vocis, quàm rei ipsius expressa veritas; honos quippe ex onere venit, aut potiùs ex honore onus. *Senec. c. 2. de brev. vit.*

VI. Quia perpetuo vitæ periculo exponit; uti benè agnovit Saturninus, dum ad Imperium *Drexel. in Aurifod. p. 3. c. 5.*

rium invitatus dixit: Nescitis, ô Amici, quid mali sit imperare. Gladii & tela cervicibus nostris imminent, impendent utique hastæ & spicula, ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur: non cibus pro voluptate, non iter pro auctoritate, non bella pro judicio, non arma pro studio sumuntur.

*S. Greg. l. 3. past. c. 5.* VII. Quia difficilem reddit coram DEO rationis redditionem; nam, ut rectè S. Gregorius dixit, Prælatus, si perversa perpetrat, tot mortibus dignus est, quot ad subditos suæ perditionis exempla transmittit. Sed & S. Chrysostomus, si novisses, inquit, quod Episcopus debet omnium onera gestare; quod aliis irascentibus datur venia, ipsi verò nequaquam: quod aliis peccantibus superest excusatio, ipsi verò minimè, haud quaquam festinâsses ad Primatum. *S. Chrys. ho. 3. in acta Apost.*

*In Matt.* VIII. Quia fugiendo honor meliùs & justiùs obtinetur; nam, ut S. Chrysostomus ait, Primatus fugientem se desiderat, desiderantem se onerat. Quicunque ergo desiderat Primatum cælestem, sequatur humilitatem terrestrem; non enim, qui major fuit in honore, ille major; sed qui instior, ille major. Hinc S. Bernardus de Sanctis dixit, quòd de contemptu gloriæ gloriosiùs sublimati, & sublimiùs glorati sunt. *S. Bern. in ep. 113.*

*S. Greg. Naz. apoc. 1.* IX. Quia Ars Artium, & Scientia Scientiarum est, Hominem regere, teste S. Gregorio Nazianzeno, animal maximè varium & multiplex; quemadmodum si quis belluam variam & multiplicem ex multis beluis magnis juxta, parvisque feris mitibusque conflatam curare & ducere aggrediatur, huic in natura adeò variâ & prodigiosa gubernanda, maximus procul dubio labor subeundus est.

## §. X.

## MEDIA.

I. *Exemplum Christi frequenter ponderare*; non enim debet Discipulus esse supra Magistrum, nec Servus Domino major; si ergo Christus fuit opprobrium hominum & abjectio plebis, quomodo homo affectabit esse Superior hominum?

II. *Sui & peccatorum suorum notitiam procurare:* quis enim Vas stercorum honore dignum æstimet? quis Judæ Christum tradenti exhibeat honorem? atqui deteriorem & stercore, & Judæ quivis Peccator se æstimare debet.

*S. Chrys. ho. 43. ad Pop.* III. *Vilitatem Honoris & Gloriæ humanæ perpendere:* nam, ut S. Chrysostomus ait nihil hominum gloriâ vilius. Dic enim mihi, si puerorum parvulorum videas multitudinem, lactentium dico, numquid ab eis gloriam concupisces? sic ergo erga cunctos Homines dispona is propter gloriam.

*Ibid.* IV. *Exitum honoris considerare:* uti idem Sanctus hortatur, dum ait: Cogita, cùm gloriam concupiscis, quòd eam sis assecutus, & disce finem, & nihil invenies. Cogita, quantam, ea res habeat jacturam, quot & qualibus bonis privet. Labores quidem sustinebit & pericula, fructibus autem privabitur, & certaminum præmiis.

V. *Humilia officia sectari:* nam ut rectè cecinit Horatius,

Auream quisquis mediocritatem *Horat. l. 2. Od. 10.*
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidendâ
Sobrius aulâ.

VI. *Severitatem rationis reddendæ frequenter animo volvere:* nam omnis adeundi honoris Ecclesiastici abscinderetur ambitio, si se judicandos potiùs, quàm judicaturos hi, qui præesse volunt Populis, cogitarent. *Origen. super Epist. ad Rom.*

## §. XI.

## ASCETICA.

I. Tria circa hoc vitium specialiter perpendere debet Asceta, Naturam scilicet, indignitatem, & modum curandi. *Natura* in eo consistit, ut aliquis honorem velut sibi, & non DEO in ipso, exhibendum appetat, eo ferè modo, quo Mulus olim in solemni supplicatione, Isidis DEÆ effigiem portans, & homines ante se prosterni videns, sibi honorem illum exhiberi putavit, ideòque ab Agasone in ventre fodicatus audivit: Non tibi, sed Isidi.

II. Indignitas ex eo patet quòd ejusmodi Homines ambitiosi omni titulo, ob quem honor exhiberi solet, careant, virtute scilicet, quæ sola, ut ait S. Bernardus Mater gratiæ est; Sola enim est, cui gloria jure debetur, securè impenditur; quæ autem sine virtute est gloria, profectò indebitè venit, properè affectatur, & periculosè captatur. Hinc jam olim Romani duo templa ædificarunt Honori & Virtuti. Sed ita, ut per Virtutis templum priùs transeundum essent illi, qui in Honoris templum intrare vellet, ut hoc pacto ostenderent, solam virtutem esse viam ad verum honorem, & meritò, quia, cùm honor sit externa testificatio internæ bonitatis, bonitas autem à sola virtute habeatur, rectè infertur, solam virtutem esse radicem & Matrem gloriæ & honoris. *S. Bern. in Serm.*

## §. XII.

## CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. Ex occasione thematis: *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ:* narrari potest inprimis, quod superiori §. n. 2. de duplici templo à Romanis ædificato dictum est, & ostendi, solam virtutem esse Matrem gloriæ & honoris, quia illa 1. juvat maximè ad honorem *obtinendum*, cùm sola conferat bonitatem internam, cujus testificationem præbet honor. 2. Juvat ad eum legitimè *possidendum*; quia ipsa docet, nihil sibi, sed omnia DEO attribuere, atque adeo semper in ore habet, illud S. Pauli: Soli DEO honor & gloria. *2. Cor. 1. v. 12.* *1. Tim. 1. v. 17.*

II. Ex occasione thematis: *Mihi autem nimis honorificati sunt Amici tui DEUS:* ostendi potest amicitiam DEI, quæ in virtutis possessione consistit, esse optimam viam ad honores acquirendos. 1. Quia est via *certissima*: cùm ipse Deus dixerit: Quicunque glorificaverit me, glorifica- *Ps. 138. v. 17.*

rificabo, eum; quis autem magis eum glorificat, quàm virtuti deditus? 2. Quia est via *brevissima* seu *rectissima*: cùm illis ambagibus & difficultatibus careat, quas subire coguntur illi, qui honores humanos venantur, uti ex §. 1. patet. 3. Quia est via *securissima*: cùm non constet justum, quidquid ei acciderit, teste Salomone; sed diligentibus DEUM omnia cooperentur in bonum. 4. Quia est *jucundissima*: cùm secura mens sit quasi juge convivium: &, si est gaudium in hoc mundo, hoc utique possideat puri cordis homo, uti Thomas Kempensis ait.

*Prov. 12. v. 21.* *Rom. 8. v. 28.* *Prov. 15. v. 15.* *l. 2. de imit. c. 4.*

III. Ex occasione thematis: *Nec sibi quisque sumit honorem*: Ostendi potest, honorem, cùm sit extrinsecum bonum, & ab aliis obvenire debeat, non debere à nobis ipsis quæri & ambiri. 1. Quia, ut S. Bernardus ait, talis honor hoc ipso, quòd sine virtute humilitatis quæratur, *indebitè venit*; sola enim virtus est Mater gloriæ. 2. *Præproperè affectatur*: Sicut si ædificio nondum solidato magnum onus imponitur. 3. *Periculosè captatur*: Quia perinde se habet, ac si Infanti culter præacutus usurpandus offeratur. Hinc Christus non suscepit officium Pastoris & Prædicatoris, donec post triginta annorum Exercitium in virtutibus à Patre æterno approbatus, & Spiritu Sancto eductus est.

*Hebr. 5. v. 4.*

IV. Ex occasione thematis: *Gloria & honore coronâsti eum*: Ostendi potest inprimis, quàm parum optandus sit honor humanus, ut qui cum labore magno acquiritur, cum timore magno possidetur, cum dolore magno amittitur. Ostendatur deinde, quàm omnia contraria sint in honore DEI, ut qui sine labore magno obtinetur, absque timore conservatur, & cum dolore amitti omnino non potest, quæ omnia facilè ex Superioribus §§. probari possunt.

*Ps. 8. v. 6.*

V. Ex occasione thematis: *Nescitis, quid petatis*: Potest ostendi, quænam sit radix ambitionis, quia scilicet fragilitatem propriam ambitiosi non considerant, sed ad omnes functiones honorificas, quas ambiunt, respondent: *Possumus*, illas cum dignitate sustinere; unde plerisque contingit, quod Phaëthonti Ovidius fingit evenisse, ut scilicet ob imperitiam regendi & se, & alios in grandia mala præcipitent; meritò ergo illis dicitur: Nescitis, quid petatis.

*Matth. 20. v. 22.*

VI. Ex occasione thematis: *Venite, & sub umbra mea requiescite*: Ambitiosi comparari possunt Rhamno, quia ab initio, dum aucupantur honores, valde molles sunt, & officiosi; sed, ubi Dignitates acquisiverint, indurescunt, aculeantur, & spinosi efficiuntur, sed & ignem perversæ conversationis de se emittunt, & se, ac subditos igne infernali comburunt. E contrario verò Viri sancti & humiles, qui sunt olivaper suavitatem conscientiæ, Ficus per dulcedinem devotionis, vitis per hilaritatem Spiritualis lætitiæ recusant & fugiant ejusmodi honores, ne deserere pinguedinem & dulcedinem suam cogantur. Quæ omnia fusiùs per partes explicari queunt.

*Judic. 9. v. 5.*

VII. Ex occasione thematis: *Non possum in monte salvari, ne inveniat me malum & moriar*: Ostendi possunt in prima parte concionis pericula, quæ incurruntur ab iis, qui in alta dignitate constituuntur, præcipuè conscientiæ lædendæ, devotionis & quietis amittendæ, vitæ corporalis & spiritualis perdendæ; quem in finem narrari potest de B. Ganfredo Cœnobij Claravallensis Priore, qui postquam Episcopatum Tornacensem ab Eugenio Pontifice, & S. Bernardo oblatum recusâsset, paulò post mortuus cuidam Religioso apparuit, dixitque: Salvus sum, mihique feliciter cessit fuga Episcopatus. Si enim fuissem de numero Episcoporum, fuissem de numero damnatorum. Ita mihi SS. Trinitas revelavit. In altera parte concionis explicari possunt sequentia verba ab eodem Loth prolata: *Est Civitas hæc juxta, ad quam possum fugere, parva, & salvabor in ea*: Quæ sententia pulchrè potest ad Humilitatem applicari, ut quæ ab omnibus suprà enumeratis periculis libera est.

*Gen. 19. v. 20.* *Marchant. tub. Sacer. t. 2. lect. 5.*

## §. XIII.

## MISCELLANEA.

### *Fuga Ambitionis.*

I. Curia dat curas; ergo si vivere curas,
Et benè securè, non sit tibi Curia curæ. *Engelgr. in festo S. Iacob. §. 2.*

II. Quid sub Dignitatibus lateat, rectè nonnemo hoc distycho expressit:

Cur tibi crux triplex, Gregori, tripléxque corona est? *Idem in Domin. Palm. §. 4.*
Anne suam sequitur quæque corona crucem?

III. Urbanus VII. quoties Amiculum è subtili tela superinduebat, alto pectore ingeminabat: Quis crederet, sub tam levi sindone tantùm ponderis delitescere? *Ibid.*

IV. De S. Brunone aliquis geminos hos versus composuit: *Anon.*

Oblatum renuit sibi Bruno Pontificatum,
Cernens esse statum Magnatum, raró beatum.

### *Damnum.*

V. Phavorinus Philosophus ajebat ambitiosos esse partim ridiculos, quod ad majora aspirarent: partim odiosos, quod ea consequerentur: partim miserabiles, quòd spe sæpius fallerentur. *Stobæus Serm. 2. de Provid.*

VI. Timon verò vocabat Ambitionem & Avaritiam Elementa malorum, eò quòd ex illis omnia vitia, perinde ut omnia mixta ex Elementis, generarentur. *Idem Serm. 4. de Instit.*

VII. Rectè de honoribus vitandis monuit Ovidius. *Ovid. l. 3. Trist.*

Vive tibi, quantúmque potes, prælustria vita:
Sævum prælustri fulmen ab Arce venit.

VIII. Alphonsus Rex Aragonum Asinos dicebat melioris esse conditionis, quàm Re- *Faber conc. 1. in festo S. Iac. m. 1.*

ges,

ges, siquidem illis Clitellæ quandoque à dorso auferuntur, his nunquam.

*Ibidem.* IX. Carolus Quintus Bruxellis Principatum Belgij in Filium suum Philippum Secundum deponens cum lacrymis dicebat: O Filij, magnum tibi onus impono.

*Ib. n. 2.* X. Eremicola quidam Juveni cuipiam cognato suo ad Episcopatum postulato præcepit, ut super mensam primùm, dein in planâ terrâ jacens, aliquoties se revolveret, & , quænam volutatio securior esset, inde colligeret. Quâ instructione eruditus Juvenis cùm Episcopatum utpote periculis plenum refugisset, postea post mortem Instructori suo gratias agens apparuit, dixitque: Scito Pater, quoniam nunc essem de numero Damnatorum, si fuissem de numero Episcoporum.

*Ibid. n. 3.* XI. Robertus Holkot Ambitionem Equo Histrionis cujusdam comparabat, qui ductus ab eo fuerat genua submittere, quoties ille: *Flectamus genua*: dicebat; iterúmque surgere ad verbum *Levate*. Quem cùm Famulus ei surripuisset, ipse eum insecutus ad Equum in medio fluminis consistentem solita verba: *Flectamus genua*: Pronunnavit; quibus auditis Equus se & Sessorem aquis immersit, & ad verbum *Levate* iterum surgens, sine Famulo ad Herum recurrit. Sic enim & Mundus joculatur cum Ambitiosis & ludicrè honorem oblatum repetens Possessorem cum ignominia deponit, unde Boëtius in Persona Mundi sic talem Ambitiosum alloquitur: Ascende, si placet, sed eâ lege, ut ne, cùm ludicri mei ratio postulat, descendere injuriam putes.

*Ibid.* XII. Dionysius Rex Siciliæ Damocli assentatori Beatum ipsum prædicanti Beatitudinem Regum demonstraturus in sella juxta mensam selectissimis cibis instructam collocari, sed simul è lacunari nudum gladium è seta equina super caput pendentem imminere jussit, ut ex hoc facto colligeret, in quanto semper timore, periculóque versarentur Reges & omnes alij in honoribus constituti, quámque omnes eorum deliciæ & felicitates per hunc timorem corrumperentur, & fastidium generarent.

*Apud. Fab. l.c.* XIII. Etiam illud Ambitiosos non parùm vexat, quod Seneca his verbis expressit: Ambitioso non tam jucundum est, multos post se videre, quàm aliquem ante se habere molestum.

*Juvenal. Satir. 10.* XIV. Rectè quoque cecinit Juvenalis: Quid Crassos, quid quid Pompeios evertit? & illum,
Ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites?
Summus nempe locus nullâ non arte petitus
Magnáque Numinibus vota exaudita malignis.

## §. XIV.
## AXIOMATA.

I. Ecquid honos? Onus, est, & nil nisi sarcina quædam, *Buchlerus V. Honos.*
Quæ nulla quemquam commoditate beat.
Si quæratur honos, non fugiatur onus.
Würde/ Bürde.

II. Vis ut honoreris? Virtutem, fac, venereris. *Idem.*
Wer Tugend ehrt/ ist Ehren werth. *Floril. p. 1. V. Honor.*

III. Halt dich rein/ bleib gern allein/
Mach dich nicht z'gmein/ so wirst werth seyn.

IV. Wie der Heylig ist/ so ist der Feyrtag. *Ib.*
Wie der Heylig ist/ also ist das Opffer.

V. Wann der Schatten am gröſten ist/ geht die Sonn bald unter. *Ibid.*

VI. Ehr hat wächsene Flügl/ wann man zu hoch fliegt/ zerschmeltzen sie. *Ibid.*

VII. Honores mutant mores, sed rarò in meliores. Ehren verkehren/ aber selten vermehren.

VIII. Si repriveris, neque nomen habere mereris.


IX. Hoc est regnare, nolle regnare, cùm possis. *Plinius.*

X. Qui rectè faciet, non qui dominatur, erit Rex. *Juvenalis.*
. . . Tunc omnia jure tenebis,
Cùm poteris Rex esse tui.

XI. Imperare sibi, maximum est imperium. *Seneca.*

## §. XV.
## AVTHORES.

I. Jacobus Marchantius in Horto Pastorum, & Tuba Sacerd. lect. 5.
II. Joannes Busæus in Panario. V. Ambitio.
III. Ludovicus Granatensis in locis comm. fol. 593.
IV. Thomas Stapletonus in Promptuario MoraliDom. 3. Adv. text. 6. & tex. 6. in Dom. 16. post Pent. & text. 4. in Dom. 2. post Pent.
V. Laurentius Beyrlinck in Promptuario Morali text. 4. in Festo SS. Innocentium. & text. 1. in Festo S. Michaëlis.
VI. Josephus Langius in Polyanthæa. V. Ambitio.



TITV-

# *TITVLVS III.*

# AVARITIA.

## §. I.

## QUOAD ESSENTIAM.

### *Definitio.*

I.

*2.2.q.118. a.1.*



EST inordinatus habendi appetitus juxta S. Thomam; sed quia ut sic etiam Superbiæ, aliusque vitiis conveniret hæc definitio, ideo rectiùs ab eodem definitur inordinatus divitiarum appetitus; Unde quia divitiæ plerumque in Argento consistunt, Græci Avaritiam φιλαργυρίαν dixerunt.

### *Divisio,*

II. Dividitur in duas species, quarum prior inhiat alienis bonis immoderatè cumulandis, posterior propriis bonis ultra rationis præscriptum retinendis; nam ut S. Augustinus benè advertit, Avarus non solùm est, qui rapit aliena, sed etiam, qui cupidè servat sua. *S. Aug. in Serm. quodam.*

### *Actus.*

III. *Nimiam de divitiis æstimationem concipere:* nam, ut S. Augustinus ait, Avari frui volunt nummo, uti autem DEO; quoniam nummum non propter DEUM intendunt, sed DEUM propter nummum colunt. *S. August. l.11. de Civ. c.25.*

IV. *Assiduum desiderium divitiarum in pectore fovere:* Uti S. Apostolus insinuavit dicens: Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt Homines in interitum. *1 Tim.6. v.9.*

V. *Superfluas curas & sollicitudines de divitiis congregandis suscipere:* Unde divitiæ Pharaoni comparantur, quia cum eodem dicunt: Vacant & vociferantur dicentes; Eamus, & sacrificemus DEO nostro. Opprimantur Operibus, & expleant ea, ut non acquiescant verbis mendacibus. *Exod 5. v.9.*

VI. *Varias artes, modósque illicitos excogitare ad divitias acquirendas:* De quibus S. Gregorius locutus est dicens: De Avaritia, Proditio, Fraus, Fallacia, Perjuria, Inquietudo, & Violentiæ oriuntur. *S. Gregor. l.31. mor. c.31.*

VII. *Negare alijs debitam mercedem, victum, aut debitorum solutionem:* De quo actu Innocentius ait: Avarus largus in alieno, sed parcus in proprio, gulam evacuat, ut arcam adimpleat; corpus extenuat, ut lucrum extendat: Manum habet ad dandum collectam, sed ad recipiendum porrectam: ad dandum clausam, sed ad accipiendum apertam. *Innocent. de vilit. condit. hum.*

VIII. *Etiam sibi debitam sustentationem subtrahere:* Uti ex præcedenti testimonio Innocentij, & quotidiana experientiâ patet.

IX. *Erga pauperes & miseros cor obduratum gerere:* Quia, ut S. Thomas loquitur, cor Avari non emollitur, ut de divitiis subveniat miseris. *S.Thom. 2.2.q.118. a.8.*

## §. II.

## EX S. SCRIPTURA.

### *Qualitas.*

I. INfernus & Perditio nunquam impletur: Similiter oculi Hominum insatiabiles. *Prov 27. v.20.*

II. Avaro nihil est scelestius. *Eccl.10.v.9.*

III. Omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad Avaritiam suam à summo usque ad novissimum. *Isaia.56. v.11.*

IV. Avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos. *Eph.5 v.3.*

V. Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere, quia facient sibi pennas quasi Aquilæ, & volabunt in cœlum. *Prov.23. v 5.*

VI. Divitiæ, si affluant, nolite cor apponere. *Ps.61.v.11.*

VII. Videte, & cavete ab omni Avaritia: Quia non in abundantia cujusquam vita ejus est, ex his, quæ possidet. *Luc.12. v.15.*

VIII. Quid nobis profuit Superbia; aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia tanquam umbra. *Sap.5.v.8.*

### *Fuga.*

IX. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi Fures effodiunt, & furantur, ubi ærugo & tinea demolitur. *Matt.6. v.19.*

X. Divitibus hujus sæculi præcipe, non sublimè sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in DEO vivo. *1.Tim.6. v.17.*

XI. Nihil intulimus in hunc Mundum, haud dubium, quia nec auferre quid possumus: habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. *Ibid.v 8.*

XII. Sint mores sine avaritia, contenti præsentibus. *Hebr.13. v.5.*

XIII. Viro cupido & tenaci sine ratione est substantia, & homini livido ad quid aurum? *Eccl.14. v.3.*

### *Damnum.*

XIV. Conturbat domum suam, qui sectatur Avaritiam. *Prov.15. v 27.*

XV. Avari regnum DEI non possidebunt. *1.Cor.6. v.10.*

XVI. Ubi sunt, qui thesaurizant argentum & aurum, in quo confidunt Homines? ad Inferos descenderunt, & alij loco eorum surrexerunt. *Baruch.3. v.19.*

XVII. Nihil est iniquius, quàm amare pecuniam; hic enim Animam suam venalem habet. *Eccl.10. v.10.*

*Habac. 2. v. 6.* XVIII. Væ ei, qui multiplicat non sua. Usquequo aggravat contra se densum lutum? numquid non repente consurgent, qui mordeant te, & suscitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis?

*Eccl. 41. v. 1.* XIX. O mors, quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantia sua.

*Eph. 5. v. 5.* XX. Hoc scitote intelligentes, quòd omnis Fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est Idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Christi & DEI.

*Iac. 5. v. 3.* XXI. Agite nunc divites, plorate ululantes super miseriis vestris, quæ advenient vobis. Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra tineis obnoxia facta sunt. Aurum & argentum vestrum ærugine vinatum est, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & exedit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizâstis vobis iram in novissimis diebus.

*Matth. 19. v. 24.* XXII. Faciliùs est, Camelum transire per foramen acûs, quàm divitem intrare in regnum cælorum.

*Prov. 28. v. 22.* XXIII. Vir, qui festinat ditari, & aliis invidet, ignorat, quòd egestas superveniet ei.

## §. III.
## EX SS. PATRIBUS
### *Qualitas.*

*S. August. in Epist. ad comit.* I. Avarus vir inferno similis est. Infernus enim, quantoscumque devoraverit, numquam dicit: Satis est. Sic etsi omnes thesauri confluxerint in avarum.

*S. Ambros. de Naboth.* II. Inflammatur lucro Avaritia, & non extinguitur. Quasi gradus quosdam cupiditatis habet; & quò plures ascenderit, eò ad altiora festinat, unde fit gravis ruina lapsuro.

*S. Hier. in Serm.* III. Cùm cætera vitia senescente homine senescant, sola Avaritia juvenescit.

*Ibid.* IV. Avaro tam deest, quod habet, quàm quòd non habet: quia aut non habita concupiscit, ut habeat: aut habita metuit, ne amittat. Et dum in adversis sperat prospera, in prosperis timet adversa, huc illcicque quasi quibusdam fluctibus voluitur.

*Ibid.* V. Nihil aliud est Avarus, quàm Bursa Principum, Cellarium latronum, Rixa Parentum, Sibilus hominum.

*Innoc. de vil. cond. hum.* VI. Avarus nec patientibus compatitur, nec miseris subvenit, vel miseretur, sed offendit DEUM, offendit proximum, offendit seipsum; nam DEO detinet debita, proximo denegat necessaria, sibi subtrahit opportuna: DEO ingratus, proximo impius, sibi crudelis.

### *Damnum.*

*S. Aug. de lib. arbitr.* VII. Cùm Avaritia alicui dominatur, subjectus malis omnibus demonstratur, quia de Avaritia mala omnia & peccatorum omnium spinæ oriuntur.

*Idem de verbo Domini.* VIII. Quæ est ista aviditas concupiscentiæ, cùm & ipsæ belluæ habeant modum? tunc enim rapiunt, quando esuriunt; parcunt verò prædæ, cùm sentiunt satietatem. Insatiabilis est sola Avaritia divitum. Semper rapit, & numquam satiatur; nec Deum timet, nec hominem reveretur, nec Patri parcit, nec Matrē cognoscit, nec Fratri obtemperat, nec Amico fidem servat. Viduam opprimit, pupillum invadit, liberos in servitutem revocat, testimonium falsum profert, res mortui occupantur. Quæ est illa animarum insania, amittere vitam, appetere mortem, acquirere aurum, & perdere cœlum?

IX. Avarus hîc ardet æstu concupiscentiæ, ac multiplici curâ custodiæ, & postmodum ardebit igne gehennæ. Si potentiorem videt, timet raptorem: si inferiorem, timet furem: Infelix tanta patitur, quanta pati timet. *S. Greg. in hom.*

X. Divitiarū amor insatiabilis longè ampliùs torquet animam, quàm refrigeret usu suo, quarum acquisitio quidem laboris, possessio timoris, amissio plena doloris invenitur. *S. Bern. in serm. quod.*

XI. Qui pecuniæ servit, & præsentibus compedibus constringitur, & futuris paratur. *S. Chrysost. ho. 9. super Matth.*

XII. Beatus ille, qui post illa non abiit, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. *S. Bern. ep. 103.*

XIII. Cupiditas est transgressionis Mater, Magistra nocendi, Pumpila iniquitatis, Auriga malitiæ, Sicarius virtutum, seditionis origo, fovea scandalorum. *S. Basil. ho. in avar.*

XIV. Avari pecuniæ vilis est omnis affectio; & anima lucri cupida etiam pro exiguo perire non metuit: nullumq; est Justitiæ in illo corde vestigium, in quo sibi avaritia fecit habitaculū. *S. Leo in serm.*

XV. Avarus parricidali animo, aut Patris vitam increpat, aut Matris mortem exspectat: nam quisquis parentinæ mortis exspectatione animam pascit, parricidali crimine in hæreditate succedit. *S. Valerian. aut ho. 20.*

XVI. Usque ad mortem amor lucri se ingerit, nec vitæ Salvatoris quæstus desideriū parcit. *S. Cyprian. S. de jejun.*

XVII. Multi hodie Judæ scelus, quòd Dominum ac Magistrum, Deumque sum pecuniā vendiderit, velut immane & nefarium exhorrent, nec tamen, cavent; nam cùm pro muneribus falsum contra quemque dant testimonium, profectò quia veritatem pro pecunia negant. DEUM, qui veritas est, pro pecunia vendunt.

## §. IV.
## EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

I. Vanitas est, divitias perituras quærere, & in illis sperare. Vanitas est, diligere, quod cum omni celeritate transit, & illuc non festinare, ubi sempiternum gaudium manet. *lib. 1. c. 1. §. 4.*

II. Superbus & Avarus nunquam quiescunt. Pauper & humilis spiritu in multitudine pacis conversantur. *lib. 1. c. 6. §. 1.*

III. Noli concupiscere, quod non licet habere. Juvat enim non quælibet res adepta vel multiplicata exterius, sed potiùs contempta & præcisa ex corde radicitùs. *lib. 3. c. 27. §. 3.*

IV. Tene breve & consummatum verbum. Dimitte omnia, & invenies omnia: Relinque cupidinem, & invenies requiem. *lib. 3. c. 32. §. 1.*

## § V.
## EXEMPLA EXTERNA.

### *Qualitas.*

*Matth. 26.*

I. JUdas Iscariotes tantopere ab Avaritia occupatus & excæcatus est, ut proprium suum Magistrum, summúmque Benefactorem vendere non dubitârit.

*Spec. Ex. dist. 9. ex. 8.*

II. Avarus quidam moriturus copiosis lacrymis id unum deplorabat, quòd divitias suas deserere, aliísque relinquere cogeretur.

*S. Prosper l. de dono timoris.*

III. Alius quidam, cùm subita morte extinctus esset, ideóque Amici mortis causam indagaturi corpus aperiri jussissent, nullum cor habere deprehensus est; sed illud postea in cista pecuniarum inventum est, ubi Diabolus specie Draconis super illud sedebat, & in varias partes discerpebat.

*Tollenarius in Spec. Eccl. 8. c. p. 213.*

IV. In Belgio erat vir quidam, qui Filio centena aureorum millia pro hæreditate relinquebat, & tamen ipse seniculus frusto panis & casei onustus supra viginti milliaria pedes conficiebat. Cùmque ad hospitium divertisset, prolatis suis frustulis solummodo medium cerevisiæ poculum requirebat.

*Stengelius to. 3. de jud. c. 7. n. 4.*

V. Quidam collectis multis, ut eos servaret, in commune Valetudinarium inter Pauperculos recipi petiit, ibique pulmentis & olusculis victitavit.

*S. Ambros. l. de Nabath. c. 4.*

VI. Alius quidam ditissimus in agrum proficiscens, panes breviores urbe delectos numerare solebat, ut pro numero panis æstimaretur, quot dies in agro futurus esset. Panis unus singulis diebus deputabatur, qui tenacem vix satiare posset. Conquestus etiam, si quando ovum ei apponebatur, quòd pullus fuisset occisus.

### *Damnum.*

*Baron. to. 11. anno 1066.*

VII. Reginherus Misnensis Episcopus post refectionem in cubiculum, ubi thesaurum suum reconditum habebat, secedens, cùm quasi somnum capturus se inclusisset, sequenti die fractis cervicibus exanimis, ac thesauro suo incumbens repertus est.

*Spec. Ex. dist. 6. ex 84.*

VIII. Usurarius quidam cùm sepeliri se cum sacculo pecunia pleno curâsset, aperto sepulchro Dœmones sub Bufonum specie visi sunt cor ejus pecuniâ implere.

*S. Greg. Turon. de glor. Mart. c. 106.*

IX. Mulier quædam simulatæ sanctitatis cùm aurum pauperibus elargiendum iniquè congregâsset, illúdque post mortem Episcopus super corpus exanime in sepulchrum conjici jussisset, aurum quasi in fornace resolutum in os mulieris cum flamma sulphurea fluere visum, ipsáque lamentabili ejulatu se ab auro vehementissimè uri, conqueri audita est.

*Baron. to. 7. ann. 553.*

X. Quidam æger cùm triginta auri libras Pauperibus distribui jussisset, ideóque subitò convaluisset, pœnitentiâ facti ductus amico suo dolorem aperuit, qui promisit, se omnem ei pecuniam restituturum, si in templo coram Altari diceret: Domine, non ego, sed iste dedit Eleemosynam. Cùm autem consensisset alter, vix templo egressus concidit exanimis, & periit.

*Vita PP. l. 10. c. 77.*

XI. Cæcus quidam aliis duobus cæcis narravit, se, quòd mortuum quempiam ita expoliare voluerit, ut ne linteum quidem, quo tegeretur, relinqueret, ab eo apprehensum, & duobus oculis privatum esse.

## VI.
## EXEMPLA DOMESTICA.

*Vita.*

I. S. Ignatius tantopere aversabatur hoc vitium, ut, quò eidem aditum in Societate occluderet, per triginta dies deliberârit, an domibus Professis jus aliquod ad stabiles redditus templi relinquere vellet, & tandem in negativam partem se resolverit. Ob eandem causam etiam vetuit, ne quicquam pro muneribus acciperet Societas.

*Vita l. 1. & 2.*

II. S. Franciscus Xaverius licet plurima, eáque magnifica munera eidem sæpe à Regibus, aliísque opulentis Personis offerebantur, magno tamen animo semper repudiabat. In navi, licet omnia à Prætore illi abundè fuissent suppeditata, non nisi mendicatò vivebat. Quæ verò Eleemosynæ nomine offerebantur, continuò in Pauperes & infirmos distribuebat.

*Hist. Soc. l. 3. 1. 38.*

III. P. Petrus Faber nondum conditis Constitutionibus proprio voto se devinxit, nunquam se quidquam pro Spiritualibus functionibus accepturum, ac ne annuis quidem fructibus liberaliter usurum, nisi à potestatem habente cogeretur, quod ille votum inter magna DEI dona numerabat. Idem Moguntiâ discedens, cùm ei Cardinalis Archiepiscopus speciosa munera obtulisset, ea remisit dicens, se non ex iis esse, qui argenteam suppectilem, sed, qui omnia sua secum portarent. Altera autem die cùm ei Cardinalis ipse in Breviarij thecam centum florenos injecisset, accepit quidem, ne tantum Antistitem contemnere videretur, sed omnes statim in Socios Lovanienses summa in egestate viventes, vel in Pauperes, aliósque pios usus erogavit. *Ib. n. 91.*

*Hist. Soc. 1. l. 10. n. 94.*

IV. P. Jacobus Laynes in expeditione Africana nihil unquam de conquisitis à se pro ægrotis subsidiis usurpabat: Nihil unquam ab aliis in gratæ memoriæ monimentum oblatum accepit, quod eum in magna veneratione apud omnes posuit.

V. P. Aaroz cùm aliquando in Hispania concionatus fuisset, finita concione pro consuetudine loci magnam ei pecuniæ vim obtulêre, in qua repudianda ita certatum fuit, ut populus ad strepitum altercantium accurrent, qui re cognita non sine secunda admurmuratione discessit. Cùm deinde celebris quidam Concionator diceret Dominicano cuipiam, docto & pio, Patres Societatis magnum facturos fructum, si universi in hoc concionandi modo convenirent, subjecit Dominicanus: Non in hoc rei summa vertitur, sed in eo, ut universi conveniant in factis, Deique verbo gratis ubique evulgando: facilè dein, quantùm ad pietatem opus erit, in dictionis formâ conventuros.

Plura

Plura vide in part. 1. De virtute Paupertatis §. VI.

## §. VII.

## EXEMPLA PROFANA.

*Qualitas.*

*Evagr. l. 4. c. 49.* I. JUstinianus Imperator tam inexplebili avaritia fuit accensus, ut omnia subjectorum bona his, qui Magistratus administrabant, ac tributa colligebant, aut nulla de causa insidias hominibus struere volebant, ob auri amorem vendiderit. Hinc innumerabiles, causâ falsâ confictâ, omnibus suis bonis mulctavit.

*Zonaras to. 3. in Nicephor.* II. Crumus Rex Bulgarorum, quia non poterat à Nicephoro Imper. Constantino, politano pacem obtinere, nisi iniquissimis conditionibus, irâ accensus cum paucis militibus eum aggressus vicit, & caput ejus abscindi, craniumque poculi in morem auro obduci voluit, ut vel sic alij sitim extinguerent illo capite, cujus avaritiæ sitis sedari non poterat.

*Niceph. hist. l. 18. c. 40.* III. Mauritius Imperator cùm paucis nummis magnam militum manum è captivitate liberare potuisset, ex avaritia occidi illos permisit. Unde omnem occisorum turbam noctu contra se coram Christo Judice exurgentem, & avaritiam ejus decusantem vidit, justóque DEI judicio damnatus, cum uxore & omnibus liberis capite plexus est.

*Marchant. in Tuba Pastor. tract. 2. lect. 8.* IV. Cùm Jurisconsultus quidam injustæ causæ Patrocinium suscipere nollet, sollicitatot multos aureos, quibus Bellatorum cataphractæ imagines impressæ fuerant, obtulit; quibus visis Jurisconsultus, Eheu, inquit, captivum me tenes; quis enim tot armatis resistet?

*Suetonius c. 42. vit.* V. Caligula Imperator tantopere auro & argento delectabatur, ut sæpiùs in thesauris suis cum magna voluptate se volutaret.

*Vibar in Dom. 16. post Pent. conc. 4.* VI. Caliphas Babylonis Rex turrim habebat auro, argento, & lapidibus pretiosis refertam, & tamen obsidione cinctus perire maluit, quàm thesauro aperto milites evocare ad defensionem. Unde captus, & eidem turri inclusus fame periit cum hac objurgatione: I nunc, & famem depelle thesauris tuis, quos tam avidè sitisti.

*Ibid.* VII. Tomyrus Scytharum Regina Cyro Persarum Regi à se cæso aurum in os infundi, & dici jussit: Aurum sitisti, aurum bibe.

*Fuga Avaritiæ.*

*Laert. l. 6.* VIII. Crates Thebanus suas divitias in mare abjecit dicens: Abite pessum malæ cupiditates: ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis.

*Solinus c. 30.* IX. Babytaceni repertum aurum defodiebant, ne ejus usu polluti æquitatem corrumperent.

*Balth. Chavassius l. 4. de Prud. c. 2.* X. Princeps quidam tantum malum credebat Avaritiam esse, ut, si improbis subditis suis longam & magnam creare molestiam vellet, divites eos faceret, quippe cum divitiis ingentem curarum sarcinam accepturos.

## §. VIII.

## SIMILITUDINES.

*Qualitas.*

I. SIcut Infantes & Pueri magis amant unum pomum quàm totum regnum; ita Avari pluris faciunt parvam terræ particulam, quàm integrum regnum cœleste. *Stapleton. s. in Dom. 4. post Pent.*

II. Sicut Anguilla, quò magis stringitur, eò minus tenetur; sic terrenæ divitiæ, quò arctiùs eas amplectimur, eò minùs nostræ sunt. *Ibid.*

III. Sicut Talpa fodiens terram supra se congerit; ita Avarus terram effodiens & coacervans, eam supra se ponit, id est, Dominum suum constituit. *Ibid.*

IV. Sicut is, qui cacumen altissimi montis ascendere cupit, ineptissimè ageret, si multis oneribus humeros gravaret, ita non minùs stultè agit, qui altissimum cœlum conscendere volens, divitiis terrenis se onerat. *Idem them. 3 in Dom. 14. post Pent.*

V. Sicut, qui metallis effodiendis operam dant, possimùm aliis laborant, sibi autem vix paucos nummos lucrantur; ita avari Posteris potiùs, quàm sibi in divitiis coacervandis laborant. *S. Chrysost. ho. 50. S. Mat. S. 12.*

VI. Sicut, qui Hydrope laborant, quò magis bibunt, eò plùs sitiunt; ita avarus, quò plùs acquirit, tantò plùs desiderat.

VII. Sicut Custos in vinea erigit sibi umbraculum, ut custodiat non suas, sed alienas vites, (ipse enim vix delibat uvas) ita Avarus quoque summâ curâ & anxietate custodit thesaurum suum, non sibi, sed aliis, cùm ipse vix modicum de eo sumere audeat. Unde Job ait: Ædificavit sicut Tinea domum suam (id est, ut, dum ædificat, destruat) & sicut custos fecit umbraculum. *Job. 27. v. 18.*

VIII. Sicut, Viator stultus foret, si itinere jam propè finito de magno Viatico angeretur; ita non minùs ineptit, qui, cùm cras fortè moriturus sit, de bonis hìc accumulandis sollicitus est. *Senec. l. de mor.*

IX. Sicut hi, qui per insaniam mente abalienati sunt, non jam res ipsas, prout sunt, aspiciunt, sed prout Phantasia easdem repræsentat; ita mens avari vinculis cupiditatis adstricta semper aurum & argentum credit se tractare etiamsi alia negotia tractet. *S. Ambros. super Luc.*

X. Sicut Absalon capillis in arbore suspensus est, Mulo aufugiente; ita avarus in fine vitæ à suis possessionibus deseritur, ipso miserè intera per cupiditates suos pereunte. *Granat. in loc. com.*

XI. Sicut vas vino oppletum & occlusum, etiam laxato Epistomio; guttam non emittit, ita avarus divitiis repletus nec obolum dat pauperibus, quia vacuum, id est, defectum & inopiam pati timet. *Engelgrav. p. 2. cæli in festo S. Matthæ. §. 3.*

XII. Sicut Porcus non nisi post mortem aliis est utilis; ita avarus in vita inutilis est omnibus, post mortem pluribus omnia sua relinquens prodest. *S. Bonav. in diæta Salut. tit. 8. c. 14.*

*Damnum.*

*Stapl. text. 5. in Dom. 2. post Pent.* XIII. Sicut viscus utramque Aviculæ alam constringit, ut sursum ferri nequeat; ita Cupiditas Intellectum & Voluntatem detinet Avari, ne sursum feratur.

*S. Chrysost. ho. 7. in avar.* XIV. Sicut flumina ex parvis initiis exeuntia, paulatim incrementum intolerabile in progressu accipientia, demum impetu violento, quidquid objicitur, secum trahunt; ita avari potentes, quò magis crescunt, eò magis opprimunt, & per oppressorum ruinas ad alios opprimendos feruntur.

*Stapl. text. 3. in Dom. 14. post. Pent.* XV. Sicut terra, quæ aurum ex se producit, ad cætera omnia sterilis est; Sic Anima auri cupida ad nihil aliud, nisi ad illud coacervandum, utilis est.

*Ibid.* XVI. Sicut Navis pretiosis mercibus onusta, dum in mari fluctuat, jucundissimum est Domino spectaculum; at in portum delata, mercibus spoliatur, & nihil nisi fæces & sordes retinet; ita avarus in hoc mundo plenus divitiis, secundo vento navigare videtur, sub mortis horam autem spoliatus terrenis opibus, cum suis peccatis & sordibus nudus manet.

*Stapl. text. 2. in Dom. Sept.* XVII. Sicut Luna non patitur Eclypsim, nisi cùm plena est, & tunc maximè distat à Sole; ita homo tunc maximè obscuratur, & à DEO recedit, cùm divitiis plenus est.

*Ibid.* XVIII. Sicut Aspis, ne vocem Incantatoris audiat, alteram aurem caudâ, alteram terrâ obtegit; ita Avarus, ne vocem Dei ad conversionem vocantis audiat, utramque aurem, Intellectum scilicet & voluntatem cupiditate divitiarum occludit.

*Faber. conc. 4. in Dom. 16. post Pent.* XIX. Sicut Mercurius seu argentum vivum naturali inclinatione auro & argento se sociat, támque firmiter ea apprehendit, ut non nisi per vehementem ignem seperari queat, & tunc ipse in fumum abit; ita Avaritia ad aurum & argentum quidem quærendum impellit, sed ubi hæc acquisita sunt, ipsa in fumum abit, & evanescit.

*Hector Pintus in cap. 3. Daniel.* XX. Sicut vermiculus sericus gignit ex se fila quædam, ex quibus conficit folliculum, in quo reconditus moritur; ita dives cupiditate & Avaritia ductus ex suis opibus sepulchrum sibi in Inferno construit, & parat.

*March. in tuba Sacerd. tr. 8. lect. 10.* XXI. Sicut Araneus seipsum éviscerat prò inani telâ texendâ, & tandem per scopam convolvitur, & in ignem mittitur; ita Avari per labores inutiles seipsos consumunt, & tandem in ignem Infernalem præcipitantur.

*S. Chrysost. ho. 39. in Matth.* XXII. Sicut mare sine fluctibus nunquam conspicitur; ita Avarus nunquam sine sollicitudine, tremore, curis, periculis invenitur, cùm antè, quàm priora componat, posteriora succedant.

*S. Chrysost. Conc. 1. de Laz.* XXIII. Sicut, si quis videret Latronem aliis per silvas transeuntibus insidiantem, spoliantem & mactantem, haud dubiè non beatum ac miserum prædicaret propter scelerum gravitatem, & supplicij subeundi periculum; ita nec Avari, licet nondum in manus Judicis venerint, quia tamen cerò venturi, gravissiméque æternis suppliciis castigandi sunt, felices, sed potiùs summa commiseratione digni censendi sunt.

## §. IX.

## MOTIVA.

I. Quia *Avaro nihil est scelestius*, atque adeò nihil abominabiliùs apud Deum, teste Siracide; & meritò quidem. 1. Quia Animam propriam venalem habet. 2. Quia Deum ipsum cum Juda pro pecunia vendit. 3. Quia in plurima alia scelera, præsertim contra fraternam caritatem & Justitiam commissa præcipitat. 4. Quia est Idolorum servitus, dum Aurum & Argentum pro Diis habet, & adorat. *Eccl. 10. v. 9.*

II. Quia *Vanissimus est labor Avari*, sicut Aranei, cùm modico tempore divitiis frui possit, meritóque brevi auditurus sit illud Christi: Stulte, hâc nocte animam tuam repetent à te; & quæ parâsti, cujus erunt? Hinc Salomon, quid prodest stulto habere divitias, cùm sapientiam emere non possit? Et iterum: Quid prodest Possessori, nisi quòd cernat divitias oculis? Neque enim proderunt divitiæ in die ultionis. *Luc. 12. v. 20.* *Prov. 17. v. 16.* *Eccl. 10. v. 10.* *Prov. 11. v. 4.*

III. Quia *Mille curarum & afflictionum causa est Avaritia*; Quis autem ultro se in spinas conjiciat, & inter illas miseram & doloribus refertam vitam vivere cupiat? Quis sitì perpetua vexari quàm modico potu contentus esse malit? Atqui nunquam satiari novit cupiditas, teste S. Isidoro; semper enim avarus eget, quantóque magis acquirit, tantò plus quærit: nec solùm desiderio augendi cruciatur, sed etiam amittendi metu afficitur. *S. Isid. l. 2. de sum. bon. c. 41.*

IV. *Quia Avaritia est morbus propè incurabilis*; Quemadmodum enim, qui acutæ bilis fervore febricitant, non solùm non extinguunt ardorem potu, sed magis accendunt; & Ebriosi, quò plùs potui indulgent, tantò magis augent sitim; ita avari, quò plura possident, tantò plura cupiunt, atque adeò nunquam curantur, nisi, quod rarissimum & difficillimum est, divitias contemnant, & abjiciant.

V. *Quia in manifestum salutis amittendæ periculum præcipitat ob restitutionis difficultatem*; ut enim qui profundo luto immersus est, vix spem concipere potest emergendi; ita nec Avarus divitiis immersus facilè emerget, nisi potentiori à manu extrahatur. Hinc Abacuc clamat: Væ ei, qui multiplicat non sua. Usquequo aggravat contra se densum lutum? Et Christus: Quàm difficile est confidentes in pecuniis in regnum DEI introire. Et S. Paulus: Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. *Habac. 2. v. 6.* *Marc. 10. v. 24.* *1. Tim. 6. v. 9.*

VI. *Quia nihil homine indignius, quàm opibus inhiare*; Quid enim aurum, argentum, margaritæ sunt nisi terra aut lapis? Quàm turpe autem est, his cor affigere? Hinc rectè Seneca dixit, ipsam naturam nos ab hoc vitio absterrere, dum nulli vitio nos conciliat, sed integros ac li- *Senec. ep. 96. ad Lucil.*

ac Liberos genuit. Neque aliquid, quod Avaritiam irritaret, in aperto posuit. Pedibus enim aurum & argentum subiecit, calcandúmque ac premendum dedit; vultus autem nostros in cælum erexit.

## §. X.

## MEDIA.

*S. Bern. in serm. sexag.*

I. AD *veras & cœlestes divitias animum adjicere:* ita S. Bernardus suasit: Fratres, si divites esse cupitis, veras divitias amate. Veræ divitiæ sunt non opes, quas Mundus offert, sed virtutes, quas animus possidet. *Matt. 6.* Hinc & Christus monet, has præ aliis quære, ut quas nec fures effodiunt & furantur, nec tinea & ærugo consumit.

*S. Greg. ho. 32. in Ev.* *S. August. de conflict.*

II. *Brevitatem vitæ perpendere:* nam, ut S. Gregorius ait, longa nostra desideria interrupit vita brevis. In cassum multa portantur, cùm juxta est, quò pergitur. Et S. Augustinus confirmans, Avaritiæ morbus, inquit, nunquam meliùs compescitur, nisi cùm dies mortis sine oblivione meditatur.

*Matt. 6. v. 34.* *Ps. 22. v. 1.*

III. *Regnum DEI, & Iustitiam ejus ardenter quærere;* sic enim radix Avaritiæ, scilicet timor inopiæ, & indigentiæ tollitur, cùm vera sit promissio Christi asserentis, talibus omnia necessaria adjectum iri, uti S. David expertus est dicens: Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco Pascuæ me collocabit.

*S. Aug. super Ps.* *Cass. l. 7. c. 1.* *S. Greg. l. 30. mor. c. 16.*

IV. *DEI Amorem augere:* nam, teste S. Augustino, augmentum caritatis est imminuno cupiditatis. Si DEUM amemus, inquit, numos omnino non amabimus. Erit tibi nummus instrumentum peregrinationis, quo utaris ad necessitatem, non ad irritamentum cupiditatis, quo fruaris ad delectationem. Utere mundo, non te teneat Mundus: quò intrâsti, iter age: existi, non mansurus. Certè Cassianus ait, hoc vitium nasci ex torpidæ mentis ignavia; cùm juxta S. Gregorium Avaritia non soleat evenire illis, qui in via Domini viriliter currunt, quibus dicitur: Viriliter agite, & confortetur cor vestrum; Sed his maximè, qui effeminato gressus gradientes per blandimenta seculi resolvuntur.

*S. Ambros. super Lucam.* *S. Gregor. Past. p. 3. c. 21.*

V. *Exitum Avaritiæ funestum frequenter meditari:* cur enim, quæ ad usum diuturna esse non possunt, ad supplicium diuturna deposcas? inquit S. Ambrosius, cave insidias, cave fraudes; nam avarus, teste S. Gregorio, more avium captus, cùm escam rerum terrenarum avidè conspicit, quo strangulctur peccati laqueo, non agnoscit.

*S. Ambros. c. 7. de Naboth.* *Luc. 16. v. 9.*

VI. *Pauperibus dare divitias & sic in Patriam præmittere:* quid enim hoc melius bono, inquit S. Ambrosius, si pauperibus largiaris, in quo tibi DEUM debitorem quâdam Pietatis fœneratione constituas? Hinc ipse Christus suasit, facere amicos de mammona iniquitatis.

*Rosign. l. 2. de discipl. c. 16.*

VII. *Christi inopiam frequenter perpendere:* quid enim indigniùs quàm ut servus abundet divitiis, Domino summam indigentiam patiente? quid absurdiùs, quàm ut Discipulus magnifaciat opes, quas Magister suus sapientissimus verbo & opere spernendas esse docuit.

*Stob. s. 8. injust.* *Eccl. 31. v. 25.*

VIII. *Evomere divitias animum gravantes:* sicut enim ei, qui stomachum gravatum sentit, suadent Medici, ut Medicinam ad vomitum provocantem sumat; ita & avaro nihil ad avaritiæ lanimentum magis prodest, quàm si pecunias minuendo evomat. Hinc Plato cuidam pecuniis cumulandis semper intento dicebat: O improbe, ne possessioni augendæ studeas, sed cupiditati minuendæ: Sibi ergo applicet Avarus Spiritus S. Consilium per Siracidem datum: Si coactus fueris (à tuis cupiditatibus) in edendo multùm, surge è medio, & vome, & refrigerabit te, & non adduces corpori (& animo) tuo infirmitatem.

## §. XI.

## ASCETICA.

*Hugo. l. de claust.*

I. TRia sunt, quæ de hoc Vitio Avaritiæ specialiter nôsse debet Asceta. 1. Quibus potissimùm modis committatur, nimirum quatuor illis, quos Hugo sequentibus verbis indicavit: Quatuor sunt in rebus possessis observanda, ne licita injustè quæramus; aut injustè acquisitis illicitè fruamur: ne multa quamvis licitè possideamus: ne licita illicitè defendamus. Malè enim acquirere, aut malè uti acquisitis, de licito facit illicitum, multa sibi possidere propinquum est cupiditati; & sic quandóque, quod nimium diligitur, malè defenditur.

*S. Greg ho. 36. in Ev.* *1. Cor. 7. v. 29* *Staplet. text. 5. in Dom. 19. post. Pent.*

II. Nôsse pariter debet, modum legitimè & cum fructu etiam spirituali rebus possessis utendi, quem quidem S. Gregorius pulchrè indicavit dicens: si cuncta Mundi relinquere non potes, sic tene, quæ hujus Mundi sunt, ut per ea non tenearis: ut terrena res possideatur, non possideat. Sit res temporalis in usu, æterna in desiderio; hæc ut in itinere, illa ut in termino. Quasi ex latere aspiciatur, quidquid in hoc mundo agitur. Ante nos autem tota mentis intentione spectemus illa, ad quæ tendimus. Nam & omnia retinendo relinquimus, si sic temporalia gerimus, ut tamen totâ mente ad æterna tendamus. Et hoc est, quod Apostolus suasit dicens: Reliqnum est, ut, qui Uxores habent, tanquam non habentes sint: & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur. Sicut enim is, qui in aqua submergitur, periculo caret, quamdiu caput extra aquas liberum tenet; sic qui divitiis circumdati & immersi sunt, periculo vacant, quamdiu caput liberum est, seu cor non adhæret.

*S. Prosper l. 2. de vit. contempl. c. 16.*

III. Nôsse debet solidum modum avaritiam extirpandi, quem S. Prosper sapienter præscripsit, dum dixit: Quem possidendi delectat ambitio, DEUM, qui possidet omnia, quæ creavit, expedita mente possideat, & in eo habebit, quæcunque in eo sanctè habere desiderat. Sed quoniam nemo possidet DEUM, nisi qui possidetur à Deo, sit ipse primitùs possessio, & efficietur ejus Deus possessor & portio. Et

quid poteſt eô eſſe felicius, cui efficitur conditor cenſus, & hæreditas ejus dignatur eſſe ipſa Divinitas? Quid ultra quærit, cui omnia ſuus Conditor fit? aut quid ei ſufficit, cui ipſe non ſufficit?

## §. XII.

## CONCEPTUS PRÆDICABILES.

*Matt. 4 v. 7.* I. EX occaſione thematis: *Aliud cecidit in ſpinas:* Divitiæ ſpinis comparari poſſunt. 1. Quia ad illas perinde, ac ad ſpinas acceſſus eſt difficilis & periculoſus; vix enim ſine læſione conſcientiæ accedunt homines ad illas; hinc Salomon ait: *Prov. 28. v. 20.* Qui feſtinat ditari, non erit innocens. 2. Quia ſicut ſpinæ ſunt receptaculum venenatorum animalium; ita Diabolus, teſte S. Chryſoſtomo, *S. Chryſoſt. ho. 9. in Epiſt. ad Rom.* veluti ſub ſpinis occultatur intra divitiarum impoſturam aſſiduè lantans; radix omnium malorum cupiditas. 3. Quia ſicut ſpinæ dolorē inferunt, cùm infiguntur, & cùm infixæ manent, & maximè cùm extrahuntur; ſic divitiæ cruciant, dum acquiruntur, poſſidentur, & amittuntur. 4. Quia ſicut ſpinæ in extremitate maximè pungunt; ita divitiæ in ultima poſſeſſione ſeu mortis tempore maximè pungunt; tunc enim verificatur illud Eccleſiaſtici: *Eccl. 41, v. 1.* O mors, quàm amara eſt memoria tui homini pacem habenti in ſubſtantia ſua. 5. Quia ſicut qui ſpinas laxâ & aperta manu tenet, illarum non pungitur aculeis; Secus verò ſi manum contrahat; ita nec divitiæ nocent, ſi liberali & cautâ manu in proximos dividantur; ſecùs verò, ſi arctiùs quàm par eſt, contingantur. 6. Sicut ſpinæ ſuffocant ſemen in illas cadens; ita divitiæ Verbum DEI, & inſpirationes divinas infructuoſas efficiunt. Vide Stapplet. text. 2. in Sexag. Item Fabrum conc. 2. in Sexag.

II. Ex occaſione thematis: *Avarus, quod eſt Idolorum ſervitus, non habet hæreditatem in regno Chriſti & DEI:* *Eph. 5. v. 5.* poteſt oſtendi gravitas & turpitudo avaritiæ ex eo, quòd ſit idolorum ſervitus. Nam 1. Frui volunt nummo, uti autem DEO (quemadmodum S. Auguſtinus loquitur) *S. Auguſt. l. 21. de Civ. c. 25.* quoniam non nummum propter Deum impendunt, ſed Deum propter nummum colunt. Hinc Pecuniæ dicunt, DEUS meus, & omnia. 2. Quia Pecuniæ obediunt perinde, ut Idololatræ ſuis Diis; imò magis, nam, ut S. Chryſoſtomus advertit, *S. Chryſoſt. ho. 64. in Matt.* Idolis non omnia parent, huic verò omnia, & quodcunque faciendum ſuggerit, obſequuntur. Quid dicit Avaritia? Eſto omnibus inimicus, obliviſcere naturam, contemne Deum, ſacrificium te mihi offer. Dicto citiùs parent. 3. Quia Idolis tantùm boves & oves, per avaritiam verò animæ ſacrificantur, quo ſacrificii genere nihil eſt Bacchicū magis, nihil inſaniùs, inquit idem Sanctus. Hinc S. Auguſt. ait: *S. Aug. l. 1. de civ. cap. 12.* Juppiter pecunia vocatur, quòd ejus ſint omnia. O magnam rationem divini nominis! Sed nimirum hoc Avaritia Jovi nomen impoſuit, ut, quiſquis amat pecuniam, non quemlibet DEUM, ſed ipſum Regem omnium ſibi amare videatur. Vide Eogelgrav. in Cœli Emp. p. 2. in Feſto S. Matthæi. §. 2.

III. Ex occaſione thematis: *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* *Matt. 26. v. 15.* comparari poteſt Avaritia cum venditione Chriſti, imò dici, majus eſſe ſcelus ex multis capitibus. 1. Ex parte *Venditi*; quia Judas vendidit adhuc mortalem, & in exilio viventem; avarus autem glorioſum, & in Patria jam triumphantem vendit. 2. Ex parte *Vendentis*: Quia Judas nondum erat redemptus, quando eundem vendidit: avarus autem ſcit, quantum beneficium ei Chriſtus per redemptionē exhibuerit, & tamē hoc non obſtante eum turpiſſimè vendit. 3. Ex parte illius, *cui vendit*; nam Judas tantùm Judæis, Avarus autem Dæmoni eum vendit, dum ad ejus inſpirationem Deum ex corde ſuo dimittit, ut modicam pecuniam lucretur. 4. Ex parte *pretii*: nam Judas triginta ſaltem argenteis vendidit; avarus autem etiam pro uno interdum nummo eundem vendere non erubeſcit. 5. Ex parte *temporis*: nam Judas ſemel tantùm vendidit; avarus autem ferè quotidie, imò aliquoties etiam in die, & horâ. Si ergo Judas propter unicam venditionem & traditionem tam gravi pœna multatus eſt, ut infimum in Inferno locum habere per revelationem ſit cognitus; quantam timere debebit, qui toties & cum talibus circumſtantiis vendidit? Hortare proin, ut illa Chriſti Verba: Amice, ad quid veniſti? ſibi dicta putent, & meliùs, quàm Judas perpendentes, à tam ſcelerata & turpi venditione deinceps abſtineant. Vide Eogelgrav. in p. 2. Cæli Empyrei in Feſto S. Matthæi §. 2.

IV. Ex occaſione thematis: *Radix omnium malorum eſt cupiditas:* *1. Tim. 6. v. 10.* oſtendatur, quàm meritò Avaritia radix omnium vitiorum ſit origo. 1. Quia ſicut per radicem planta ſuſcipit nutrimentum; ita vitia per avaritiam & cupiditatem nutriuntur, uti benè S. Jacobus indicavit, dum dixit: *Jac. 4. v. 1.* Unde bella & lites in vobis? nonne hinc? ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris. 2. Quia ſicut radix magis ſe ſemper dilatat, & firmat in terra; ita & avaritia plures ſemper divitias appetit, & firmior per illarum amorem & poſſeſſionem efficitur. 3. Quia ſicut Radix deorſum ſemper tendit; ita & avaritia ſemper magis inferno appropinquat. 4. Quia ſicut radix nullibi, niſi in terra, ſubſiſtere & creſcere poteſt; ita & avaritia non niſi in auro & argento, quæ nihil aliud, quàm terra ſunt, ſedem habet. Hortare ergo, ut ſecurim ad hanc radicem ponant, & cum ea totam arborem malitiæ excidant.

V. Ex occaſione thematis: *Hic diffamatus eſt, quaſi diſſipâſſet bona ipſius:* *Luc. 16. v. 1.* oſtendi poteſt, quòd Avari ſint maximi diſſipatores bonorum. 1. Quia diſſipant bona *Fortunæ*; nam, teſte Salomone, *Prov. 13. v. 11.* ſubſtantia feſtinata (qualis ſunt vel maximè divitiæ avarorum) minuetur; quæ autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur.

2. Quia

2. Quia dissipant bona *Corporis*: nimirum sanitatem, robur, speciem, & quandoque ipsam vitam, quæ per avaritiam amitti quotidiana experientia docet. 3. Quia dissipant bona *Animæ*: tum naturalia, ut sunt memoria, intellectus, voluntas, ac aliæ potentiæ, quas inutilibus operibus, puta opibus cumulandis occupat: tum moralia, qualia sunt quies animi, fama, Amicitia, cùm ejusmodi homines omnibus exosi sint. 4. Quia dissipant etiam bona supernaturalia *Gratiæ* & *Gloriæ*: dum toti sunt in divitiis cumulandis, nihil admodum de salute sua & meritis augendis solliciti. Hinc Adolescens ille Evangelicus ad thesaurum in cœlo comparandum à Christo stimulatus, abiit tristis, quia habebat multas possessiones. Vide Fabrum conc. 1. in Dom. 8. post Pentec. *Matth. 19. v. 22.*

VI. Ex occasione thematis: *Et ecce quidam Homo hydropicus erat ante illum*: potest Avaritia Hydropi comparari. 1. Quia sicut Hydropicus perpetua siti vexatur, & ideo quamvis aquam aut alium potum arripit; ita avarus continuâ sui divitiarum urgetur, & quodvis etiam vilissimum lucrum avidissimè amplectitur. 2. Quia sicut Hydropicus, quò plùs bibit, eò plùs accenditur; sic & avarus, teste S. Gregorio, ex potu sitim multiplicat, quia cùm ea, quæ appetit, adeptus fuerit, ad appetenda alia amplius anhelat. 3. Quia sicut Hydropicus cum grandi suo damno bibit, dum omnis potus haustus in corruptum humorem mutatur; ita & avarus omnes, quas acquirit divitias, in perniciem suam convertit. 4. Quia sicut Hydropicus graves ab aqua inclusa & nimio humore cruciatus patitur; sic & avarus à divitiis, teste quotidiana experientia. 5. Quia sicut Hydropicus plùs semper bibendo, mortem sibi accelerat; ita & avarus, quò plùs cumulat divitias injustè, tantò magis inferno ac morti sempiternæ appropinquat. Vide Fabrum. Conc. 4. in Dom. 16. post Pentec. *Luc. 14. v. 2.* *S. Greg. l. 14. mor. c. 6.*

VII. Ex occasione thematis: *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te, & quæ parasti, cujus erunt*: ostendi potest multiplex stultitia Avarorum. 1. Quia felices esse cupiunt, & medium arripiunt, quo summè miseri & infelices reddantur. 2. Quia diversorium, in quo vix per horam hospitabuntur, amplissimè & abundantissimè instruere satagunt, & de Domo, in qua perpetuò habitaturi sunt, benè instruenda nihil sunt solliciti. 3. Quia aliis, non sibi laborant; quæ autem major stultitia, quàm sibi mortem & supplicium æternum, idque inexplicabile procurare, ut alteri pauculas in hac vita opes fluxas & noxias relinquam? 4. Quia portam arctam, per quam ad æternam felicitatem intrandum est, divitiis onusti & gravati ingredi volunt, cùm tamen Christus eas potiùs abjiciendas esse docuerit. Vide plura de hac materia apud Engelgrave in Cœlo Empyr. p. 1. die 2. Bacchanal. Item Panarium. Busæi v. Avaritia n. 7. *Luc. 12. v. 20.*

VIII. Ex occasione thematis: *Divitiarum jactantia quid profuit nobis? transierunt omnia tanquam umbra*: potest Avaritia umbræ comparari. 1. Quia sicut umbra lumen, sic ipsa illustrationes & inspirationes cælestes Animæ impedit. 2. Quia calorem caritatis reprimit, planèque extinguit, ut umbra calorem solis. 3. Quia sicut umbra sterilitatem in frugibus, sic ipsa in bonis operibus inducit. 4. Quia Diaboli & vitiorum habitatio est, sicut umbra Serpentium & Colubrorum. 5. Quia sicut umbra somnum provocat; sic illa obdormire facit Animam in Pietatis & virtutis studio. 6. Quia sicut umbra celeriter transit; ita & Avaritia cum bonis, quæ promittit. Unde exclamare cogentur Avari cum Davide: Dies mei sicut umbra transierunt. *Sap. 5. v. 8.* *Ps. 101. v. 12.*

## §. XIII.

## MISCELLANEA.

### *Qualitas.*

I. Cain legitur primus ædificâsse civitatem, sed non Abel, quia sancti non habent hic manentem civitatem, sed futuram inquirunt. *Genes. 4.*

II. Semiramis Regina sepulchro suo inscribi jussit: Si quis Rex pecuniâ indiget, hoc Monumentum diruat. Cùm ergo Darius cupiditate pecuniæ allectus, sepulchrum aperiri jussisset, nihil nisi hæc verba scripta invenit: Nisi esses insatiabilis, sepulchrum mortuorum non attingeres. *Stelianus apud Marc. ch. tr. 2. Tub. Post lect. 3.*

III. Quod quidam de Magnatibus cecinit: pariter omnibus Avaris applicari potest:

Cuncta trahunt ad se Magnates aurea, sicut
Magnetes ad se ferrea cuncta trahunt. *Ibid. Lect. 9.*

IV. Turoni cùm Rex Galliæ Ludovicus IX. culinam sub habitu nobilis communis intrâsset, & Adolescentem veru vertentem quæsiisset, quantùm lucraretur? audivit respondentem: Lucror tantùm, quantùm Rex ipse. Cùmque Rex iterum quæreret: Quid ergo Rex lucratur? Iterum ille respondit: Victum & Amictum; tantundem & ego. Sed ille à DEO, ego verò ab eo, dum illi inservio. Quo responso Rex delectatus, eum postea ad honores evexit. *Ibidem Lect. 11.*

V. Rectè cecinit Horatius ironicè.

O Cives, cives, quærenda pecunia primùm,
Virtus post nummos. Sic Janus summus ab imo
Perdocet, hæc recinunt Juvenes dictata, senesque. *Horat. l. 1. ep. 1.*

VI. Nec minùs verè & argutè Menander cecinit:

Tantùm dato,
Ipsos habebis vel ministrantes Deos. *Menand. apud Stobæum.*

VII. S. Gregorius Nazianzenus potentiam auri sic expressit:

Vinum asserebat quispiam omnia vincere,
At feminam alter, tertius palmam dabat
Vero, dedissem ast robur ego quàm maximũ
Auro, arbitratu cuncta quod regat suo. *S. Greg. in carm. de sua vita.*

VIII. Alius sic eandem potentiam expressit:

Audito nummo, quasi viso Principe summo
Dissiliunt Valvæ, nihil auditur nisi salve. *Engelgrav. in cœlo Emp. die 1. Bach.*

IX. E contrariò verò

Qui

*Ibid.* Qui caret argento, frustra utitur argumento. Pauperibus semper curia clausa codris.

X. Ovidius quoque Symbolam suam conferens breviter, sed rectè cecinit:

*Ovid. l. 1. Fast.* In pretio pretiū ounc est, dat census honores.

XI. Fructum verò Avaritiæ suppressæ sequentibus versibus pulchrè expressit Horatius:

*Horat. in Epist.* Quòd si Frigida curarum fomenta relinquere posses, Quò te cœlestis sapientia duceret, ires. Hoc studium sumu semper tractemus, & imi.

*Sextus Aurelius in vita Iulian.* XII. Imperator Trajanus thesaurum Principum Lieni non malè comparavit; ut enim crescente liene reliqua membra tabescunt; sic crescente fisco (vel cujusvis avari divitiis) debilitantur facultates.

*Fab. conc. 1. in Dom. 8. post Pent.* XIII. Augustus Imperator suos Officiales spongias vocabat, quas, cùm impletæ essent opibus, ipse exprimeret.

*Damnum.*

*Sen. Ep. 15.* XIV. Si pecuniā habes, inquit Seneca, necesse est, ut te ipsum, aut pecuniam vilem habeas.

*Idem in Prov.* XV. Pecuniæ oportet imperare, non servire. Pecuniā si uti scias, ancilla est; si nescias, Domina.

*Vita. PP. l. 5. libell. 6. n. 21.* XVI. Hortulanus quidam cùm prius omnem pecuniam in egenos distribuisset; postea autem seductus à Diabolo congregare & parcere cœpisset, subitò putrefacto pede omnem pecuniam in Medicos erogare debuit. Unde cùm togāsset à Domino misericordiam, stetit Angelus noctu coram ipso, & dixit: ubi sunt nummi tui? ubi spes tua? & cùm peteret veniam, Angelus tangens pedem sanavit. Vide fusiùs l. c.

*Sibinus l. 4. in Alphonso.* XVII. Cùm Sigismundo Imperatori quondam ex Hungaria quadraginta millia aureorum allata essent, & ea de causa dormite non potuisset manè is fortissimos Militiæ Duces ad se evocavit, & his verbis allocut⁹ est: Ecce crudelissimos hostes, ac tortores acerrimos, à quibus nulla mihi data requies, nullus oculis sopor. Ite proin, & eos ex Gazis educite, & inter vos æqua sorte dividite. Illis deinde cum gaudio abeuntibus, ipse

*S. Cyprian. ep. 2. ad Donat.* quoque gaudens dixit: Recessit à me tortor, qui me flagellavit: securiùs modò quiescam. Rectè ergo S. Cyprianus dixit: Inter divitias trepidum sollicitudo discruciat, nec intelligit miser, speciosa sibi esse supplicia.

*Pintanus in Bellar. p. 2. c. 27.* XVIII. Bernardus Pipini Frater, Caroli Magni nepos, conjurationis reus, impetravit, ne sibi, quemadmodum reliquis ejusdem factionis, oculi stylo ferreo eruerentur, sed aureā pelui solis radiis oppositā, in eandem continenter fixam oculorum aciem intendens, ad

*S. Ambros. f. 59.* fulgorem auri excæcatus est. Idem quoad internum oculum avaris contingit. Hinc S. Ambrosius ait: cæca est avaritia, non videt, quæ divitiarum sunt, sed cogitat, quæ cupiditatis.

*Ovid. l. 11. Met.* XIX. Mydas Rex Apolloniæ petiit ex magna avaritia, ut, quidquid tangeret, aurum fieret. Id verò cùm obtinuisset, munus in ultionem conversum est, cùm cibus & potus in auri naturam obrigesceret. Quā fabulā pulchrè avarorum stultitia & miseria significatur.

XX. Rectè Petrarcha: Virtutum nutrix optima est Paupertas, opulentia vitiorum. Multos pavidos & imbelles, omnes tumidos ac superbos, nullum penitùs virum fortem fecêre divitiæ. Qui thesaurum congregat, sibi curas & invidiam, hostibus stimulos, furibus sollicitudinem addidit. *Petrarch. l. 1. Dial. 100.*

XXI. Quidam Pater, cùm Filio multas pecunias relinqueret, iste autem omnes in arcula servaret, nec ad utiles usus impenderet, obeunte quondam Romam Filio, extractos saccos pecuniā spoliavit, & iisdem magnificam domum instruxit, omniàque ad summum splendorem comparavit, saccósque arenā iterum repletos antiquo loco reposuit. Quos cùm Filius rediens apertos arena plenos reperisset, & ideo apud Patrem de furto questus fuisset, respondit Pater, quid refert, ô Fili, apud te, arenā ne, an pecuniā pleni sint sacci, cùm neutro modo utaris? ingeniosè scilcet tenacitatem Filii taxans. *Ibid. l. 2. dial. 13.*

## §. XIV.

## AXIOMATA.

I. Lapis Lydius auri index, aurum hominum. *Chilo*

II. Crescit amor nummi, quantùm ipsa pecunia crescit. *Laced. Juvenal. Sat. 14.*

III. Avaro tam deest, quod habet, quàm quod non habet. *S. Hier. ep. 103.*

IV. Et genus, & formam Regina pecunia donat.

Seu, ut alii, pecuniæ obediunt omnia.

**Geld regirt die Welt.**

V. Nullā ditari ratione potestis avari, Vos faciūt inopes, quas cumulatis, opes. *Buchlerus V. avarit.*

VI. **Auff einen kargen Sparer folgt ein milder Zehrer.** *Floril. p. 4. f. 183.*

VII. **Ubel gewunnen übel zerrinnen.** Malè parta, malè dilabuntur.

VIII. **Geitz ist der Hoffart Helffer.** *Ibid. p. 1.*

IX. **Ein silberner Hamer bricht ein eisene Thür.**

X. **Gelt/ Gwalt/ und Herren Gunst/ Bricht Ehr/ Recht/ und alle Kunst.**

XI **Geitz und Geld seyn Meister in der Welt.**

XII. **Geld und Geitz bringt manchē ans Creutz.**

XIII. **Geld ist aller Reichs und Landtäg End und Schluß.**

## §. XV.

## AUTHORES.

I. Bernardus Rosignolus l. 2. de discipl. c. 16.

II. Cassianus l. 7. de Inst. renunciat.

III. Ludovicus Granatensis in Duce Peccatorum. l. 2. c. 5. fol. 619.

IV. Jacobus Marchantius in horto Pastorum & Tuba Sacerdotali tract. 2.

V. Josephus Langius v. Avaritia. in Polyanthea.

VI. Jacobus Alvarez to. 2. l. 1. p. 2. c. 7. & 8.

VII. Joannes Busæus in Panario. v. Avaritia.

VIII. Petrus Canisius p. 3. de 7. vit. capital. §. 4.

IX. Thomas Stapletonus in Promptuario tex. 5. in Dom. 2. post. Pent. & tex. 3. in Dom. 14. & tex. 5. in Dom. 19. Item tex. 8. in Dom. Quinq.

X. Henricus Engelgrav. in p. 2. Cœli Empyr. in Festo S. Matthæi.

XI. Matthias Faber. conc. 2. in Dom. 8. post Pent. & conc. 4. in Dom. 16.

# TITVLVS IV.
# BLASPHEMIA.

## §. I.
## QUOAD ESSENTIAM.
### *Definitio.*
### I.

*Langius in Polyanth.* EST contumelia DEO illata; quo modo omnibus speciebus Blasphemiæ mox afferendis convenit; licet aliqui striĉtiùs eam sumendo definiant Verbum in contumeliam DEI prolatum.

### *Divisio.*

II. Dividi poteſt in Mentalem, Verbalem, & Actualem. *Mentalis* eſt quæ ſolâ mente peragitur; quo modo etiã Diaboli blaſphemant Deum, uti & alii damnati Spiritus in Inferno. *Verbalis* eſt, quæ voce exprimitur, & magis in ſenſus cadit. *Actualis* eſt, quæ opere peragitur, ſive dein per ſcripturam, ſive per alia mala opera in contumeliam DEI directè peracta; de qua
*S. Ephr. in 2. interrog.* S. Ephrē locutus eſt dicēs: Quemadmodū Deus operibus bonis glorificatur, ita contrà malis àctionibus blaſphematur; nam cùm Infideles intuentur Chriſtianos, quòd inſtar Ethnicorum ipſi quoque in crapula & ebrietate vitam degant, ludentes atque ſaltantes cum citharis & tympanis, non ampliùs dictitant, quòd inſenſati ſint Chriſtiani, dum Chriſti legem tranſgrediuntur, verùm blaſphemantes aſſerunt eos, ſicut traditum à Chriſto acceperunt, ita & facere. Unde & S. Augſtinus, tarò, inquit, jam inveniun-
*S. Aug. tr. 27. in c. 6. Jo.* tur, qui Chriſtum linguâ blaſphement, ſed multi, qui vitâ.

*Luc. 11. v. 15.* III. *Attribuere DEO falſum prædicatum*, uti fecerunt Phariſæi dicentes, Chriſtum in Beelzebub ejicere Dœmonia; item Lutherus & Calvinus Deum authorē peccati conſtituentes.

*Nab. ex. 3. in Dom. 18. poſt Pent. n. 2.* IV. *Admere DEO, quod ei debetur*, v.g. negando Sapientiam, Bonitatem, aut Potentiam; uti Rapſaces negavit, Deum Judæis opem ferre poſſe: Item Alphonſus Rex Hiſpaniæ, qui dicere auſus eſt, ſe principio mundi, ſi Deo præſens fuiſſet, multà meliùs & ſapientiùs ordinaturum fuiſſe.

*Sap. 13. v. 2.* V. *Tribuere Creaturæ, quod ſolius DEI proprium eſt*; ut ſi quis dicat, Diabolum tam potentem eſſe, ac DEUM: æquè colendum, adorandum &c. Item Solem & Lunam aut alias creaturas, Rectores orbis terrarum Deos putare, ut in Sapientiæ libro de nonnulis dicitur.

VI. *Inhonorare Sacramenta, Reliquias, aut actus res ſacras, quatenus ad Deum ſpectant*: uti faciunt Iconoclaſtici Hæretici, & noſtri etiam Lutherani B. Virgini, & Sanctis debitum cultum, & invocationem negantes.

## §. II.
## EX S. SCRIPTURA.
### *Qualitas.*

*Exod. 20. v. 2.* I. NOn aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum; nec enim inſontem habebit Dominus eum, qui aſſumpſerit nomen Domini DEI ſui fruſtra.

II. Nominatio Dei non ſit aſſidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiſcearis, quo niam non eris immunis ab eis. *Eccl. 23. v. 9.*

III. Cui exprobrâſti? & quem blaſphemâſti? contra quē exaltaſti vocē tuam? & elevâſti in excelſum oculos tuos? contra ſanctum Iſraël. *4. Reg. 19. v. 22.*

IV. Docuit iniquitas tua os tuum, & imitaris linguam blaſphemantium. *Iob. 15. v. 5.*

V. Si peccaverit vir in virum, placari ei poteſt Deus: ſi autem in Deum peccaverit vir, quis orabit pro eo? *1. Reg. 2. v. 25.*

VII. Exacuerunt ut gladium linguas ſuas, intenderunt arcum rem amaram. *Pſ. 63. v. 4.*

### *Damnum.*

VII. Maledicti erunt, qui contempſerint te, & condemnati erunt omnes, qui blaſphemaverint te. *Tob. 13. v. 16.*

VIII. Qui blaſphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remiſſionem in æternum. *Marc. 3. v. 29.*

IX. Homo, qui maledixerit Deo ſuo, portabit peccatum ſuum: & qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus obruet eum omnis multitudo Populi. *Levit. 24. v. 16.*

X. Qui in altum mittit lapidem (aut Blaſphemiam) ſuper caput ejus cadet. *Eccl. 27. v. 28.*

## §. III.
## EX SS. PATRIBUS.
### *Qualitas.*

I. AUdes aperire os tuum audacter, & in cœlum verba emittere, juramenta, atque blaſphemias? & non times, ne falx ignea, quam Propheta vidit, demoretur in domo tua, donec ex ea, quæ ſub cœlo eſt, te excidat; dum ſic audes os aperire adverſus Deum omnipotentem, in quem Angeli, Archangeli, Cherubin ac Seraphin non audent oculos conjicere? *S. Ephrem per aneſ. 43.*

II. Nullum gratiarum actioni par bonum; quemadmodum blaſphemiâ pejus nihil. *S. Chryſ. ho. 1. ad Pop.*

III. Cùm DEUS laudatur de bono opere tuo, laudas opere tuo DEUM. Et cùm blaſphematur DEUS de malo opere tuo, opere tuo blaſphemas DEUM. Itaque ad aurium exhortationem canta voce, corde ne ſileas, vitâ ne taceas. Si ergo bene agis, & quando manducas & bibis, ad refectionem corporis ſumis gratias agens DEO, cibus tunc & potus laudat DEUM. Si verò modum naturæ debitum immoderatione voracitatis excedas, & vinolentiâ te ingurgites, quantaslibet laudes lingua tua ſonet, vita blaſphemat. *S. Aug. in pſ. 46.*

IV. Cùm probrum jacitur in Principem, Patriæ bonum & utilem, nónne tantò eſt indigniùs, quantò à veritate remotiùs, & *Idem l. de civ. DEI c. 9.*


ci-

à vitaillius alieniùs? quæ igitur supplicia sufficiunt, cùm DEO fit ista tam nefaria, tam insignis injuria?

*Damnum.*

*S. Ambros. ep. 82.* V. Immugiens terra in medio plebis scinditur, aperitur in profundo sinus, abripiuntur noxii, & ita ab omnibus mundi hujus ablegantur elementis, ut nec aërem haustu, nec cœlum visu, nec mare tactu, nec terram contaminarent sepulchro.

## §. IV.
## EXEMPLA EXTERNA:

*Fuga.*

*Exod. 32.* I. Moyses licet alioqui mitissimus, ubi tamen Populus vitulum aureum adoravit, tam severè vindicavit, ut comminutum vitulum eidem potandum dederit, imperaveritque, ut unusquisque occidat Fratrem suum, & Amicum, & Proximum.

*S. Chrysost. Orat. 5.* II. Job, etsi ab Uxore ad maledicendum Deo graviter incitatus, potiùs tamen duxit, ut loquitur S. Chrysostomus, innumera perpeti mala, quàm blasphemiâ tantorum malorum relaxationem consequi.

*Fab. Conc. 3. in Dom. 18. post Pent.* III. Abbas Pœmen docuit Juvenem de blasphemia tentatum ita respondere: Vellem quidem blasphemare, sed non habeo causam blasphemandi DEUM.

*Æmilius. l. 7. Hist. Franc.* IV. B. Ludovicus Rex Franciæ cùm multi peterent, ut Nobili cuidam pœna blasphemis ab eo decreta, scilicet cauterii in fronte inurendi remitteretur, respondit: Ego paratus essem, & pro gratia reputarem, si tale signum fronti meæ inureretur, dummodo tale scelus è regno meo exstirparetur.

*Nicol. Baeri decis. 301.* V. Robertus Francorum Rex in civitate Aurelianensi pro pace Regni orans, Christum aspectabilem habuit dicentem, non priùs eum pacem in regno habiturum, quàm blasphemiam & alia vitia notoria è regno eliminâsset.

*Engelg. in Dom. 11. post Pent.* VI. Joannes Hurtado Dominicanus, cùm militem graviter blasphemantem audivisset, sic eum allocutus est: Mentiris maligne, DEUS is non est, qualem tu blasphemo ore fingis, sed bonus est, justus & misericors. Cùmque miles hoc dicto efferatus ferrum stringeret, Joannes in genua provolutus, Martirij palmam avidè exspectabat.

*Pad. Christ. p. 1. c. 5. § 4.* VII. Imperator Justinianus blasphemos morte plecti volebat; Rex Scotiæ impiam linguam radicitus excindi. Argentoratensis Magistratus anno 1569. unt è præsidiariis Militibus suis, quòd blasphemâsset, linguam per cervices extrahi jussit.

*Damnum.*

*4. Reg. 19.* VIII. Sennacherib Rex ob blasphemiam in DEUM jactam primò centum octoginta quinque millia militum una nocte, Angelo Dei percutiente, amisit; deinde ipsemet à Filiis suis percussus interiit.

*2. Mach. 15. v. 33.* IX. Nicanoris lingua jussu Judæ præcisa particulatim avibus devoranda exposita, & manus contra Domum Sanctam omnipotentis DEI suspensa.

*Act. 12. v. 23.* X. Herodes Rex à vermibus consumptus: Antiochus verò miserabili & invisibili plaga à DEO ob blasphemiam humiliatus interiit. *2. Mach. 9. v. 9.*

*Mercur. Gallic. lib. 11.* XI. Anno 1623. 9. Octobris duo adulterinæ monetæ cusores ad furcam damnati sunt, quorum alter Catholicus cum magna aspicientium ædificatione obijt, alter verò hæreticus nomine Michaël Thomas Houssaye horrendas in DEUM & ejus SS. Matrem blasphemias cùm effudisset, è scala vix dejectus, fune ne minimùm quidem fracto, è furca delabitur, capite procul ab humeris, ac si novaculâ abscissum foret, excusso, solâ linguâ exceptâ, quæ longa, infamis, & visu horrida è trunco corporis pendebat, unde eidem funis iterum applicatus, truncùmque corpus in patibulo iterum suspensum est.

*S. Damian. l. 2. ep. 2.* XII. B. Petrus Damianus scribit, non procul Bononiâ duos Commessatores ad cœnam convenisse, in qua cùm alter Gallinaceum Pullum dissecuisset, alter tam aptè, inquit, hunc Pullum divisisti, ut ne ipse quidem S. Petrus integrum nobis restituere queat, imò nec Deus; subjecit alter; Quâ blasphemiâ vix prolatâ Gallus ex jusculo vivus exiliens cantat, & alas concutiens multo jure blasphemos conspergit, ipsi verò leprâ tacti, eandem etiam in posteros transfuderunt, qui in criminis à majoribus patrati memoriam deinceps Ecclesiæ multis annis facti sunt vectigales.

*S. Greg. l. 4. dia. c. 18.* XIII. S. Gregorius narrat, puerum quinquennem in Patris gremio blasphemantem à Dæmone abreptum, nec unquam ampliùs conspectum esse. Simile quid S. Cyrillus narrat de Puero duodenni cum Patre ludente & S. Hieronymum blasphemante. *S. Cyrill. in epist. de mirac. S. Hier.*

*Cantipr. c. 48.* XIV. Simon de Tornaco Doctor Parisiensis celeberrimus, cùm publicè dixisset, tres fuisse Impostores, qui mundum fraudibus suis subjugârint, Moysen, Christum, & Mahumetum, quorum primus Judæos, alter Christianos, tertius Turcas infatuârit, subitò eversis oculis, mugitum emittens, & per Epilepsiam elisus in terram, tertio die miserè obiit, neminem nisi Concubinam nominare valens.

*S. Damian. l. 2. ep. 15.* XV. Clericus quidam cùm dixisset, falsam esse illam Christi sententiam: Omnis, qui se humiliat, exaltabitur: repentè gladio per os instar fulminis transfixus est.

*Spec. Ex. 43. apud Busæum in Panar. V. Blasp.* XVI. Aleator quidam cùm per membra Christi & MARIÆ horrendè jurâsset, illicò corruit, vocéque terribili clamavit: Heu miser, quis es, qui me interficis? Et volutatus aliquarum humi tartareâ animam efflavit. Postea verò in tergo reperta est plaga recens horribili hiatu dehiscens, quasi securi facta.

*Ibidem 5.* XVII. Mulier Hæretica in oppido Hollandiæ cùm in summa difficultate pariens Deiparam Scropham appellâsset, mox divinitus punita, nigellas aliquot suculas emortuas enixa est.

*Strim. Virt. l. 9. c. 21.* XVIII. In Mediolanensi Provincia cùm Juvenis quidam cum Socio duellaturus, blasphemas in DEI Matrem voces protulisset, eo ipso temporis articulo, ab Adversario, linguâ & palato transfossis, peremptus est.

XIX. Villa-

*Gaultë-rius Sac. 17. p. 421.* XIX. Villanovæ cùm anno 1613. Notarius quidam publicus, Sacerdotes Catholicos sepulturam Catholico ritu peragentes rudentibus Asinis æquiparare solitus, ipse quoque ad sepulchrum efferretur, magnus Asinus coloris fusci apparuit, circa mortui cadaver horrendum in modum rudens, & sepulchrum aliquoties circumiens, & tandè, postquam Amicos ad domū Defuncti comitatus esset, ex oculis evanescens.

*Bredenb. l. 3. collat. c. 17.* XX. In Phœnicia Mimus quidam erat, Gaianus nomine, qui, cùm in theatro B. Virginem blasphemâsset, hæc ei apparens dixit: Noli, quæso, noli ita lædere animam tuam: idque tertia vice faciebat; cùm autem ille magis blasphemaret, meridie dormienti apparens iterum, nihilque dicens manus & pedes digito signavit; quo facto ipse evigilans manibus & pedibus se truncatum reperit.

## §. V.
## EXEMPLA DOMESTICA.
### *Fuga Blasphemiæ.*

*Hist. Soc. p. 1. l. 10. n. 62.* I. S Ignatius dicere solebat, si Deus ipsum in inferno collocaret, nihil sibi acerbiùs fore, quàm audire blasphemias in DEUM.

*L. 1. Ep. 7.* II. S. Franciscus Xaverius scripsit in quâdam Epistola: Tædet me interdum vivere, ac satiùs esse arbitror pro religione mortem oppetere, quàm in tot tantisque divini Numinis contumeliis vivere.

## §. VI.
## SIMILITUDINES.
### *Qualitas.*

*Langius in Polyant. f. 160.* I. Sicut Filius, qui à Patris præceptis deviat, minùs peccat, quàm qui in faciem ei protervè repugnat; ita contra DEUM gravius peccat, qui blasphemiam vel sacrilegium committit, quàm qui humanitùs delinquit.

*Faber co. 3. in Dom. 18. post Pentec. n. 3.* II. Sicut olla, quæ cum magno impetu & ardore sursum aquas projicit, vehementer se succensam esse ostendit; ita grandis in Deum odii signū est, blasphemias in ipsum sursum projicere.

### *Damnum.*

*S. Chrysost. hom. 3.* III. Sicut is, qui lapidem in altum projicit, corpus cœleste non attingit, multò minùs lacerare potest, plagam autem suo capite excipit, cùm lapis eòdem, unde projectus est, redeat; ita qui beatam illam blasphemat Substantiam, ut nunquam offendere eam potest, sic ferrum adversùs animam suam acuit, & parat, cùm se ingratum Domino bene merenti exhibet.

## §. VII.
## MOTIVA.

*S. Ephrem. Paræn. 49.* I. *Quia per hoc vitium non creata aliqua res, uti fit in furto, homicidio, adulterio, sed ipsa DEI Majestas in seipsa læditur.* Unde S. Ephrem, desine, inquit, ô homo, blasphemare, ne fortè idem sermo, quem condemnis, fiat flamma in ore tuo, & tuam linguam comburat. Nam si homo homini pugnam suscitans, etiam pace jam factâ, in conspectum ejus prodire erubescit, quomodo tu hodie in mundo constitutus, si cras tribunali ipsius præsentandus, andes talia eloqui? & non metuis, ne fortè ignis descendat de cœlo, & devoret te? Certè S. Hieronymus dicere ausus est, nihil horribilius esse blasphemiâ, quæ ponit in excelsum os suum. Omne quippe peccatum blasphemiâ levius est. *S. Hier. in Apol. l. 7. c. 18.*

II. *Quia Christum ipsum flagellat iterum ac crucifigit*; sic enim S. Augustinus apertè testatus est dicens: Flagellatus est Christus flagellis Judæorum, sed non minùs flagellatur flagellis falsorum Christianorum; unde gravitet aliquando vulneratus ante hospitium jacere à viro quopiam sancto deprehensus est, quæsitúsq; quis tam graviter eum vulnerâsset, se ab adolescentibus in hospitio blasphemantibus sic tractatum fuisse respondit. *S. August. super Io. Herold in Promptu. ar. de blasphem.*

III. *Quia Diabolo & Damnatis hoc vitium proprium est juxta illud* Apocalypsis: Æstuaverunt homines æstu magno, & blasphemaverunt nomen DEI. Et de Diabolo: Aperuit os suum (Draco infernalis) in blasphemias ad DEUM, blasphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos, qui in cœlis habitant; hinc S. Chrysost. linguam vehiculū Diaboli appellat, quo blasphemiis onerato cōtra Deum invehitur. *Apoc. 16. v. 9. c. 13. v. 6.*

IV. *Quia nihil magis dedecet Christianos, quàm blasphemia*; Quemadmodum enim, inquit rectè Guilielmus Peraldus, blasphemi, Filii Diaboli ea cantica discunt in mundo, quæ canant in inferno; ita Filii DEI divinis laudibus asueti eos psalmos addiscunt in terris, quos cantabunt in cœlis. *Perald. in summ. virt. tract. 9. c. 1.*

## §. VIII.
## MEDIA.

I. *Metus pœnæ æternæ*: de qua locutus est S. Augustinus, dum dixit: Cùm probrum jacitur in Principem Patriæ bonū ac utilē, nōnne tantò est indigniùs, quantò à veritate remotiùs, & à vita illius alieniùs? quæ igitur supplicia sufficiunt, cùm DEO fit ista tam nefaria, tam insignis injuria? *De Civit. DEI c. 9.*

II. *Metus pœnæ temporalis à sepso infligendæ*: Sic milesi cuipiam suasit quidam Pater Societatis JESU, ut toties terram oscularetur, quoties in blasphemiam prorupisset; quod dum facit miles, globus plumbeus, qui haud dubio ipsum stantem occidisset, prætervolavit, nec damnū aliud, quàm levem thoracis adustionem intulit. *Annua fol. 1594.*

III. *Beneficiorum à DEO acceptorum ponderatio*: nemo siquidem est tam impius, qui Amico suo & Benefactori maledicat, cùm & bestiæ ferocissimæ minimo beneficio mansuefiant. *Busæus in Panar. V. blasphem.*

IV. *Citò resistere tentationi blasphemiæ*: Ita B. Joannes Climacus suasit dicens: Qui blasphemiæ Spiritu se perturbari sentit, atque ab eo liberari cupit, pro certo habeat, non suam Animam hujusmodi tentationū esse causam, sed impurum illum spiritū, qui aliquando Domino dixit: Hæc omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me. Idcirco nos quoque contemnentes ipsum, & quę ab illo dicuntur, nihil æstimantes, securi & intrepidi dicamus: Vade post me Satana; Sermo autem dolúsq; tuus in caput tuum convertetur, & in verticem tuum blasphemia tua descendet in præsenti, & in futuro sæculo. Qui præter hunc modum adversùs blasphemiæ Spiritum pugnare vult, is ei similis est, qui manibus suis coruscationem continere nititur. *S. Climac. grad. 23.*

*S. Clim. ibid.* V. *Patri suo Spirituali aperire tentationem:* Sic Monachus ille apud S. Climacum exemplo suo docuit, qui cùm viginti annis frustra jejuniis & vigiliis spiritum blasphemiæ fugare studuisset, tandem scriptam in charta tentationem sancto cuidam Seni in faciem prostratus, nec illum intueri valens obtulit, quam ut legit Senior, subridens, fratrémque erigens dixit: Pone, Fili, manum tuam super oculum meum. Quod cùm fecisset, ait illi Senior; super collum meum, ô Frater, sit hoc peccatum. Tu autem id observa, ut floccipendas illud & nihil æstimes. Quibus verbis ita roboratus est Frater, ut non antè Senis cellâ excederet, quàm hujusmodi morbus evanesceret.

## §. IX.
## ASCETICA.

I. Duo specialiter de hoc vitio bene advertere debet asceta.

II. Primum est, ut gravitatem hujus vitii bene cognoscat; quam quidem optimè declaravit Origenes, dum dixit: Qui maledixerit Patri vel Matri, morte moriatur. Quis porrò magis Pater, quàm DEUS? nonne, inquit, ipse est Pater tuus, qui possedit & fecit te, & Salvator? Quanto ergo magis digni erunt, qui huic Patri Spirituum maledicunt? Hinc etiam in Levitico præcepit DEUS, ut blasphemus extra castra educeretur, & non tantum Carnifex, sed omnis Populus eum lapidaret, ut omnes communis Parentis DEI injuriam Zelo gloriæ ejus incensi vindicarent; & ut admonerentur hoc exemplo, ne id committerent, quod tam horrendo ac ignominioso supplicii genere plectendum esset.

*Orig. in cap. 26. Levit.* III. Alterum est, ut solidum modum curandi hoc vitium cognoscat, qui in eo ferè consistit, ut ex una parte gravitas illius clarè demonstretur; ex altera verò parte etiam ostendatur, quòd hoc vitium nihil commodi afferat homini, sicut alia vitia ad quæ plerumque voluptatis aut honoris cupiditate trahimur, blasphemus autem solâ suâ malitiâ & odio impellitur ad blasphemandum DEUM, unde meritò Diabolicum vocatur vitium, ut supra vidimus.

## §. X.
## CONCEPTUS PRÆDICABILES.

*Levit. 24. v. 14. ibid. n. 16.* I. Ex occasione thematis: *Lapidet eum Populus universus:* ostendatur, quàm meritò hæc pœna, & longè gravior in altera vita infligatur blasphemo. 1. quia condemnatur à *DEO.* Qui iteratò repetit in scriptura: Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur; idque actu in tot blasphemis terribili & repentina morte castigatis ostendit. 2. A *SS. Angelis,* aliisque *cælitibus,* quorum unus Octoginta quinque millia Assyriorum ob blasphemiam sennacherib, alii Sancti alios blasphemos graviter castigârunt. 3. Ab *Hominibus,* præcipuè Magistratûs dignitate & potestate præditis, qui tam per leges canonicas, quàm civiles huic sceleri gravissimas pœnas decreverunt. 4. A *Creaturis irrationalibus:* quæ sæpe ad DEI imperium vel absorpserunt blasphemos, vel consumpserunt alio mortis genere, uti suprà variis exemplis ostensum est. 5. A *Dæmonibus:* qui non semel blasphemos ex DEI permissione ad Tartara corpore & animo rapuerunt. 6. A *Seipsis:* qui, ut S. Joannes testatur, commanducaverunt linguas suas præ dolore, & blasphemaverunt DEUM cœli præ doloribus & vulneribus suis, & non egerunt pœnitentiam ex operibus suis. Vide fusiùs hæc deducta apud Fabrum conc. 8. in Dom. Pass.

II. Ex occasione thematis: *Qui blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem peccatorum:* explicari possunt causæ, cur hoc peccatum tam grave censeatur. *Marc. 3. v. 29.* 1. Quia gravissimum est ratione *offensi:* quia directè committitur in DEUM, hinc Judæi auditâ blasphemiâ vestes lacerabant. 2. Ratione *Offensa:* quia maximam DEO infert injuriam, auferendo ipsi honorem, quem præ omnibus æstimat, ac defendit. 3. Ratione *Offendentis:* quia ex solâ malitiâ, & cum grandi Furia & odio in DEUM committitur. 4. Ratione *effectus annexi,* scilicet Pertinaciæ, quæ in hoc peccato plerumque reperitur. Vide hæc fusiùs apud Fabrum conc. 3. in Dom. 18. post Pentec.

III. Ex occasione ejusdem thematis declarari possunt rationes, cur tam difficulter hoc peccatum remittatur, nimirum. 1. Quia ipsum Authorem gratiæ, & veniæ largitorem oppugnat. 2. Quia blasphemat & vituperat ea, per quæ sanari debebat, nempe Passionem, Sanguinem & vulnera Christi ac Sacramenta: item bonitatem ac misericordiam DEI. 3. Quia nihil ignorantiæ aut infirmitatis in eo miscetur, sed ex purâ malitiâ committitur. 4. Quia duritiam cordis plerumque annexam habet; unde respuit omnem medelam. Vide fusiùs hæc apud Fabrum loc. cit.

VI. Ex occasione thematis: *Nunc autem deponite & vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam:* narrari potest factum Medici cujusdam, qui mulieri querenti, quòd assiduò verberetur à marito & remedium evadendi hoc malum postulanti, vasculum aquâ communi plenum dedit, jussitque, quoties maritus iratus fuerit, eâdem os implere, & retinere illam in ore, donec mariti ira deferbuerit; *Coloss. 3. v. 8.* hoc, inquam, factum narrari potest, dicique, simile medium blasphemo suaderi, scilicet, ut quoties se iratum, & ad blasphemiam concitatum advertit, os & mentē suam unâ ex sequentibus quinque aquis repleat. 1. Aquâ ex latere Christi fluente: cogitando, quòd ipse blasphemiis suis latus Christi aperuerit, & aquâ ac Sanguinem effluere fecerit. 2. Aquâ baptismali: perpendendo, quantū beneficium per baptismū acceperit, & quid ibi per Patrinū promiserit. 3. Aquâ supernaturali gratiæ Divinæ: de quâ Christus Joannis 4. locutus est, quod adeò efficax sit, ut, qui eum bibiturus sit, non habiturus sit sitim in æternum. 4. Aquâ lacrymarum: qui enim verè agnoscit gravitatem blasphemiæ, eamq; detestatur, nō facilè eandē denuò comittet. 5. Aquâ natu-

naturali: accipiendo eam in os, ut silere cogatur; ita enim S. Catharinæ Senensi suasit ipse Christus, ut scilicet tempore contradictionis & concitationis ad iram silentio se defendat, & soletur.

## §. XI.

## MISCELLANEA.

*Isaia 52. v. 5.* I. DEUS olim apud Isaiam questus est: Et jugiter totâ die nomen meum blasphematur: eandem querelam nunc etiam repetere potest, quia licet rarò inveniantur inter Christianos, qui voce blasphement; multi tamen, qui vitâ, teste S. Augustino. Hinc S. Davidi quoque dictum: Quoniam blasphe- *2. Reg. 12. v. 14.* mare fecisti inimicos Domini propter verbum hoc, Filius, qui natus est tibi, morte morietur.

*Gen. 4. v. 13.* II. Antesignanum blasphemorum, Cainum dicentem: Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear: Sic castigavit suo dicto S. Bernardus: Mentiris, ò Cain, major est enim DEI pietas, quàm quævis iniquitas.

*Gracan. 993.* III. Theodoretus explicans præceptum DEI, quo jusserat blasphemum extra castra educi, & lapidibus obrui, ait: rectè homicidij pœnâ & morte puniri vult DEUS blasphemiam; blasphemus enim cùm conditorem nequeat perimere ferro, linguâ ferit.

*Drexel. in Phaeth. c. 6. §. 4.* IV. Olim consuetum blasphemorum præmium fuit, maledicam linguam asserculo clavis affigere, & simul reo cultrum dare in manus, quo se liberaret, ut posset. Cultet hic Pœnitentiæ feriæ non immeritò applicari potest, per hanc quippe liberari potest à pœna inferni sibi decreta blasphemus.

*Ibid. ex Ioan. Nider. l. 4. Fam. c. 3.* V. Cùm Rupertus Cæsar Rex Romanorum anno 1400. electus Spiram venisset, & cum eo, ut tunc mos erat, Proscriptorum non exiguus numerus, pro quibus togabatur, ut reditum in urbem impetraret, auditis causis, propter quas proscripti essent, cùm de cive quodam diceretur, eum proscriptum esse, quòd ludo incalescens aliquoties in DEUM impias voces jecisset, dignum Cæsare responsum dedit: Pro omnibus rogaverim, ut recipiantur urbe; hoc solo in exilium remisso; nam alij deliquerunt in homines potissimùm, iste verò in DEUM: cæteris igitur, si placet, omnibus parcite; hic in locum, quo dignus est, exulatum abeat. Similis sententia in blasphemos à DEO fertur, quia de his quoque dictum est. Qui blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti. *Marc. 3. v. 29.*

VI. Lirano teste, olim apud Judæos si blasphemus ad mortem damnabatur, testes manus suas super caput ejus imponentes dicebant: *Drexel. l. c. §. 2.* Malitia tua adduxit te ad mortem, non nos. Sic olim in judicio dicet DEUS: illud Jobi: *Iob. 15. v. 6.* Condemnabit te os tuum, & non ego, & labia tua respondebunt tibi.

VII. S. Paulus Titum instruens, inter alia *Tit. 3. v. 2.* dixit: Admone illos neminem blasphemare; super quæ verba S. Hieronymus, absolutè neminem, inquit, non tantùm non DEUM, sed nec Angelum, nec Hominem, nec ullam aliam Creaturam: omnia quippe, quæ à DEO facta sunt, valde bona sunt.

VIII. In Levitico dicitur: Homo, qui maledixerit DEO suo, portabit peccatum suum: *Levit. 24. v. 15.* quasi diceret DEUS, hanc solam etiam pœnam sat gravem esse, portare in conscientia tam grande peccatum; sicut militibus interdum gravis pœna est, sua & aliorum arma humeris imposita circumferre.

## §. XII.

## AVTHORES.

I. Hieremias Drexelius in Phaëthonte p. 1. cap. 6.

II. Joannes Busæus in Panario. V. eodem.

III. Philippus D'Outreman in Pœdagogo Christiano. p. 1. c. 5. §. 2.

IV. Jacobus Marchantius in Horto Pastorum tr. 3. lect. 2. Et in tuba Sacerdot. tr. 6. lect. 4.

V. Josephus Langius in Polyanthæa V. eodem.

VI. Matthias Faber. conc. 8. in Dom. Passionis. & conc. 3. in Dom. 18. post Pentecost.

VII. Ludovicus Granatensis in locis communibus fol. 383.

VIII. Antonius Dauroltius in Floribus Exemplorum cap. 3. tit. 28.



## *TITVLVS V.*

# DETRACTIO.

### §. I.

### QUOAD ESSENTIAM.

*Definitio.*

I.

*Drexel. in Phaet.c.15* ST alienæ Famæ injusta denigratio. Unde S. Antonius interrogatus, quid sit Detractio? respondit: Est omnis sermo malus, quem non audet quis præsente eo, de quo loquitur, proferre. *Pallad.c. 19.n.15.*

*Divisio,*

II. Dividi potest in Detractionem *Loquendo* & *Audiendo* factam; his enim binis modis juxta communiorem Theologorum Sententiam fieri solet detractio; unde S. Bernardus ait: Detrahere, aut audire detrahentem, quid horum damnabilius, non facilè dixerim. *S.Bern.l.2. de consid.*

*Actus.*

III. *Falsum alicui crimen affingere.*

IV. *Vero criminis falsam circumstantiam, vel augmentum adjicere.*

V. *Verè commissum crimen, sed occultum alteri nescienti aperire.*

VI. *Factum alicuius malè interpretari,* v.g. dicere, id ex superbiâ, hypocrisi aut aliâ malâ intentione patratum esse; quibus quatuor modis *directè*, Detractio fieri dicitur, uti indicant sequentes versus:

Si falsa imponis cùi crimina: Vera vel auges:
Detegis occultum: censes benefacta sinistrè:
Directè Fratris diceris lædere famam.

VII. *Negare bonum alterius*, vel absolutè, vel cum tali modo proferendi, ut prudenter in dubium revocari possit, & vituperari potiùs, quàm laudari quis censeatur.

VIII. *Silere bonum proximi, quando manifestari oporteret:* Quod iterum vel nudo silentio, vel gestibus etiam adjunctis, v.g. contractione humerorum, capitis abnutu, aut oculorum conclusione fieri potest.

IX. *Minuere meritum alterius:* dicendo v.g. non esse tam magnam doctrinam, sanctitatem aut aliud proximi bonum, quantum vulgò deprædicatur.

X. *Vitiosè laudare alium*: Scilicet per Ironiam aut alium similem modum: Quibus quatuor modis *indirectè* fieri dicitur Detractio, ut iidem sequentes versus indicant:

Si bona fortè neges: sileas ea, dicere quando
Deberes: minuas meritum: Aut laudes vitiosè:
His indirectè Sociorum fama fugatur.

XI. *Audire alios detrahentes, & non corrigere*, cum posset & deberet.

XII. *Dum aliis detrahitur, gaudere*, & cum complacentia talibus detractionibus aures præbere.

XIII. *Inducere alios ad detrahendum*: vel directè eos alliciendo variis quæstionibus; vel facilem nimis auditum detrahentibus præbendo. Quibus modis audiendo detractio perficitur, uti sequentes versus ostendunt.

Si faciles famam lædenti porrigis aures:
Aut placet infamans: aut ipsemet allicis illum:
Auditu efficitur detractio pessima solo.

### §. II.

### S. SCRIPTVRA.

*Qualitas.*

I. Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices. *Exod. 22. v.28.*

II. Audisti verbum adversus proximum tuum? commoriatur in te, fidens, quoniam non te dirumpet. *Eccl.19. v.10.*

III. Detrahentem secretò proximo suo hunc persequebar. *Ps. 100. v.5.*

IV. Remove à te os pravum, & labia detrahentia sint procul à te. *Prov.4. v.24.*

V. Non maledices surdo, nec coram cœco pones offendiculum: sed timebis Dominum DEUM tuum. *Lev.19. v.14.*

VI. In cogitatione tua Regi ne detrahas, & in cubiculo secreti tui ne maledixeris diviti; quia & aves cœli portabunt vocem tuam, & qui habet pennas, annunciabit sententiam. *Eccl.10. v.20.*

VII. Timeo, ne fortè contentiones, &c. & detractiones sint inter vos. *2. Cor. 12. v.13.*

VIII. Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire: & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis. *Eccl.28. v.28.*

*Damnum.*

IX. Susurratori odium, & inimicitia, & contumelia. *Eccl.5.v. 17.*

X. Si mordeat serpens in silentio, nihil minùs habet, qui occultè detrahit. *Ibid. 10. v.11.*

XI. Abominatio hominum detractor. *Prov.24. 9.*

XII. Detractores DEO odibiles. *Rom.1. v.30.*

XIII. Cum detractoribus ne commiscearis, quoniam repentè consurget perditio eorum. *Prov. 24. v.21.*

XIV. Si invicem mordetis & comeditis, videte, ne ab invicem consumamini. *Gal.5. v.15.*

Sepul-

*Ps. 13. v. 3.* XV. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant, venenum aspidum sub labiis eorum.

*Sap. 1. v. 11.* XVI. A detractione parcite linguæ, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit.

*Ps. 54. v. 22* XVII. Molliti sunt sermones ejus super oleum, & ipsi sunt jacula.

*Psal. 56. v. 5.* XVIII. Filij hominum, dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.

*Ps. 139. v. 4.* XIX. Acuerunt linguam suam, sicut serpentes: Venenum aspidum sub labiis eorum.

*Matth. 23. v. 33.* XX. Serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis à judicio gehennæ:

## §. III.

## EX SS. PATRIBUS.

### *Qualitas.*

*S. Paulinus ad Celantiam.* I. PAuci admodum sunt, qui huic vitio renuntient, raròque invenies, qui ita vitam suam irreprehensibilem exhibere velint, ut non libenter reprehendant alienam: tantáque mali hujus libido mentes hominum invasit, ut etiam, qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen, quasi in extremum laqueum incidant.

*S. Bern. de dedic. Eccles.* II. Omnino Proditorem se noverit, si quis fortè, quod absit, vitia quælibet in hanc domum conatur inducere, & templum DEI speluncam facere Dœmoniorum.

*S. Chrysost. ho. 3. ad popul.* III. Hoc verò magis ridiculum est, quòd, cùm aliquid arcanum dixerint, rogant audientem, & adjurant, ne cuiquam alteri ampliùs dicat, hinc declarantes, quòd rem reprehensione dignam commiserunt. Si enim illum, ut nemini dicat, rogas; multò magis te priorem huic dicere non oportebat.

*S. Isidor. de sum. bon.* IV. Non solùm ille reus est, qui falsum de alio profert, sed & is, qui citò aurem criminibus præbet.

*Guil. Peraldus apud Drex. in Phaët. c. 17. §. 1.* V. Os detractoris aquiminarium est Diaboli (ein Weich-Kessel) quod non lustralem & Sacram, sed sordidissimam detractionis aquam continet.

*S. Hieron. ibid. §. 4.* VI. Si vultu hilari audis detrahentem, tu illi das fomitem detrahendi, ille ignem excutit, tu substernis igniarium: Quòd si facie subtristi & aversa detractorem audias, discet ille non libenter dicere, quod didicerit non libenter audiri. Sin aliter agis, ostendis te illius, cui detrahitur, falsum Fratrem, aut timidum Amicum esse.

### *Damnum.*

*S. Chrys. in Ps. 100.* VII. Qui detractioni studet, Diabolo servit. Grave malum, turbulentus Dœmon est detractio. Ex ea odia pullulant, jurgia conflantur, diffidia ortum trahunt, suspiciones malæ procreantur: sine ulla causa hostem reddit, qui paulò amicus erat: universas domos subvertit, & pacatas domos ad bellum excitat; pulchra pacis vincula dissolvit: magnæ caritatis nodum infringit.

*S. Greg. ho. in Ezech.* VIII. Quid aliud detrahentes faciunt, nisi quòd in pulverem sufflant, & in oculos suos terram excitant, ut, unde pulvis detractionis perflaverit, minùs inde veritatis videatur.

*S. Hier. ep. 2.* IX. Cave ne aut linguam, aut aures habeas prurientes, id est, ne aut ipse aliis detrahas, aut alios audias detrahentes. Parce à detractione linguæ, custodi sermones tuos, & scito, quia per cuncta, quæ de aliis loqueris, tuâ conscientiâ judicaris, & in his ipse deprehenderis, quæ in aliis arguebas.

*S. Chrysost. ho. 3.* X. Fugiamus, dilecti, fugiamus detractiones, docti, quòd est totum Satanicum barathrum insidiarum ejus hæc insessio. Ut enim nostra negligamus, & graviores nobis reatus constituamus, in hanc nos consuetudinem Diabolus duxit.

## IV.

## EXEMPLA EXTERNA.

### *Fuga.*

*Ps. 100. v. 5* I. S. Propheta David de seipso fatetur, quantopere hoc vitium fugerit, dum ait: Detrahentem secretò proximo suo hunc persequebar.

*Possidon. in vita c. 22.* II. S. Augustinus, ut convivas suos à superfluis & noxiis Fabulis, & detractionibus sese abstinere debere admoneret, hoc distychum supra mensam scriptum habebat:

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

hósque versus tam accuratè observari curavit, ut aliquando familiarissimis quibusdam Episcopis perperam de aliis loquentibus commotus diceret, aut delendos esse hos versus, aut se de mensa surrecturum.

*S. Bonav. in vita c. 8. §. 1.* III. S. Franciscus Seraphicus cùm quidam è suis Domesticis multa in alium ore temerario diceret, Vicario suo dixit: Surge, Pater, & rem bene discute. Quòd si accusatus sit insons, ita puni Accusatorem, ut omnibus sit exemplo, sententiâque se puniri. Imò putabat, vestem religiosam ei detrahendam, quisquis alteri hoc Famæ palliolum subtraxisset, ut, quod ille aliis, hoc alij facerent illi, eáque ratione Detractor ad restituendam famam adigeretur.

*Faber in conc. 6. Dom. 3. post. Pent. n. 3.* IV. S. Joannes Eleemosynarius etiam publicè peccantes taxari vetabat, quia fieri potest, ut peccatum pœnitendo deleverint, atque adeò iniquum sit, ut id ab homine petulanter exprobretur, quod ab ipso DEO jam fuit condonatum.

*Drexel. in Phaet. c. 18. §. 2.* Idem si quem obtrectantem audiisset, mox admonuit, & in alios sermones deduxit. Si pergeret alter, tacebat quidem Joannes, sed nomen ejus notabat, & colloquio finito ei, qui à cubiculis erat, præcipiebat, ut talem hominem ampliùs non intromitteret.

*Ibid. §. 4.* V. Thomas Morus Angliæ Cancellarius cùm alios falcem in alienam famam mittere adverteret, mox sermonem aliò convertere conatus dixit: Quivis, quod volet, sentiat &

di-

& dicat, ego ajo hanc domum benè structam esse, & bonum fuisse Magistrum, qui eam exstruxit.

*Ibid.* VI. Machetes senex id gratiæ à DEO impetravit, ut, quoties de rebus divinis loquentes audiebat, nunquàm obdormisceret; si verò detractorij aut alij inutiles aut noxij sermones instituerentur, mox in somnum laberetur.

*Baron.to 3. ad ann. 415.* VII. Constantinus Magnus dicere solebat, se si Præsulem publicè peccantem videret, paludamento suo facti infamiam aperturum.

*Damnum.*

*Num. 12. v.10.* VIII. Maria Moysis soror, eò quòd Moysi detraxisset, fœdissimo Lepræ morbo percussa est, à quo ne ipso quidem Moyse supplicante, liberata est, ut S. Basilius testatur. Unde merito S. Ephrem dicebat: Ex teterrima Mariæ Prophetissæ lepra docemur, quàm grave ac detestabile vitium sit obtrectatio. Corpus, quod leprâ infectum cernabatur, velut speculum quoddam fuit animæ, quæ non perspiciebatur, cujus indicabat maculam. Ex illa carnis corruptione patefactum est, quomodo hominis detractionis corrumpatur animus. Nam sicut illa defecerat à Fratre suo; ita & ab ipsa proprium corpus defecit, ut ex semetipsa caritatem addisceret.

*S.Eph.to 1.*

*Cantiprat. l.2.ap.c.37.* IX. Sacerdos quidam, qui adeò huic vitio deditus erat, ut, si vera vitia, quæ aperiret, non inveniret, falsa confingeret, ante mortem raptus in Furias tantâ in se cæde est debacchatus, ut propriis dentibus linguam concideret, & laceraret.

*Eusebius l.6 c.8.* X. Cùm aliquando tres improbi Peccatores S. Narcisso Episcopo graviter detraherent, & primus quidem diceret: Si verum non dixero, igne dispeream. Alter: si mentitus fuero, corpus sævo morbo absumatur. Tertius autem: Si verum non dicam, utroque cupio oculo privari. Et ideo S. Narcissus ob tantas calumnias se in Eremum abdidisset, DEUS illius Patrocinium suscipiens effecit, ut primus quidem scintillâ in domum injectâ cum ædibus conflagraret: alter morbo, quem sibi imprecatus fuerat, à vertice usque ad talum contabesceret. Tertius hoc eventu territus tot lacrymis suum scelus defleret, ut oculos tandem amitteret.

*Drex.in Phaet.c. 71.§.2.* XI. Anno 1606. cùm Zagabrij in Austria quidam primarius Vir Religiosis quibusdam in plurium consessu graviter detraheret, & locum digito monstrans diceret: Inde præcipitandi sunt hi Nebulones: post paucas horas ille ipsemet in illum locum ascendens, è summis scalis capite pronus ruit, & semimortuus domum delatus est; ubi errorem agnovit, & veniam precatus est.

*Spec.Ex. pag.164.* XII. Clericus quidam pessimus detractor cùm post mortem ex pacto suo Socio apparuisset, dixit, omnes eos, quibus detraxerat, apparuisse, ipsumque graviter accusâsse; Unde & damnationis sententiam acceperit.

*Vit. PP.* XIII. Mulier quædam Macarium cùm in Eremo habitaret, accusans falsò, quòd ipsam imprægnâsset, efficiénsque, ut graviter à Parentibus, aliisque loci Incolis convitiaretur, & cæderetur, appropinquante tempore partûs, plurimis diebus in summis cruciatibus hæsit, nec parere potuit, donec crimen falsa honorem S. Macario iterum restituit. *apud Marchant tr.4. in hort. Past.prop. 5.*

XIV. Religiosus quidam in Anglia detractionibus deditus, in agone, frustra aliis resipiscentiam suadentibus, linguam extraxit, dixitque: Ista pessima lingua me damnavit, *Ibid.*

XV. Monrepolitani cùm quidam civium Patrum Societatis habitu assumpto meretricis domum ingressus esset, effecissetque hoc facto, ut iidem Urbe ejicerentur, gravissimè in agone cruciatus, priùs mori non poterat, quàm crimen à se patratum publicè retractaret. *Hist.Soc. p.3.anno 1563.n.25.*

## §. V. EXEMPLA DOMESTICA.

I. S. Ignatius nunquam aliis detraxit, sed nec detrahentibus aures dedit; multò minùs verò, ut ab aliis vitia aliena protraherentur, pati voluit. Errata Domesticorum miro silentio tegebat, & si fortè aperire necesse foret, non pluribus, quàm opus erat, manifestabat. *Vita l.5. c.6.*

II. P. Petrus Faber diligentissimè cavebat, quidquid minuere opinionem de aliis, & conjunctionem dirimere posset, in quam rem assiduò preces & sacrificia offerebat. *Vita l.2. c.15.*

III. Julianus Serra Scholasticus vel umbram detractionis horrebat; unde quando in circulo loquentium stabat, & aliquid contra Sociorum existimationem proponebatur, illicò rubore suffusus ex circumstantium coronâ se subduxit. *Annal. Sardin. Coll.Calaritan. 1613.*

IV. P. Franciscus Suarez convivio ab Ulyssiponensi Archiepiscopo acceptus cùm quendam alteri detrahentem audisset, surgens, aut iste sermo, inquit, præscindendus est, aut ego cum vestrâ veniâ hinc abeo. *P.Rho in Ex.p.153.*

## §. VI. EXEMPLA PROFANA.

I. Titus Tacitus Metello sibi obtrectanti respondit: Facile est, in me dicere, cùm ego responsurus non sim. Tu maledicere didicisti, ego maledicta contemnere. Si tu tuæ linguæ Dominus es, ut, quidquid liber, effutias. Ego quoque aurium mearum, ut, quidquid obvenerit, audiant inoffensè. *Marchant. 4.prop.2. in horto.Past.*

II. Zoilus rogatus, cur sic omnibus malediceret? respondit: Quia malè facere nequeo, *Ælian.l. 11.*

III. Socrates nuntianti quendam esse, qui maledictis eum perpetuò incesseret, respondit: Bene loqui nescit. *Laert.l.2.*

IV. Vespasianus & Titus Imperatores tanto odio Detractores prosecuti sunt, ut flagellis cæsos, veluti puplico exitio destinatos, per Amphitheatri arenam spectandos traducerent. *Alex. ab Alex.l.3. Gen.c.12.*

V. Do-

*Tympius in spec. Mag. p.1 fig.47.* V. Domitianus Detractores Urbe expulit, hanc vocem crebrò usurpans: Obtrectatores & Calumniatores, qui non castigat, irritat.

*Sylvius l.4. de rebus Alph.* VI. Plato, cùm ei d ceretur, esse nonnullos, qui famæ illius detraherent, dixit: ast ego sic vivam, ut illis fides non habeatur.

## §. VII.
## SIMILITUDINES.

### *Qualitas.*

*Stapl.th. 2. in Dom 3. post Pent.* I. SIcut Porci amœnissimum hortum floribus consitum ingressi flores non attingunt, sed fimum vel aliam lutulentam materiam invenientes in ea se volutant, & ore suffodiunt; ita detractores in homine non virtutes & laudabilia facta, sed sola crimina & defectus coram aliis proferre gaudent, ut eorum famam imminuent.

*Ibid.* II. Sicut Ranæ de die & palàm tacent in paludibus suis lutosis quiescentes, de nocte autem vociferantur, & coaxant; sic Detractores publicè alios vituperare non audent, occultè autem id facere liberaliter gaudent.

*Ibid.* III. Sicut Scarabæus nullum bonum odorem sustinet, sed in stercore semper versatur, eóq; se oblectat, & pascit; ita & Detractor; hinc S. Chrysost. monet dicendum tali: Habes, quem laudes? aures aperio, ut unguenta suscipiam. Si verò malum velis dicere, obturo aures. Non enim stercus & cœnum accipere sustineo.
*S Chrisost. ho.3. ad Popul.*

*S. Greg. l.14. mor. c.14.* IV. Sicut Canes assiduè quærunt, quod rodant; ita Detractores, quod occultè carpant; hinc S. Gregorius ait: Qui alienæ vitæ detractione pascuntur, alienis procul dubio carnibus saturantur.

*Plin.l.8. c.17.* V. Sicut Camelus antè, quàm bibat aquam; calcando eam turbat, ne deformitatem suam aspiciat; sic Detractores, ne suos defectus intueri cogantur, alienam famam detractionibus turbant & obscurant, sanctissimúm illis est Ephesinorum decretũ: nullus inter nos excellens esto.

*Drex. in Phaet.c.18 §.5.* VI. Sicut non tantùm malè agit, qui proximi ædes incendit, sed etiam, qui aquam, cùm posset, ad sopiendum ignem non affert; ita non Detractor solùm, sed etiam favens Auditor Detractionum culpæ, pœnæque reatum contrahit.

*Ibid.c.17.* VII. Sicut Ericius Marinus quia aculeis plenus est, piscibus omnibus timori est; ita Detractor hominibus propter detractionum aculeos.

*Cassiod. apud Marchant. tr. 1. lect.17. prop 3.* VIII. Sicut dentes cibo partem aliquam detrahunt, a que à demendo dicti sunt; ita Detractores dentibus in S. Scriptura comparantur, quia hominum vitam & famam corrodunt.

*Drex. in Phaet.c.17 §.4.* IX. Sicut Lupi humanæ carnis tam appe entes sunt, ut etiam tumulos effodiant. & humanam carnem in cibum sibi exhument; ita Detractores tam avidi sunt famæ alienæ lædendæ, ut ne mortuis quidem parcant.

*Ibid.§.2.*

### *Damnum.*

X. Sicut Aspides virus suum in linguâ continent, & spuendo ejaculantur; ac licet vix ullum morsus sui vestigium relinquentes, mortem tamen inferunt, ostiolo ægrè visibili; sic Detractores sæpe pauculis verbis famam & vitam auferunt alteri, licet vix advertatur morsus.



*Ibid.c.18. § 1.* XI. Sicut Sirenes dum suaviter canentes audiuntur, navem, cum vectoribus evertunt; ita Detractores ruinam afferunt iis, à quibus libenter & cupidè audiuntur.

*S.Chrys. ho. 39.in Acta.* XII. Sicut is, qui vasa furto sublata, coram aliis ostentat, non tam Dominum Vasorum, quàm suos defectus & imperfectiones ostendit.

*Fab.Do 3. post Pent. conc.4.* XIII. Sicut sagitta pedi infixa nullam quietem concedit, donec extrahatur; sic latens scientia alienorum delictorum tamdiu vexat Detractores, donec acquirant aliquem, cui ea revelent.

*Ibid.n 3.* XIV. Sicut Novacula barbam citissimè radit, sed ea tardè repullulat; ita Detractio famam celerrimè quidem aufert, sed hæc difficulter restituitur.

*S.Hieron. ad Nepot.* XV. Sicut Sagitta in lapidem impacta desilit, & ipsum interdum jaculatorem percutit; ita detractio si obfirmatum animum reperiat, plùs detractori, quàm illi, cui detraxit, nocet.

*Langius in Polyanth.* XVI. Sicut Apes cum dolore infigunt aculeum, sed tandem eò relicto ipsæ quoque pereunt; ita & Detractores maligni contabescunt paulò pòst, quàm proximo malum inflixerunt.

## §. VIII.
## MOTIVA.

I. QUia gravius furto est hoc vitium; per furtum enim non nisi corporales divitiæ, per Detractionem verò fama, quæ omnibus divitiis præstantior est, aufertur. Hinc Salomon monet: Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi & magni. *Eccl.41. v.15.*

*S. August. 9.c.no.ne.* II. *Quia ipsi etiam Homicidio à SS. Patribus coæquatur*; Hinc S. Augustinus ait: Nemo peritorum aut prudentium putet, quod minus sit periculum in verbis lingua mentiendo, quàm manibus sanguinem fundendo. Sed & S. Clemens Papa: Homicidiorum tria esse genera, dicebat B. Petrus, pœnam eorum parilem esse; sicut enim Homicidas Interfectores Fratrum, ita Detractores quoque eorum, eósque audientes homicidas esse manifestabat. *S. Clement in epist. 1. ad S. Iac.*

*S.Bern.S. 24. in Cant.* III. *Quia caritatem directè impugnat, atque adeò summe DEO & Christo exosa est*; id quod S. Bernardus confirmat his verbis: Detrahentem, inquit David: secretò proximò suo hunc persequebar; nec mirum, cùm id præcipuè vitium caritatem, quæ DEUS est, & quidem cæteris acriùs impugnare & persequi cognoscatur. Omnis enim, qui detrahit, primùm quidem seipsum prodit vacuum caritate; deinde quid aliud intendit detrahendo, nisi ut is, cui detrahit, veniat in contemptum vel odium ipsis, apud quos detrahit?

*S. Bern. de tripl. Custod.* IV. *Quia gravissima damna infert*, uti S. Bernardus iterum sequentibus verbis

E clarè

clarè ostendit: Numquid non est vipera lingua Detractoris? ferocissima planè, nimirum quæ lethaliter inficiat tres flatu uno. Numquid non lancea est ista lingua? Profectò, & acutissima, quæ tres penetrat ictu uno. Lingua eorum, inquit, gladius acutus. Gladius equidem anceps, imò triplex est lingua detractoris. Addit deinde & crudeliorem esse lanceâ, spinis, & clavis, quibus Christus crucifixus est, eò quòd Detractor occidat seipsum, audientem, & cui detrahitur.

*S. Chryf. ho. 3. ad popul.*

V. *Quia perpetuam animo anxietatem & tristitiam creat*; ut S. Chrysostomus indicavit dicens: Sed jucundum est, inquis, detrahere, imò jucundum non detrahere; detrahens enim continenter anxius est, suspicatur & timet, linguam suam mandit, tremens, ne fortè aliis enuntiatum verbum magnum sibi periculum afferat.

*Eccl. 23. v. 20.*

VI. *Quia difficillimæ est curationis*; tum quia parit consuetudinem valde radicatam, ob quam Siracides dixit: Homo asuetus in verbis improperij in omnibus diebus suis non erudietur; tum quia etiam obligationem restituendæ famæ secum trahit, uti Salomon testatur dicens: Qui detrahit alicui rei, in futurum se obligat. Quàm difficilis autem sit restitutio famæ integra, patet tum experientiâ in ipsis detrahentibus; tum in iis, quibus detrahitur, in quibus licet vulnus obligatum videatur; manet tamen semper fæda quædam cicatrix; hinc Alexandri Macedonis Adulator dicere solebat: Si quem hostem habes, convitiis illum audacter pete, nam etsi vulnera curet, manet tamen cicatrix. Nam mala opinio de aliquo est clavo in asserem impacto similis, qui facilè quidem intruditur, sed difficulter iterum extrahitur.

*Prov. 13. v. 13.*

*Drex. in Phaeth. c. 15. §. 4.*

*S. Hieron. in epist.*

VII. *Quia vilissimum & stultissimum est hoc vitium*; nam, teste S. Hieronymo, vilium satis hominum est, & suam laudem quærentium alios viles facere, quia alterius vituperatione se laudari putant, & suo meritò placere non possunt, placere volunt in comparatione malorum. Et quis non stultissimum judicet illum, qui surdo loqui velit? atqui surdo maledicere, ut ait S. Gregorius est absenti & non audienti derogare. Adde, quòd, sicut is, qui à tergo & clam invadit proximum, ignobile & turpe facinus (ein Schelmen-Stuck) commisisse censetur; ita idem de Detractore sit sentiendum; hinc DEUS per Moysen dixit: Maledictus, qui clam percusserit proximum suum, & dicet omnis Populus: Amen.

*S. Gregor. l. 3. Past. admon. 36.*

*Deut. 27. v. 24.*

## §. IX.

## MEDIA.

*Drex. in Phaet. c. 15. § 4.*

I. R*Adicem tollere*: Ea autem est vel *Superbia*, dum Detractor suam ostentat scientiam: aut *Levitas animi*, dum aliis studet placere: aut *Invidia*, dum aliena lucra, sua damna reputat: aut *Simultas & alienatio*, dum animum vindictæ appetentem satiare desiderat: aut mala *Consuetudo*, tùnc enim etiam non cogitantibus elabitur nociturum telum.

II. *Seipsum & suos defectus inspicere*: Sic S. Bernardus suasit dicens: Nunquam alienis detrahes, si te bene inspexeris. hinc S. David: Scrutati sunt iniquitates (scilicet alienas) defecerunt scrutantes scrutinio (propriorum defectuum.) Idem S. Pimenius Abbas sapienter confirmavit, dum rogatus, quomodo potest vitare homo, ne loquatur malum de proximo suo: respondit: Ego & proximus meus duæ imagines sumus; cùm ergo meam perspexero, & reprehendero, invenitur imago Fratris mei venerabilis apud me; quando autem meam laudavero, tunc Fratri mei imaginem pravam respicio. Tunc ergo alteri non detraho, si semper meipsum reprehendo. Id quod Pio Abbas facto ipso declaravit, dum saccum humero imposuit in posteriori parte arenâ plenum, in anteriori verò pauca grana continentem, dixitque, priori aliena, posteriori nostra peccata significari, quorum dum obliviscimur, paucorum alienorum recordamur, & carpimus, sicut qui multùm foris vagantur, plerumque domestica non curant negotia, è contrario verò boni, teste S. Gregorio, cùm alienas culpas audiunt, mox ad cor proprias reducunt.

*S. Bern. c. 41. de int. dom. Ps. 63. v. 7.*

*Ruff. l. 3. de vit. Patr. n. 133*

*Ib. n. 136.*

*S. Greg. l. mor. c. 18.*

III. *Fugere Societatem Detractorum*: de quibus S. Bernardus dixit: Non veniat Anima mea in consilio detrahentium, quoniam DEUS odit eos, dicente Apostolo: Detractores DEO odibiles. Hinc S. Hieronymus quoque monuit: Si quem alicui detrahentem audieritis, procul fugientes dimittite, velut serpentem, ut verecundiâ victus discat, de aliorum factis silere.

*S. Bern. S. 24. in Cant.*

*S. Hier. in reg. mon. c. 22.*

IV, *Non citò credere narrantibus*: nam, ut sapienter S. Paulinus advertit, si hæc in nobis esset diligentia, ne passim Obtrectatoribus crederemus, jam omnes detrahere ometent, ne non tam alios, quàm seipsos viles detrahendo facerent. Sed hoc ideo malum celebre est, idcirco in multis fervet hoc vitium, quia penè ab omnibus libenter auditur.

*S. Paulin. ad Celant.*

V. *Sermonem alio derivare*: Ut enim ferocienti Tauro pallium objicitur, ut, dum ille cum pallio luctatur, homo illi se subducat; sic ut eum, cui detrahitur, liberemus, sermo diversus obtrudendus est.

*Drex. in Phaet. c. 15. §. 4.*

## X.

## ASCETICA.

I. QUatuor sunt, quæ Asceta ad hoc vitium à se, aliisque arcendum specialiter observare debet. Primum est, ut benè cognoscat, quanto studio caveri debeat ab iis, qui perfectionis sunt studiosi, quod quidem ex S. Paulino Episcopo discet sic loquente: Est sanè tale hoc vitium, quod vel inprimis extingui debeat, & ab iis, qui se sanctè instituere volunt, prorsus excludi. Nihil enim tam inquietat animum,

*S. Paulin. ad Celantiam.*

nihil

nihil est, quod ita mobilem mentem & levem faciat, quàm facilè totum credere, & obtrectatorum verba temerario mentis assensu sequi. Beatúsque est, qui contra hoc vitium ita se armaverit, ut apud eum detrahere nemo audeat. Sanctus Chrysostomus certè intrepidè dixit: Hoc vitio neque sæcularium, neque Monachorum ullum facilè invenies liberum.

S. Chrysost. apud Engelgr Dom. 8. post Pent.

II. Ut bene cognoscat modum extirpandi hoc vitium tum in se, tum in aliis, qui quidem optimus est, si & radix illius, de qua superiori §.n.1. dictum, extirpetur, & è contrario caritatis fraternæ studium magna cum sollicitudine suscipiatur; si enim hæc firmas semel in animo radices fixerit, facilè is ad vitium detractionis utpote summè caritati illi contrarium totis viribus exterminandum impelletur.

III. Ut solidum quoque modum sciat, ferendi detractiones; qui quidem optimè à pio Asceta docetur, dum in Persona Christi sic loquitur: Si attendis, quid apud te sis intus, non curabis, quid de te loquantur homines foris. Homo videt in facie, DEUS autem in corde. Homo considerat actus, Deus verò pensat intentiones. Erige ergo cor tuum in cœlum, & non contristabit te contemptus hominum in terris.

lib.2.c.6.

IV. Ut sciat, quando de alterius peccato sermo institui possit, aut debeat, nimirum in duobus casibus. 1. Cùm id jam percrebuit in vulgus promulgata, & passim in sermone cœpit esse. 2. Cùm ei dicitur, qui peccantem castigare & juvare potest. Et ad hoc faciendum sæpe etiam obstringimur, ut S. Thomas docet, ne ulcus occultatum putrescat.

## §. XI.
## CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. Ex occasione thematis: *Lingua eorū gladius acutus*: Potest comparatio inter carnifices, qui S. Bartholomæum excoriàrunt, & inter Detractores institui, dicique, hos illis crudeliores existere. 1. Quia illi vestes ab initio detraxerunt, isti famam omnibus rebus pretiosiorem auferunt. 2. Illi cutem materialem duntaxat, quæ corpus ornat; hi spiritualem autem, nempe opinionem bonam aliorum de aliqua, quæ totū hominem exornat, abstrahunt. 3. Illi vitam corporalem, isti Spiritualem, quā quis in mente aliorum vivit, eripiunt, & sæpe etiam omnino animæ, dum proximum in cupiditatē insatiabilem vindictæ præcipitant, intentum afferunt. 4. Illi Sacerdotem occiderunt ignorantes veram fidem, aut non credentes; isti scientes, agnoscentes Sacerdotalem dignitatem audent tangere Christum Domini. 5. Illi Benefactorem suum peremerunt, isti majorem Benefactorem, scilicet ipsos etiam Superiores, qui curam animæ ipsorum gerunt, spiritualiter occiderunt. Si ergo crudelitatem in S. Bartholomæum exercitam detestamur, quantò magis detractionis vitium fugere oportet.

Ps.56.v.5.

II. Ex occasione thematis: *Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio*: Possunt Detractores serpentibus comparari. 1. Quia sicut Diabolus per serpentis formam assumptam seduxit primos parentes, & omnibus posteris gravissimè nocuit: ita & per Detractores hodie etiamnum pluribus nocet; hinc S. Chrysostomus ait: Qui detractioni studet, Diabolo servit, utpote qui calumniæ opera exequatur. Et S. Augustinus: Quem Diabolus non potest devorare seductum ad nequitiam, famam ipsius inquinare conatur, ut, si fieri potest, opprobriis, hominum & malarum linguarum detractione deficiat, & sic in fauces ejus ruat. 2. Quia sicut serpens occultè mordet; ita & Detractor. 3. Quia sicut serpentes aliqui in linguā, alij in caudā venenum gerunt; ita Detractores aliqui statim initio sermonis lædunt, alij prius laudant, ut per finem sermonis velut caudam gravius vulnerent. 4. Quia sicut serpens uno morsu totum corpus inficit; ita Detractor pauculis verbis vitam & famam aufert. 5. Quia sicut Serpentes, ut, ipsi vivant, Matrem enecant; ita Detractor antè, quàm aliis noceat, sibi ipsi plurimum obest. Hinc meritò S. Bernardus dixit: Fuge detrahentes velut serpentes.

Jer.8.v.7.

S. Chrys. in Ps.100.

S. August. epist.137.

IV. Ex occasione thematis: *Detrahentem secreto proximo suo hunc persequebar*: Potest Detractio Homicidio comparari juxta illud S. Augustini: Nemo peri orum aut prudentium putet, quòd minùs sit periculum in verbis linguā mentiendo, quàm manibus sanguinem fundendo, idque probetur ex triplici capite majus esse. 1. Ob *vitam, quæ eripitur*; cùm multi malint vitam temporalem, quàm famā perdere, per quam in mentibus aliorum vivunt; hinc multi mortem elegerunt, ut famam sibi compararent, vel conservarent. 2. *Ob modum, quo eripitur*: Occultè scilicet & fraudulenter; sicut Joab olim Abnerem & Amasam occidit. 3. Ob Instrumentum, quo eripitur: scilicet per linguam, quæ juxta S. Bernardum est gladius anceps, imò triplex, atque adeò gravissimo cum dolore & damno vulnerat.

Psal.100. v.5.

In S. Aug. 1.3 c.nemo

V. Ex occasione thematis: *Abominatio Hominum detractor*: Potest Detractio Lepræ comparari. 1. Quia sicut lepra corrumpit corpus leprosi, ita detractio Animam detractoris. 2. Quia sicut lepra etiam alios facilè inficit; ita & Detractor audientes corrumpit, & perimit. 3. Quia sicut Leprosi propter hæreditarium morbum ab omnibus fugiuntur, & in loco speciali habitare coguntur; ita & Detractores omnibus hominibus exosi sunt, & declinantur. Vide Fabr. in Auctario them. 4. in Dom. 4. post Pascha.

Prov.24. v.9.

VI. Ex occasione thematis: *A detractione parcite linguæ*: Potest comparari detractio sagittæ, quā Dux Bullionius Lotharingius Urbem Jerosolymam obsidens, in turrim Davidicam excussā tres simul alites confixit; simili ergo modo dicatur & sagittam detractionis tres uno ictu configere, nimirum detrahentē, eum, cui detrahitur, & audientem. Unde meritò quidam cecinit:

Detrahis? Auditor cadit, & cadit hostis, & Auctor;
Quod caput est: sic vox tres simul una necat.

Vide Engelgr. in Dom. 8. post Pent. p. 3.

## §. XII.
## MISCELLANEA.
### *Qualitas.*

*Exod. 8. v. 16.* I. Dixerat olim DEUS Moysi: Extende virgam tuam, & percute pulverem terræ, & sint Cinyphes in universa terra Ægypti. Super quæ verba Stephanus Ednensis ait: Ciniphes animalcula parva, sed inquieta & acriter pungentia: Ciniphes autem sunt sermones Detractorij, eruntque in hominibus & jumentis, in omni ordine, sexu, ætate, Statu, inter opulentos & egenos, Dominos ac servos hoc detractionis malum grassabitur: multi non blasphemi, sed pauci, imò vix ulli non detractores.

*Horat. 1. Serm. Sat. 4.* II. De Detractore rectè cecinit Horatius:

- - - Absentem qui rodit Amicum.
Qui non defendit alio culpante, solutos
Qui captat risus hominum, famámq; dicacis:
Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit: hic niger est, hunc tu, Romane, caveto.

*Exod. 38.* III. In Exodo olim constituit DEUS, ut essent in templo certi lebetes, in quos candelarum emunctiones projicerentur, ne tetro suo odore astantium nares offenderent, sed in aqua mersæ protinus extinguerentur; quo præcepto voluit insinuare, detractionum fœtores mox ab audientibus extinguendos, ne alios offendant, si ad eos quoque deferantur.

*Æneas Sylvius l. 2. de rebus Alph.* IV. Sigismundus Imp. cùm apud illam purpurati accusâssent maledicentiam Germanicæ multitudinis, quæ de suo Principe passim malè loqueretur: an vobis grave videtur, inquit, illos malè loqui, cùm nos malè agamus?

*Rosvveidus in Vitis PP. l. 6.* V. Cùm Joannes Abbas quondam interrogaret Senem: Quomodo anima habens propria vulnera non erubescit detrahere proximo suo? Respondit Senex: Erat quidam homo pauper, habens uxores duas malè vestitas & penè nudas. Qui cùm ad nundinas vicinas navigare vellet, rogaverunt eum, ut simul irent. Eas ergo quia in publicum educere non audebat, utpote laceras, inclusit in dolium, & transfretavit. Circa meridiem una ex iis, populo recedente, advertens silentium exiliit, & reperit vestem curtam, vilem, rusticam, eâque se cooperuit, sicque audenter in publico incessit. Altera prospiciens è dolio, eámque videns ait: Ecce stulta ista rusticanâ in tunicula non erubescit. Cui Maritus: O Miraculum! Hæc utcunque confusionem suam cooperuit, tu verò undique lacera & nuda non erubescis culpare vestitam vel rusticaré? ita est omnis detractor, qui propria mala non videns aliena semper accusat.

*Engelgrav. Dom. 8. post Pent §. 3.* VI. Detractorum nota vox & gladius est vox *nisi*, dum dicunt: bonus esset, nisi hoc vel illud vitium haberet; unde natum dysticon:

Si *nisi* non esset, quàm felix quilibet esset!
Sunt pauci visi, qui caruêre *nisi*.

*Marchant. in horto Past. tr. 4. lect. 17. prop. 2.* VII. Detractionem rectè comparat Marchantius caudæ Draconis Apocalyptici, quia sicut ille suâ hâc caudâ tertiam partem Stellarum è cœlo traxit; ita detractio majorem partem hominum in abyssum inferni secum præcipitat.

VIII. Elephas licet corpore & viribus eminens, usque adeò tamen timet mures, ut, si vel solum illorum odorem senserit, timeat; ita & summi quique viri coram Detractoribus sibi timere non immeritò debent. *Ibid.*

### *Damnum.*

IX. Theocritus olim interrogatus, quæ essent immanissimæ feræ? respondit: in montibus & silvis Leones & ursos esse putem Ferarum ferocissimos, in oppidis verò & urbibus Fœneratores & Detractores. *Arist. l. 7. anim. c. 4.*

X. S. Augustinus detractorem corvo ex Area à Noë emisso comparat, qui non est reversus ad arcam, sed cadaveribus in diluvio natantibus adhæsit; virum bonum verò columbæ viridem ramum honestæ laudis & commendationis reportanti. *S. August. l. 12. contra Faustum.*

XI. In Levitico DEUS scabiosos à Sacrificio arceri voluit, quia nec tunc continere se potuissent, ne scaberent; similes ergo scabiosi cùm sint detractores, quid mirum si à DEI ministerio removeantur? *Lev. 21.*

XII. In obsidione Rhodi Andreas de Moraillo Eques Lusitanus simulans se excubias lustrare, literas in urbem ejaculatus est telo alligatos; sic detractores per suas sagittas detractionũ ad quantúcunque vallata loca penetrant. *Engelg. dom. 8. post Pent. §. 2.*

XIII. Festivum est, quod Poëta lusit, uno jaculo piscem in aquis, hirundinem in aëre, & leporem in campis trajectum fuisse

Trans amnem visus lepus est, contenditur arcus
Ocyus, & celeri missa sagitta manu.
Fortè salit piscis, progne prætervolat, hærent
Tres uno in telo, piscis, hirundo, lepus.

Simile quid detractores faciunt tres uno sermone offendentes.

## §. XIII.
## AXIOMATA.

I. Si decus est morum, ne cures verba malorum. *Buchlerus V. detractio.*

II. Murium pessimus, qui linguâ rodit. Ita commune proverbium, teste Marchantio. *March. t. 2. lect. 17. prop. 2.*

III. In Astrum nunquam digitum intende, id est, de Magnatibus nihil temerè loquere. Ita Pythagoras monebat.

IV. Ehren-Dieb/ gröste Dieb. Quia sicut rectè dixit Isidorus Pelusiota, bona existimatione nihil est præstantius ac melius, nec Crœsi thesauros quisquam cum ea comparaverit. Tales enim esse censemur, quales fama cujusque est; huic aures, huic oculi intenduntur. Melius omnibus, quàm singulis creditur; singuli enim decipere & decipi possunt, nemo omnes, neminem universi fefellerunt. Hinc & Plautus. *Fab. con. 6. in Dom. 3. post Pent. n. 3. Isidor. l. 3. epist. 141.*

Ut Fama est homini, sic solet pecuniâ invenire,
Ego si bonam famam mihi servâsso, sat ero dives.

V. Den Todt/ und Ehr Abschneiden
Ein jeder Mensch muß leyden/
Niemand kan vermeiden.

VI. Hine, quod morti tribuitur Symbolum: *Nemini parco* etiam Detractorũ proprium est.

VII. Ehren-Wunden seynd zum schwärlisten zu heylen. Quia fama difficulter ex integro restituitur.

VIII. Die ärgiste Hund seyn/ welche hinderrucks beissen. Optimè Detractoribus convenit, qui non nisi absentes aggrediuntur.

IX. Ehe Abschneider hätten gute Hennen abgeben/ sie scharten gern im Mist.

### §. XIV.

### A V T H O R E S.

I. JOannes Busæus in Panario. V. Detractio.

II. Hieremias Drexelius in Phaëthonte c. 15. 16. 17. & 18.

III. Jacobus Marchantius in Horto Pastorum tract. 4. lect. 17.

IV. Henricus Engelgrave. in Dom. 8. post Pentecost.

V. Matthias Faber. in opere trip. in Dom. 3. post Pentecost. conc. 4. 5. & 6. Item in Auctario. them. 4. in Dom. 4. post Pascha.

VI. Jacobus Alvarez. to. 2. l. 2. c. 11. §. 1.

VII. Josephus Langius in Polyanthæa V. eodem.

VIII. Antonius Dauroltius. cap. 3. tit. 124.

---

# *T I T V L V S VI.*

# D I S C O R D I A.

### §. I.

### QUOAD ESSENTIAM.

*Definitio.*

I.

S. Thom. 2. 2. q. 37. A. 1. EST quædam voluntatũ disgregatio in diversa juxta S. Thomam; aut juxta Ciceronem est ira acerbior intimo odio & corde concepta. Unde Isidorus dixit: Discordia est aliquorum diversio, quos priùs amoris vinculum colligavit. Concordia verò est convenientium in rectitudine animorum indirupta quædam & unita complexio. Seditiosus est, qui dissensionem animorum facit; & discordias gignit. Isidor. l. Ethymol.

*Actus.*

II. *Verbis, alterius opinioni se plus æquo opponere*; idquod S. Paulus prohibuit dicens; Noli contendere verbis; ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. 2. Tim. 2. v. 14.

Eccl. 8. v. 1. III. *Ad verbera usque contentiones & rixas extendere*: de quo illud Salomonis intelligi potest: Non litiges cum homine potente, ne fortè incidas in manus illius.

Ibid. 28. v. 13. IV. *Etiam sanguinem effundere rixando*; id quod Siracides indicavit, dum dixit: Certamen festinatum incendit ignem, lis festinans effundit sanguinem.

### §. II.

### EX S. SCRIPTVRA.

*Qualitas.*

1. Cor. 14. v. 33. I. NOn est dissensionis DEUS, sed pacis.

Prov. 6. v. 16. II. Sex sunt, quæ odit DEUS, & septimum detestatur anima ejus, qui seminat inter Fratres discordias.

1. Cor. 3. v. 3. III. Cùm sit inter vos Zelus & contentio, non carnales estis?

IV. Inter Superbos semper jurgia sunt. Prov. 13. v. 10.

V. Abstine à lite, & minues peccata. Eccl. 28. v. 10.

VI. Qui tecum vult judicio contendere, & tunicam tollere, dimitte ei, & pallium. Matth. 5. v. 40.

*Damnum.*

VII. Sex sunt, quæ odit DEUS, & septimum detestatur Anima ejus, qui seminat inter Fratres discordias. Pro. 6. v. 16.

VIII. Noli contendere verbis, ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. 2. Tim. 6. v. 14.

IX. Vir sapiens si cum stulto contenderit, non inveniet requiem. Prov. 29. v. 9.

X. Omne regnum divisum contra se desolabitur, & omnis civitas vel domus divisa contra se non stabit. Matth. 12. v. 25.

XI. Væ mihi Mater mea; quare genuisti me virum rixæ, & discordiæ in universa terra? Ier. 15. v. 10.

XII. Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in jurgio citò: ne postea emendare non possis, cùm dehonestaveris amicum tuum. Prov. 25. v. 8.

XIII. Fortis impegit in fortem, & ambo pariter conciderunt. Ier. 46. v. 12.

XIV. Ubi Zelus & contentio, ibi inconstantia & omne opus pravum. Iac. 3. v. 16.

XV. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, Sectæ, &c. Qui talia agunt, regnum DEI non possidebunt. Gal. 5. v. 19.

### §. III.

### EX SS. P A T R I B U S

*Qualitas.*

I. SEptimum locum inter carnis opera contentio possidet, quodam quasi sacrato & eminenti inter vitia numero collocata; Servum enim Domini non oportet rixari, sed esse mansuetum ad omnes, Doctorem longanimem, cum mansuetudine audientem etiam eos, qui à contrà disputant. S. Hier. in cap. 5. ad Galat.

S. Aug. in Psalm. II. In discordia nemo benedicit Dominum.

Cassiod. Ep. 22. III. Decet regalis apicis curam, generalitatis custodire concordiam, quæ ad laudē regnātis trahitur, si ab hominibus pax ametur. Quid enim est, quod Principem meliùs prædicet, quàm quietus Populus, concors Senatus, & tota Respublica morum honestate vestita?

Idem. IV. Summoperè jurgia fuge; nam contra parem contendere anceps est, cum superiore furiosum, cum inferiore sordidum, maximè autem contra fatuum contentionem inire; nam absentem lædit, qui cum ebrio litigat.

*Damnum.*

S. Hieron. in c. 30. prov. V. Qui incepto verbo rixam & discordiam ex fraterno corde provocat, quasi necessaria ultra modum emungens sanguinem elicit.

S. Greg. l. 9. mor. VI. Perversæ mentes si semel ad studium contrarietatis eruperint, sive pravum, sive rectum quid à contradicentibus audiant, adversùs hoc responsionibus impugnant; quia cùm Persona per contrarietatem displicet, nec recta, quæ protulerint, placent.

S. Cypr. f. 6. de Oration. Dom. VII. Discordans & dissidens, & pacem cum Fratribus non habens secundùm quod B. Apostolus & Scriptura testatur, nec si pro nomine Christi occisus fuerit, crimen dissensionis poterit evadere, quia sicut scriptum est: Qui odit Fratrem suum, homicida est. Quale delictum est, quod nec Martyrio sanguinis potest ablui.

S. Basil. Orat. 1. de pace. VIII. Nulla re amicitiæ faciliùs dissuuntur, quàm diversâ animorum sententiâ.

S. Greg. Orat. 20. IX. Quid in nostra doctrina præstantissimum est? pax, addam etiam utilissimum. Contra quid turpissimum & perniciosissimum? voluntarum disjunctio.

Ibid. X. Audiant jurgiorum Seminatores, quod scriptum est: Beati pacifici, quoniam Filii DEI vocabuntur: atque è diverso colligant, quia si Filii DEI vocantur, qui pacem faciunt, procul dubio sunt Satanæ Filii, qui confundunt.

S. Bern. de modo bene viv. f. 17. XI. Lingua rixosa veneno est plena; quæ si non fuerit castigata, omnes suos socios perducet ad scandala.

S. Basil. orat. 9. XII. Contentiones à principio exiles quidem esse solent, & facilè curantur; at procedente tempore auctæ, insanabiles omnino evadunt.

S. Bern. f. ad milit. XIII. Infelix victoria est, quâ superans hominem succumbis vino.

## §. IV.

## EXEMPLA.

*Qualitas.*

Gen. 37. v. 4. I. Josephi Ægyptii Proregis Fratres non poterant ei quidquam pacificè loqui; ideo ille postea jam Protex ab eis agnitus rediturus in Patriam dixit: Ne irascamini in via: quasi diceret: Novi contentiosum vestrum Genium; moneo proinde ut caveatis à litibus, ne unio fraterna violetur, & gravia vobis per discordiam mala creentur.

II. De Abrahami & Loth Pastoribus testatur S. Scriptura: Facta est rixa inter Pastores gregum Abram & Loth; erat quippe substantia eorum multa, nec poterant habitare communiter. Gen. 13. v. 7.

III. Esau & Jacob in utero Matris collidebantur, quod explicans Dominus consulenti Rebeccæ dixit: Duæ Gentes sunt in utero tuo, & duo Populi ex ventre tuo dividentur, populúsque populum superabit, & major serviet minori. Gen. 25. v. 22.

*Fuga.*

IV. Abraham advertens rixas inter suos & Fratris Pastores exortas esse dixit ad Loth: Ne, quæso, sit jurgiū inter me & te, & inter Pastores meos, & Pastores tuos. Fratres enim sumus. Ecce universa terra corā te est: recede à me, obsecro: si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistrā pergam. Gen. 13. v. 8.

V. S. Paulus licet oraculo Spiritûs S. ab initio cum S. Barnaba conjunctus fuerit, tamen quia postea diversitas opinionum inter eos exorta fuerat, se ab eo segregavit, ne contentio inter eos exurgeret, uti S. Chrysostomus testatur est dicens: Mihi disertè videtur Separatio Pauli à Barnaba facta, quòd inter se dixerint: Quoniam ego non volo, nec tu vis, ne pugnemus, distribuamus Provincias, & ita sibi invicem multùm cedentes hoc fecerunt. Unde idem S. Paulus Corinthiis postea scripsit: Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, nec Ecclesia DEI. Act. 15. v. 39. 1. Cor. 11. v. 16.

VI. S. Gregorius sententiam quandam de certo Evangelii argumento explicans in concione subjecit, si quis contrarium sentiat, malle se alienæ sententiæ salva Fidei veritate subscribere, quàm cum aliquo contendere. S. Gregor. ho. 38. in Evang.

VII. S. Ephrem testamentum conscripsit, non nummis, sed meritis opulentum, in quo gratias agit DEO, quòd nunquam litigârit cum ullo homine. Drex. in Phaeth c. 10. §. 4.

VIII. In Galliarum Finibus cùm Abbas quidam graves cum Domino quodam præpotente lites haberet, jámque eò devenisset contentio, ut Sæcularis Dominus integras cohortes in aciem educeret, ipse Abbas cum solis Monachis equo impositis crucísque vexillo eidem obviam progressus est, quo viso tantus hostes divini numinis horror invasit, ut protinus de equis desilientes arma projicerent, & in genua provoluti veniam peterent. Spec. Ex. V. Discord. ex 2.

IX. S. Macarius audiens cœlitus se nondum pervenisse ad mensuram meriti duarum mulierum in civitate Alexandrina existentium, cùm easdem indagâsset, & interrogâsset, quibus potissimùm virtutibus studerent? responderunt illæ, se nihil aliud scire, nisi quòd quindecim annis in eadem domo habitantes nunquam litigâssent, sed semper pacem coluissent. Ibid. ex 5.

*Damnum.*

X. Duo Adolescentes quia de agro ex paterna hæreditate relicto fœdè contendebant, nec etiam S. Gregorio Thaumat. quem arbitrum litis Eusebius l. 7. c. 25.

litis constituerant, cedere nolebant, effecerunt, ut ad ejusdem Sancti preces lacus totus exiccaretur.

*S. Petrus Dam. l. 4. ep. 17.* XI. Quidam Sacerdos cùm capitalem cum alio Sacerdote discordiam fovens ad eundem assumptâ secum lanceâ perrexit; verùm ingruentibus tenebris quinque nigros Equites obvios habuit, quorum Duci cùm manum offerret (putans eum esse alium, à quo jam sæpè sollicitatus erat, ut ejus subditus fieret) & fidelitatem promitteret, Dux dicens Diabolum se esse, & ad servanda promissa hortatus, cum Sociis disparuit. Unde ipse territus Episcopum adiit, factum narravit, & seriam pœnitentiam egit.

*Spec. Ex. l. c. ex 10.* XII. Vetula quædam quia à Diaboli loculum nummis plenum acceperat, ut discordiam inter maritum quendam & uxorem seminaret, eâ seminatâ audivit à Dœmone: Quod triginta annis ego perficere non potui, tu tribus diebus effecisti: digna proinde es competente præmio: secùmque vivam in infernum abripuit.

*Ibid. ex 7.* XIII. Frater quidam conversus in Monasterio Schönaug quia ob certum calceamentorum genus singulis annis dari solitum, & ab Abbate ob graves causas abrogatum, reliquos adversus dictum Abbatem concitavit, post aliquot monitiones & castigationes frustra factas, denique ut idem Abbas prædixerat, pridie Natalis Domini, quo consilium ab eo suggestum de calcementis minutim scindendis executioni mandari debebat, subitò vocem cum gemitu extollens, & pallescente facie, naribus contractis, oculisque eversis inter brachia Socii conspirantis expiravit.

## §. V.

## EXEMPLA DOMESTICA.

*Vita l. 5. c. 2.* I. S. Ignatius summè detestabatur lites & contentiones; hinc etiam in gravissimi momenti controversiis cedere malebat, quàm litigare, etiamsi cum sat magno incommodo suo id fieret, uti factum est, cùm in Refectorium Domûs Professæ perobscurum vetuit fenestram in communi muro effingi, eò quòd vicinus, licet contra Jus, concedere id nollet. Addebat autem ejusmodi studium concordiæ non modò perhonestum & liberale, sed etiam valde proficuum esse ad benedictionem à DEO, propter quem & ex amore Justitiæ ac caritatis fraternæ damnum in temporalibus patimur, obtinendam.

*Vita l. 4. c. 16.* II. S. Francicus Xaverius semper quidem, sed maximè pro suggestu contentiones & certamina vitari jubebat, quamvis justæ certaminū multæque ac magnæ causæ incidissent; ex talibus enim concionibus non solùm DEI, populique offensionem oriri, sed etiam certantium, cultûsque divini perturbationem. Cocini cùm Sodales quosdam, qui Societati JESU templum concesserant, Patribus infestiores esse

*Ibid. c. 13.* cognovisset, ipsemet magnâ honestissimorum hominum frequentiâ prostratus claves templi ante eorum posuit pedes, eâque demissione offensos animos penitus placavit.

*Vit. l. 2. c. 15.* III. P. Petrus Faber Alphonso Alvaro inter alia hoc etiam præceptum dabat: Offensiunculas statim elide, ex illóque Apostolico monito: Sol non occidat super iracundiam vestram: Ne quieti te des antè, quàm Fratri reconcilieris, eique ipsi simpliciter animi tui commotionem aperias. Id est colaphum Dœmoni impingere, cui reconcilliatio & demissio illa acerrimum dolorem ac probrum inurit.

*Vita pag. 126. & p. 260.* IV. Joannes Berchmans in lusu nunquam vocem clamosiorem edebat, aut cum altero contendebat. Imò inter alia sibi hoc etiam præceptum fecerat: In rebus agendis cave à Spiritu contentionis & contradictionis: & quando aliquid faciendum est, ut laborandum in culina, libenter sequaris judicium alterius, & idem sentias in rebus levioribus.

## §. VI.

## SIMILITUDINES.

### Qualitas.

*Plin. l. 10.* I. Sicut Vultures ad extincta corpora odore feruntur, sana non sentiunt; ita mali delicta statim olfaciunt, & ob ea litigant, & contendunt, ad rectè facta stupidi.

*Plutarch. in mor.* II. Sicut macula statim eluenda est, ne inhærescat, & difficilius eximatur; ita dissensio Fratrum illico tollenda est, ne odium gignat.

*Drex. in Plast. c. 10. §. 1.* III. Sicut unico gallo cantante, aut cane latrante mox alii etiam galli canunt, vel canes latrant; ita fatuus si incidat in hominem contentiosum, ambo clamate, & extra se ire incipiunt.

*Prov. 26. v. 17.* IV. Sicut qui apprehenderit auribus canem, sic qui transit impatiens, & commiscetur rixæ alterius.

*Drex. l. c. §. 4.* V. Sicut Echo silvarum tamdiu clamoribus respondet, quamdiu clamatur; ita inter litigantes non cessat contentio, quamdiu neuter à clamore desistit.

### Damnum.

*S. August. ep. 87.* VI. Sicut acetum corrumpit vas, si diutiùs ibi fuerit; sic ira corrumpit cor, si in alium diem duraverit.

*S. Chrys. in cap. 1. Matth.* VII. Sicut ventis certantibus universum mare concutitur, & conturbatur; sic Regibus aut Principibus sibi adversantibus Populus vexatur.

*Idem. hom. 26. in Num.* VIII. Sicut in Musica si vel unica chorda dissentiat, ingratissimus sonus efficitur; ita in communitate si vel unicum membrum discordet, dulcedo pacis & caritatis corrumpitur, & turbatur.

*Plutarch. in moral.* IX. Sicut singula hastilia aut tela facilè franguntur; non item si plura uno vinculo sint colligata; sic vires per concordiam unitæ difficulter superantur; facilè autem si per discordiam sunt separatæ.

*Idem.* X. Sicut periculum, quod navi in unum latus inclinatæ, & ad submersionem tendenti a-

verti-

avertitur, si omnes in alterum latus se inclinent; ita exitium, quod interdum Republicæ imminet, per civium concordiam evitatur.

*Idem.* XI. Sicut aqua si in locos hiantes ac diductos influit, magis eos divellit; ita qui discordias importunè componere satagit, sæpe magis illas adauget.

## §. VII.

## MOTIVA.

*S. Gregor. 3. p. past. admon. 23.* I. QUia Diabolicum est vitium: uti S. Gregorius indicavit, dum dixit: Admonendi sunt, qui jurgia seminant, ut, cujus sint sequaces, agnoscant.

*Prov. 18. v. 6.* II. *Quia stultissimum est vitium:* juxta Salomonem enim Labia stulti miscent se rixis, & os ejus jurgia provocat.

*S. Greg. loc. cit.* III. *Quia nocentissimum est vitium:* uti S. Gregorius iterum testatus est dicens: Admonendi sunt dissidentes, ut noverint, quòd tamdiu nullum boni operis Sacrificium DEO immolant, quamdiu à proximorum caritate discordant. Scriptum namque est: Si offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quia Frater tuus habet aliquid adversus te, relinque munus tuum ante Altare, & vade priùs reconciliari Fratri tuo. Ex qua præceptione pensandum est, quorum hostia repellitur, quàm intolerabilis culpa monstratur. Nam cùm mala cunctis bonis operibus sequentibus diluantur, pensemus, quanta sint mala discordiæ, quæ, nisi extincta penitus fuerint, bonum subsequi non permittit.

*S. Aug. Ep. 109.* IV. *Quia summum impedimentum Orationi affert:* hinc S. Augustinus Fratres suos monuit dicens: si invicem se læserint, invicem sibi debita relaxare debebunt propter orationes vestras, quas utique, quantò crebriores habetis, tantò saniores habere debetis.

*S. Greg. 3. past. adm. 23.* V. *Quia plurimorum vitiorum est radix:* in uno enim malo innumera peragunt, qui seminando discordiam, caritatem, quæ virtutum omnium Mater est, extinguunt. Quia autem nihil pretiosius est DEO virtute Dilectionis, nihil est delectabilius Diabolo extinctione caritatis.

*S. Hier. in Psalm. 82.* VI. *Quia Mali homines ad patrandum malum tam sunt concordes:* hinc lamentans S. Hieronymus ait: Infelix populus DEI non potest in bono tantam habere concordiam, quantam mali habent in malo.

*S. Greg. Naz. Or. 1.* *Plutarch. l. de educ. liber.* VII. *Quia præstat honestè vinci, quàm periculosè ac nefariè vincere:* teste S. Gregorio Nazianzeno. Non enim tantùm est egregium scire vincere, sed etiam posse vinci pulchrum est, ubi victoria damnosa est, inquit rectè Plutarchus.

## §. VIII.

## MEDIA.

*S. Aug. ep. 64.* I. VIrtuti caritatis studere: nam, teste S. Augustino, contentioni non resistitur, nisi crebrò divinorum librorum testimoniis incutiatur timor & caritas DEI.

*S. Chrys. ho. 38. in c. 21. Mat.* II. *Silentium servare, dum alter contendit;* ita S. Chrysostomus suasit dicens: Malum hominem tacendo & locum dando meliùs vincis, quàm respondendo, quia malitia non instruitur sermonibus, sed excitatur. Et, teste S. Valeriano, plena victoria est, ad clamantem tacere, & non respondere provocanti; id quod S. Chrysostomus similitudine venti per duas januas flantis declarat, quarum si utraque aperta sit, ventus vehementiùs furere pergit; omnes autem mox vires amittit, si alterutra claudatur. *Valer. hom. 14.*

*S. Ambr. l. 1. offic. c. 21.* III. *Cedere loco:* ut S. Ambrosius suasit dicens: Resiste iræ, si potes: cede, si non potes. Quia scriptum est: Date locum iræ. Jacob Fratri indignanti piè cessit & ideo tantam apud DEUM invenit gratiam. Certè Isocrati videtur Humanitatis officium deferere eum, qui rixosus est, & contra omnia contendit.

*Valer. Max. l. 2.* IV. *Citò componere:* id quod majores nostri docuerunt convivium solemne instituentes, quod Charistiam vocaverunt, cui præter cognatos & Affines nemo aderat, ut, si quæ inter eos querelæ essent exortæ, apud Sacra mensæ, & inter hilaritatem animarum, fautoribus concordiæ adhibitis tollerentur.

*Cassiod. l. 1. ep. 1.* V. *Castigatio seria:* nam, teste Cassiodoro, cogi debet esse quietus, qui suo vitio renuit esse pacificus.

## §. IX.

## ASCETICA.

*S. Aug. ep. ad 57.* I. TRia præcipuè sunt, quæ circa hoc vitium bene advertere debet Asceta. Primum est, ut sciat, quando permittere possit dissensiones; nam ut sapienter dixit S. Augustinus, dissensiones nunquam debent amari; sed aliquando tamen aut ex caritate nascuntur, aut caritatem probant. Quis enim facilè invenitur, qui velit reprehendi? & ubi est ille sapiens, de quo scriptum est: Corripe sapientem, & amabit te? Nunquid tamen ideo non debemus reprehendere, & corripere Fratrem, ne securus tendat in mortem? Aliam caussam permissionis affert S. Gregorius, dum ait: Sicut noxium esse solet, si unitas desit bonis, ita perniciosum est, si sit in malis; perversos quippe unitas corroborat, dum concordant, & tantò magis incorrigibiles, quantò magis unanimes fecit. Id quod appositè per fabulam confirmavit nonnemo, dum finxit, Accipitres quondam acerrimè inter se belligeratos fuisse. Quos proin Columbæ pacificare conatæ effecerunt, ut ipsi quidem inter se concordes essent, sed odium in columbas converterent, easque ad necem usque persequerentur. Hinc Melanthius dicere solebat, Rempublicam Atheniensium dissidiis Oratorum servari, quòd cùm non incumbant universi in unum latus navigi, fiat, ut ab altera parte veluti pondere oppositio administratio libretur. *S. Greg. l. 33. Moral.* *Lang. in Polyant. v. eod.*

*S. Greg. l. 5. mor. c. 14.* II. Alterum est, ut sciat solidum modum vitandi discordias, quem quidem pulchrè S. Gregorius indicavit, dum dixit: Boni viri freno con-

consilii retinent præcipitationem Verbi, & cautè considerant, ne relaxantes linguæ lasciviam Auditorum conscientiam incauta locutione transfigant. Unde bene per Salomonem dicitur: Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum. Aqua quippe dimittitur, cùm linguæ fluxus effrenatur. Sed dimissor aquæ caput jurgiorum efficitur, quia per linguæ incontinentiam discordiæ origo propinatur.

*S. Ambros. 1. off. c. 21.* III. Tertium est, ut solidum quoque mediū sciat sedandi discordias exortas; quale quidē S. Ambrosius assignat dicens: Illæ comotiones in Pueris innoxiæ sunt, quæ plùs habent gratiæ, quàm amaritudinis. Etsi citò Pueri inter se moventur, facilè sedantur, & majori suavitate in se recurrunt. Nesciunt se subdolè, artificioséque tractare. Nolite contemnere hos pueros, de quibus Dominus ait: Nisi conversi fueritis, & efficiamini, sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum. *Drexel. in Phaet. c. 10. §. 3.* Aliud medium suggessit alius, qui dixit: sicut tormenta bellica majora si muro allidantur, perfringunt; si in saccum laneum deferantur, non penetrant, & sine noxa sunt; ita litigantes ac contentionum amatores si in mitem incurrant, vim amittunt nocendi; si autem in sui similem offendant, utrinque detrimentum contrahitur.

## §. X.

## CONCEPTUS PRÆDICABILES.

*Iac. 4. v. 1.* I. EX occasione thematis: *Unde bella & lites in vobis?* potest ostendi 1. Quàm grave bellum sit discordia, quia videlicet aufert opes spirituales & temporales, famam, Societatis humanæ jucunditatem, & ipsam denique vitam temporalem & æternam. 2. Demonstrari potest, quàm verè dixerit S. Jacobus, has discordias ex nimio amore erga res terrenas oriri; *Arist. l. 5. polit.* id quod etiam Aristoteles agnovit, dum dixit: Nobilitas generis, & divitiæ sunt Fontes & principia seditionum.

*Prov. 17. v. 1.* II. Ex occasione thematis: *Melior est buccella sicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum jurgio.* Ostendi potest, quomodo talis buccella sicca cum gaudio seu pax melior sit. 1. *DEO*, cui nullum opus placere potest ab homine contentioso oblatum. 2. *Reipublicæ*: cujus incolumitas à concordia membrorum pendet. 3. *Rei familiari domesticæ*, quia concordiâ res parvæ crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur. 4. *Corpori*: quia sicut spiritus tristis exiccat ossa; ita jucunditas mentis etiam in corpus redundat, bonúmque sanguinem efficit. 5. *Animæ*: quia præservat à multis peccatis, & veram ei quietem conciliat.

*Matt. 12. v. 25.* III. Ex occasione thematis: *Omne regnum divisum contra se desolabitur*: ostendi potest per inductionem variorum regnorum, quomodo per discordiam desolata fuit. 1. *Regnum Celeste* per discordiam Angelorum, ubi ruina eorum fusiùs explicari potest. 2. *Regnum terrestre*: ubi per inductionem regnorum Hispaniæ, Galliæ, Angliæ, & maximè Romani fusè demonstrari potest, quantam cladem his regnis creârit discordia. 3. *Regnum spirituale animæ*, quod intra nos est; & gravissimam desolationem patitur per discordiam, quia interna radice gaudii & meritorum cælestium privatur per eam, &, uno verbo, omnes effectus belli spiritualiter experitur.

IV. Ex occasione thematis: *Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una*: *Act. 4. v. 32.* dici potest, sicut olim Babylonii turrim feliciter ædificârunt, quamdiu fuerunt unius labii & linguæ; ita Christum, quia volebat ostendere, quomodo Christiani turrim Evangelicæ perfectionis ædificare deberent, exemplum in primis Christianis relinquere voluisse, ut qui summam inter se cordis & oris concordiam servârunt. Demonstrandum, quo medio usi sint ad hanc concordiam servandam, scilicet quia nemo eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia; id quod & nunc fieri potest, si, ut Apostolus monet, qui utuntur hoc mundo, tanquam non utentes; & qui possident, tanquam non possidentes sint.

V. Ex occasione thematis: *Zizania autem Filii sunt nequam*: *Matt. 13. v. 38.* comparari possunt contentiosi Zizaniis. 1. Quia seminantur ab inimico, scilicet à Diabolo, cujus sunt Ministri & Filii. 2. Quia seminantur, cùm dormiunt homines, maximè Prælati, quorum officium est, ejusmodi seminationem præcavere. 3. Quia ut Zizania in se sunt infructuosi, nec enim quidquam possunt gratum præstare DEO, quamdiu discordias fovent. 4. Quia ut Zizania impediunt à profectu bonum semen Justorum, & sæpe omnino suffocant. 5. Quia olim separabuntur à tritico, id est justis hominibus, & colligati in æternū ignem conjicientur. Vide Fabrum conc. 8. in Dom. 5. post Epiph. n. 3.

## §. XI.

## MISCELLANEA.

### Qualitas.

I. CÙm Mulier quædam crebrò à Marito verberata consilium ab Amico peteret, *Drexel. in Phaeth. c. 10 §. 4.* & quâ ratione se à tot verberibus liberare posset? quæreret, ille Vasculum communi aquâ plenum obtulit, & hâc, quoties iratus Maritus litigaret, os implere jussit, nec deglutire, donec Mariti ira deferbuisset. Quo facto significare voluit, silentium esse optimum remedium ad aliorum contentiones sedandas.

II. Petronius Discordiam rectè sic descripsit: *Petronius apud Lang. V. eod.*
Intremuere tubæ, ac scisso Discordia crine
Extulit ad superos stygium caput: hujus in ore
Concretus sanguis: contusáq; lumina flebant,
Stabant irati scabra rubigine dentes,
Tabo lingua fluens, obsessa Draconibus ora,
Atque inter toto laceratam pectore vestem
Sanguineâ tremulâ quatiebat lampada dextrâ.

III. Omne bellum, inquit rectè Sallusthus, *In Iugurth.* facilè sumitur, cæterùm ægerrimè finitur; non enim in ejusdem potestate initium & finis est.

IV. Scilurus Rex Scytharū moriturus fasciculum 80. Sagittarum colligatum sibi afferri; & *Idem.* singu-

singulos Filios, quorum octoginta erant, vocari jussit; quibus cùm fasciculum inprimis ligatum obtulisset, & nullus ex eis frangere illum potuisset; solui eundem, & singulas sagittas singulis Filiis offerri præcepit, atque ut frangerent, hortatus est, quod cùm illi facilè præstitissent, hanc memorabilem illis doctrinam dedit: sic vobiscum se res habebit, ô Filii; quamdiu per vinculum caritatis & concordiæ conjuncti manebitis, invicti eritis; imbecilles verò, si per discordiam dissoluti sua quisque commoda duntaxat quæsiveritis.

*Damnum.*

*Virgilius l. 7.* V. Discordiæ damna breviter, sed nervosè descripsit Virgilius, dum cecinit:

Tu potes unanimes armare in prælia Fratres,
Atque odiis versare domos: tu verbera tectis,
Funereásque inferre faces, tibi nomina mille,
Mille nocendi artes.

*Panorm. l. 3. de reb. gest. Alph.* VI. Alphonsus Sæpe numero dicere solitus est, se si Romanorum tempore vixisset, constructurum fuisse templum Jovi Positono, ut de rebus acturi priùs in eo convenirent, & omnem contentionem deponerent. Quo dicto innuere voluit, nihil republicæ æquè perniciosum esse, quàm si plebs cum Magistratu non concordaret.

*Plinius. l. 36. c. 17.* VII. Tytheus lapis, quamvis grandis sit, innatat tamen undis, comminutus verò mox subsidit; sic concordiâ sustinemur, discordiâ pessumimus.

*Plutarch. in moral.* VIII. Inter Agathallos & Acanthylides tanta est discordia & odium; ut, si sanguis eorum vi misceatur, continuò se sursus separent, ac dissiliant.

§. XII.

AXIOMATA.

I. Concordiâ res parvæ crescunt: discordiâ maximæ dilabuntur. *Plutarch. in moral.*

Contra verbosos noli contendere verbis. *Cato.*

III. Ubi multæ rixæ, ibi multæ injuriæ. *Plato Floril. p. 2.*

IV. Gethellt Feuer brennet nit lang.

V. Gespalten Holtz giebt das beste Feuer.

VI. Man acht die Haar nicht/die vom Kopff abgeschnitten seyn.

VII. Vneinig Leut und Lande
Haben nie lang bestande. *Ibid.*

VIII. Zwitracht das jenig Laster ist/
Daß gantze Stätt und Länder frist.

IX. Ein übelgestimbte Pfeiffen in der Orgel verderbt das gantze Gesang. *Ibid.*

X. Vneinigkeit im Rath
Folgt selten gutte That.

§. XIII.

AUTHORES.

I. Joannes Busæus in Panario V. eodem.
II. Hieremias Drexelius. in Phaëtonte c. 10.
III. JosephusLangius in Polyanthæa. v. eodē.
IV. Joannes Major in Speculo magno Exemplorum. v. eodem.
V. Antonius Dauroltius in Floribus Exemplorum. cap. 5. tit. 20.

# TITULUS VII.

# EBRIETAS.

§. I.

QUOAD ESSENTIAM.

*Definitio.*

I.



*Laym. l. 3. ʃ. 4.* Ebrietas est excessus in potu voluptatis causa, donec rationis usus adimatur. Vel ut alii volunt, est privatio usus rationis ex immoderato usu rei potabilis ad tempus facta. Dicitur ab è, id est, *sine*, & *briam*, quod mensuram significat, ita ut ebrius idem ac *extra briam* significet, uti S. Thomas notat.

*Divisio.*

*S. Thom. 2. 2. q. 150. a. 1. Azor. p. 1. l. 7. c. 22. q. 7.* II. Dividitur à S. Thoma & aliis in Ebrietatem pro ipsa rationis privatione sumptam; & in Ebrietatem pro actu potandi causativo prædictæ privationis acceptam. Alii in materialem, & formalem dividunt; illam vocant, quando aliâ de causa, quàm voluptatis gratiâ potus inebrians sumitur; istam, quando propter solam voluptatem se quis per potum inebriat. Alii denique in plenam & plenissimam dividunt, quarum prior rationis duntaxat, posterior verò etiam exteriorum sensuum usum magna ex parte tollit. *Baldellus l. 5. d. 3. n. 13.*

*Actus.*

III. *Tantùm bibendo excedere, ut ratio quidem non omnino tollatur, sed tamen perturbetur:* quæ crapula vocatur, de qua S. Augustinus locutus est dicens: Ebrietas longè est à me, misereberis, ne appropinquet mihi; crapula autem nonnunquam subrepsit servo tuo. *S. Aug. l. 10 Conf. c. 31.*

IV. *Bibere usque ad rationis privationem: qui excessus à modernis Scriptoribus etiam Temulentia* vocatur à *Temeto* sic dicto, quòd mentem labefactet ac tentet. *P. Gob. de acc. Cam. c. 5. n. 6.*

V. *Etiam*

*Ib. c. 21. v. 14.* V. *Etiam usque ad privationem externorum sensuum bibere*: quæ perfectissima ebrietas meritò vocatur.

### *Signa Ebrietatis.*

*Less. l. 4. c. 3. n. 30.* VI. Primum signum est, si quis postridie non meminerit, quid dixerit, aut egerit; nam cùm Ratio etiam vim reflectendi se super actus, saltem potiores habeat, rectè colligitur, hâc vi ablatâ, rationis usum non adfuisse.

*Idem l. c.* VII. Secundum, si commisit, quæ aliàs committere non solet; nam ejusmodi actus meritò ex sopita ratione provenisse præsumuntur.

*Idem l. c.* VIII. Tertium est, si inter bonum malúmque non ampliùs discernere queat.

*P. Gob. l. 2. c. 22. n. 7.* IX. Quartum si non tantùm pedes vacillent, & domus everti videantur, sed etiam lingua balbutiat, & objecta duplicia appareant.

## §. II.
## EX S. SCRIPTURA.

### *Fuga.*

*Luc. 21. v. 34.* I. ATtendite vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis hujus vitæ; & superveniat in vos repentina dies illa.

*Joel. 1. v. 5.* II. Expergiscimini ebrii, & flete, & ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine, quoniam periit ab ore vestro.

*Prov. 31. v. 4.* III. Noli regibus, o Lamuel, noli Regibus dare vinum, quia nullum Secretum est, ubi regnat ebrietas, ne fortè bibant & obliviscantur judiciorum, & mutent causam Filiorum Pauperis.

*1. Cor. 6. v. 9.* IV. Neque fornicarii, neque adulteri &c. neque ebriosi regnum DEI possidebunt.

*Is. 28. v. 7.* V. Sacerdos & Propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino: erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium.

*Osea 4. v. 11.* VI. Fornicatio & vinum, & ebrietas auferunt cor.

*Eccl. 19. v. 2.* VII. Vinum & Mulieres apostatare faciunt sapientes, & arguent sensatos.

*Prov. 20. v. 1.* VIII. Luxuriosa res vinum, & tumultuosa ebrietas; quicunque his delectatur, non erit sapiens.

*Eph. 5. v. 18.* IX. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, sed replemini Spiritu Sancto.

*Prov. 23. v. 31.* X. Ne intuearis vinum, quando flavescit, cùm splenduerit in vitro color ejus: ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus venena diffundet.

*Prov. 23. v. 29.* XI. Cui væ? cujus Patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nónne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?

*Ibid. v. 20.* XII. Noli esse in conviviis Potatorum, nec in comessationibus eorum, qui carnes ad vescendum adferunt: quia vacantes potibus & Symbola dantes consumentur, & vestietur pannis dormitatio.

*Eccl. 19. v. 1.* XIII. Operarius ebriosus non locupletabitur: & qui spernit modica, paulatim decidet.

XIV. Qui suavis est in vini devorationibus, in suis munitionibus relinquit contumeliam. *Prov. 12. v. 11.*

XV. Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem. *Is. 5. v. 22.*

XVI. Væ qui potum dat amico suo, mittens fel suum, & inebrians, ut aspicias nuditatem ejus. *Habac. 2. v. 15.*

XVII. Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est adjiciet vitam. *Eccl. 37. v. 34.*

XVIII Qui diligit epulas, in egestate erit qui amat vinum & pinguia, non ditabitur. *Prov. 21. v. 17.*

XIX. Mulier ebriosa via magna: & contumelia, & turpitudo ejus non tegetur. *Eccl. 26. v. 11.*

XX. Sobrii estote, & vigilate, quia Adversarius vester tanquam Leo rugiens circuit, quærens, quem devoret. *1. Petr. 5. v. 8.*

XXI. In calore eorum ponam potus eorum, & inebriabo eos, ut sopiantur, & dormiant somnum sempiternum, & non consurgant, dicit Dominus. *Jer. 51. v. 39.*

XXII. Diligentes in vino noli provocare; multos enim exterminavit vinum. *Eccl. 31. v. 30.*

XXIII. Amaritudo Animæ vinum multum potatum. *Ib. v. 39.*

XXIV. Ebrietatis animositas imprudentis offensio, minorans virtutem, & faciens vulnera. *Ibid. v. 40.*

XXV. Vinum multùm irritationem & iram, & ruinas multas facit. *Ibid. v. 38.*

XXVI. Vinum damnatorum bibebant in domo DEI sui. *Amos. 2. v. 8.*

## §. III.
## EX SS. PATRIBUS.

### *Qualitas.*

I. QUid autem obtestationes potentium loquar? quid memorem Sacramenta, quæ violare nefas arbitrantur? Bibamus inquiunt, pro salute Imperatorum, & qui non biberit, sit reus in devotione; videtur enim non amare Imperatorem, qui pro ejus salute non biberit. O piæ devotionis obsequium! O stultitia hominum, qui ebrietatem Sacrificium putant, qui æstimant illos ebrietate placere, qui jejuniis passiones sustinere didicerunt. *S. Amb. l. de Elia & jejun.*

II. Omnes ebriosi tales sunt, quales paludes esse videntur. Nascuntur in illis sanguisugæ, ranæ, & diversa genera vermium, qui magis horrorem possunt generare, quàm aliquid, quod ad victum proficiat, exhibere. *S. August. s. 232.*

III. Omnes, qui ebrietatem sectantur, Filii Belial vocantur, quia venter mero æstuans facilè despumat in libidinem. *S. Hier. in reg. Mon.*

IV. Quis currus equorum indomitorum ita præceps fertur Dominum suum excutiens? quod navigium ita Gubernatore destitutum, ita fluctibus exagitatum & concussum, quod non sit securius ebrio? *S. Basil. ho. de ebrios.*

### *Damnum.*

V. Ebrietas Dæmon est voluntarius animis nostris inductus: Ebrietas malitiæ Mater est, virtutis inimica, fortem virum reddit ignavum, ex temperante facit lascivum, Justitiam *Idem. hom. 14. in ebr.*

ignorat, Prudentiam extinguit; sicut enim aqua igni est adversa, ita vinum immodicum rationi &c. Quid quæso sint ebrii aliud, quàm Gentium idola? oculos habent, & non vident.

*S. Ambr. in lib. de Elia & jejun.* VI. Ebrietas fomentum libidinis, incentivum insaniæ, ebrietas venenum insipientiæ. Hæc sensus Hominum mutat, ac format: per hanc fiunt ex hominibus equi adhinnientes &c. vocem amittunt, colore variantur, oculis ignescunt, ore anhelant, fremunt naribus, in furore ardescunt, sensu excedunt.

*S. Chrys. ad pop. Antioch.* VII. Ubi ebrietas, ibi Diabolus: ubi turpia verba, ubi Saturitas, illic Dœmones choreas agunt. Talem habebat mensam dives Epulo, propterea ne quidem guttæ aquæ Dominus fuit.

*S. Hier. ep. 22. ad Eust.* VIII. Vinum & Adolescentia duplex est incendium voluptatis. Quid oleum flammæ adjicimus? quid ardenti corpusculo fomenta ignium ministramus?

*Origen. in Gen.* IX. Audite, ebrietas quid agat. Audite, quantùm facinoris conciliet temulentia. Ebrietas decipit, quem Sodoma non decepit: uritur ille flammis mulierum, quem sulphurea flamma non ussit.

*S. Hier. ad ad Fur.* X. Non Æthnei ignes, non Vulcanea tellus, non Vesevus & Olympus tantis ardoribus æstuant, ut juveniles medullæ vino plenæ, & dapibus inflammatæ.

*Peter. Rav. in quadl. serm.* XI. Ebrietas Mater litium, furoris generatrix, petulantiæ magistra: hanc qui habet, homo non est: hanc qui habet, peccatum non facit, sed est ipse peccatum; hæc enim est rabies voluntaria, invitatus hostis, illecebra honestatis, & pudoris injuria.

*S. Hilar. in ps. 125.* XII. Quid infelicius ebrietatis dominatu? ventri ultra capacitatem infundere, sensui rationem adimere, non loqui, non meminisse, non stare, & mortem quandam Naturæ incolumi imperare?

*S. Ambros. l. de jun.* XIII. Ebriosus cùm absorbet vinum, absorbetur à vino, abominatur à DEO, despicitur ab Angelis, deridetur ab Hominibus, destituitur à Virtutibus, confunditur à Dœmonibus, conculcatur à bestiis.

*S. Chrys. ho. 28. in Matt.* XIV. Si posses animam hominis, peccatis involutam oculis cernere, non dubitares, multò meliùs esse in sepulchro jacere vivum corpus, quàm jacere animam in vivo corpore, vino sepultam.

*S. Petrus Chrysol. apud Faber co. 7. in Dom. 2. post Epiph.* XV. Ebrietas in alio crimen est, in Sacerdote Sacrilegium.

*S. Aug. s. 232. de temp.* XVI. Nullus tam gravem injuriam Sanctis Angelis, vel Sanctis Hominibus agnoscitur irrogare, quàm qui in eorum nominibus bibendo per ebrietatem suas animas probantur occidere.

## §. IV.

## EXEMPLA.

### *Fuga.*

*Eccl. 2. v. 2.* I. SAlomon de seipso confessus est: Cogitavi in corde meo abstrahere à vino carnem meam, ut animum transferrem ad sapientiam, devitarémque stultitiam.

II. Anna Samuelis Mater nunquam bibit Vinum. Idem SS. Sorores Martha & Maria Magdalena post Christi in cœlos reditum fecerunt. *Drexel. in Tob. c. 4. §. 2.*

III. S. Gabriel Archangelus inter majora admirandæ Sanctitatis S. Joannis Baptistæ indicia ponit, quòd vinum, siceràmve non sit biturus. *Luc. 1. v. 15.*

IV. S. Hieronymus testatur, Palestinæ Monachos olim ne ægros quidem sibi vinum indulsisse. *S. Hier. ep. 22. ad Eust.*

V. Quidam Adolescens cùm à Principe quodam ad largiùs potandum urgeretur, respondit: Veniam peto, Clementissime Princeps: A bestia parùm absum, vúltne Clementia sua totum me bestiam fieri? *Engelgr. conc. in Dom. 2. post. Epiph. §. 4.*

VI. Alius quidam, cùm ingens poculum in sanitatem alterius evacuandum ei offerretur, ingens frustum secalicei panis ei obtrusit dicens: Ede tu istud in meam sanitatem, & ego tunc poculum hoc in tuam sanitatem ebibam. *Ibidem. in fin.*

### *Damnum.*

VII. Noë licet perfectus in generationibus suis per ebrietatem in tabernaculo nudatus est. *Gen. 9.*

VIII. Loth, quem Sodoma non vicit, vino inebriatus geminum commisit incestum. *Gen. 19.*

IX. Holoferni, quia plùs, quàm unquam aliàs biberat, caput à Juditha resectum est. *Judith. 12.*

X. S. Augustinus pro concione dixit: Ecce præclarissimus civis noster, & ferè ab omnibus dilectus Cyrillus Filium habebat, ut scitis, quem corrigere nolebat, & luxuriosè vivendo insumpsit partem bonorum suorum. Sed ecce hodie ebrietatem perpessus matrem prægnantem nequiter oppressit, Sororem violare voluit, Patrem occidit, & duas Sorores ad mortem vulneravit. *S. Aug. s. 33.*

XI. In Gallia cùm aliquot Combibones mero incaluissent, & unus irridens Sacerdotes animarum immortalitatem Prædicantes, dixisset; Ego animam meam venderem pro pretio omnibus nobis hodie ad bibendum sufficiente: Subitò adfuit Diabolus, & pretio soluto blasphemũ corpore & anima in infernũ abduxit, dicens, æquissimum esse, ut is, qui equum emit, etiam frenum accipiat. *Cantiprat. l. 2. apum. c. 5.*

XII. Indus quidam vino deditus cùm Pœnitentiæ beneficio naturam tandem vicisset, & ad sobrietatem se revocâsset, candidum dicitur Adolescentem per quietem vidisse, qui eum prehensâ manu ad compotatorum cœtum conviviúmque deduceret: ibi animadvertisse eorum, qui accumbebant, vultus, primo quoque poculo hausto mutari, deforméśque fieri: qui verò pergerent perpotare, & crebris poculis indulgerent, eos fœdissimo ore, similimósque Dœmonum evadere, dixiséque Adolescentem, tales effici eos, qui se vino & ebrietatibus dedissent. Ex quo viso Indus sobrius esse cœpit, & incredibilem quendam Temperantiæ Amorem concepit. *Liter. ann. Soc. JESU an. 1585. f. 199.*

XIII.

*Ped. Christ. n. 1. c. 7. n. 5.* XIII. Milites duo Nobiles inter se hellµantes pacti erant, ut, qui prior eorum surgeret, in Diaboli esset potestate; quod pactum adeò displicuit DEO, ut utrumque Mercatore, qui illac iter faciebat, inspectante à Dœmone suffocari permiserit.

*Ibid. n. 5.* XIV. Baccharachi oppido non procul Moguntiâ distante, anno 1595. decoctor quidam ad popinam propinans, cùm uxorem frustra dehortantem malè mulctâsset, & cum suo Diabolo (id est, fœtu, quem utero gerebat) in malam crucem ire jussisset, illâ domum redeunte, & ante tempus fœtum, qui umbilico tenus hominem, reliquo corpore serpentem cum cauda tribus ulnis longâ referebat, ab eodem fœtu ita per caudam implicatus & cruciatus est, ut exanimis conciderit.

*Ibid. n. 6.* XV. Anno 1650. Adamus Steckman Vinitor in quodam Alsatiæ oppido, cùm pecuniam in caupona potando & ludendo consumpsisset, tristitiâ & desperatione eò adactus est, ut paulò pòst absente uxore, Filiolum inprimis panem petentem; Filiámque cultrum afferentem, & post hos etiam infantem in cunis vagientem occiderit, uxorémque ex vinea redeuntem, & tam tristi spectaculo repente exanimatam amiserit, & ipse tandem à Judice comprehensus per ignitas forcipes & rotam miserè perierit.

## §. V.

## EXEMPLA PROFANA.

*Seneca Ep. 83.* I. ALexander, quem tot itinera, tot prælia, tot hyemes, tot flumina ex alto cadentia, tot maria tutum dimiserunt, intemperantia bibendi & ille herculeus ac fatalis scyphus condidit, &c, ut carissimum sibi ac fidelissimum amicum inter epulas transfoderet, persuasit.

*Drex. In Joseph. c. 14 §. 3.* II. Alphonsus Rex Aragonum, ebrietatem & ebrios, cane pejus & angue oderat; rogatus verò tanti odij causam, quia scio, inquit, furorem & libidinem ebrietatis esse Filias.

*S. August. S. 33. ad FF. in Eremo.* III, M. Antonium Virum magnum & ingenij nobilis, quæ alia res perdidit, & in exteros mores ac vitia trajecit, quàm ebrietas, inquit, Seneca; hæc illum res hostem reipublicæ, hæc hostibus suis imparem reddidit, hæc crudelem fecit.

*Alexand. ab Alex. l. 3. c. 11. Val. Max. l. 3.* IV. Romani eos, qui se vino ingurgitabant, adeò exosos habuerunt, ut à Senatu & publicis muniis velut indignos removerent. Hinc usq; ad annum trigesimum Masculis vini usus non concedebatur, Feminis verò omnino ignotus erat.

*Tympius in Spec. Princ. Sig. 45.* V. Hispani ne in testem quidem amplius admittunt illum, qui semel ebrius extiterit.

*Jo. David in Verid. c. 65.* VI. Darius Rex adeò compotationibus deditus erat, ut illi pro elogio sepulchrali adscriptum sit: Potui & multum vinum potare, & hoc probè ferre.

*Engelgr. Dom. 2. post Epiph.* VII. Stratonicus Citharædus per diem totum in popinis versatus, etiam dormiturus poculum semper adferri jubebat: non quod sitiret, sed ne sitiret.

*Ibid.* VIII. Georgius Buchananus cùm Medici consulti dixissent, eum, si à potu, ex quo hydropem contraxerat, abstineret, per sexennium vivere posse; sin verò, intra tres hebdomadas moriturum, respondit, malle se tribus hebdomadis strenuè bibere & mori, quàm per sexennium modicè & miserè vivere.

*Athenæus lib. 2.* IX. Agrigenti Juvenes quidam adeò per vinum largiùs potum dementati fuerunt, ut in mari navigare se credentes, & gravi tempestate jactari, omnem supellectilem, quasi exoneraturi navem, foras projicerent.

*Alexand. ab Alex. l. 6. gen. dier. c. 14.* X. Græci sanxerunt, ut, qui potationibus Patrimonium dilapidâsset, non sepeliretur in majorum suorum monumentis, sed inglorius in quisquilias abjiceretur.

## §. VI.

## SIMILITUDINES.

### *Qualitas.*

*Senec. ep. 81.* I. SIcut difficiles faciunt oculos continui morbi etiam ad minimam radij solis offensionem; ita ebrietates continuæ efferunt animos, nam, cùm sæpe apud se non sint, consuetudine insaniæ duratâ vitia, vino concepta etiam sine illo valent.

*Idem ep. 83.* II. Sicut musto dolia ipsa rumpuntur, & omne, quod in imo jacet, in summam partem vi caloris ejectat; sic vino exæstuante, quidquid in imo jacet abditum, effertur, & prodit in medium. Onerati mero quemadmodum non continent cibum redundantem, ita ne secretum quidem; quod suum est, alienúmque pariter effundunt.

*Nahum. c. 1. v. 10.* III. Sicut spinæ se invicem complectuntur; sic convivium eorum pariter potantium.

*S. Chrys. h. de ebriet.* IV. Sicut valles, donec torrentibus inundantur, plenæ esse videntur: Unde verò desinente statim siccæ, vacuæque remanent; sic & vinolentorum ora vino ac potatione durantibus exsaturantur ac madescunt, paulò post continua siccitate laborant, ex quo ad frequenter bibendum invitantur, unde humor naturalis amittitur.

*Idem S. 3 t.* V. Sicut herbæ, quæ in paludibus vel circa ripas nasci solent, nihil utilitatis habent, in tantùm ut annis singulis incendio concrementur; ita quod de ebrietate nascitur, igni præparatur.

### *Damnum.*

*Idem ho. 9. in Gen.* VI. Sicut Navis, quæ aquis impletur, si exhauriri nequit, in profundum mergitur; ita homo, cùm crapulæ & ebrietati se exponit, in præceps vadit, rationémque omnem amittens demergetur in profundum Inferni.

*Macrol. 7. Saturn.* VII. Sicut in præcipiti stantem vel levis tactus impellit: ita vino vel infusum, vel aspersum parvus quoque dolor incitat in furorem.

*S. Basil. ho. in ebriet.* VIII. Sicut aqua exstinguit ignem; ita vinum extinguit rationem; & ut aqua maris naves, sic vinum vitiis homines submergit.

*4. Reg. ult.* IX. Sicut Sedecias Rex effossis oculis cæcus in Babyloniam captivitatem abductus est; sic ebrij rapiuntur in Infernum.

*Aristot l. 8. animal. c. 4.* X. Sicut Viperæ dispositis ad bibendum vasis, vino ebriæ capiuntur, & quidem facilè, cùm tunc inertes & inermes sint; ita ebrij pari facili a re à Diabolo capiuntur.

*S. Chrysost. 58. in Matt.* XI. Sicut, cùm febris cessaverit, tamen debilitas contracta diu manet; sic ebrietate transactâ, effectus tamen illius tam corpus, quàm animam debilitat.

*Idem.* XII. Sicut, quamvis ex tempestate tranquillitas sit facta, detrimentum tamen, quod inde secutum est, non restituitur, si semel jactura facta sit; sic omnium penè bonorum jacturam patiuntur ebrij.

*S. Aug. de vit. ebriet.* XIII. Sicut pluvia nimis grandis & diuturna si fuerit, terra confunditur, & in lutum resolvitur, ut nulla in ea cultura fieri possit; sic & caro nostra quando abundanti potu fuerit inebriata, nec spiritualem culturam suscipere, nec fructus animæ necessarios potest exhibere. Et ideo quomodo omnes homines sufficientem pluviam in agris suis accipere desiderant, ut & culturam valeant exercere, & de fructuum ubertate gaudere; ita & in agro corporis tantùm deberent bibere, quantùm oportet, ne per nimiam ebrietatem ipsa corporis terra velut in paludem conversa magis serpentes & vermes vitiorum generare, quàm fructus bonorum operum possit afferre.

## §. VII.

## MOTIVA.

*Senec. ep. 83.* I. Quia vitium hoc Ebrietatis est *nocentissimum*; uti Seneca sapienter advertit, dum dixit: Cogita, quas clades ediderit publica Ebrietas. Hæc acerrimas Gentes, bellicosissimásque tradidit: Hæc multorum annorum pertinaci bello defensa mœnia patefecit; hæc contumacissimos & jugum recusantes in alienum egit arbitrium: hæc invictos acie mero dejecit. Breviùs verò S. Ambrosius, diversa, inquit, singulis Peccatoribus mala eveniunt, temulentis omnia. Sed & S. Chrysostomus id confirmans ait: Vini largior usus infinitorum malorum causa est; ut adeò ebrietas unius horæ hilarem insaniam longo temporis tædio penset, teste Seneca. *S. Ambr. l. 1. de Isaac c. 5. S. Chrys. ho. 10. in Gen.*

*S. Aug. S. 231.* II. Quia *gravissimum* quoque vitium est: nam, ut S. Augustinus dixit, Ebrietas flagitiorum omnium mater, omnis luxuriæ soror, naufragium castitatis est.

*Luc. 21. v. 34.* III. Quia *periculosissimum* omnium vitiorum est; quia ebrium sic finire est æternum intrare. Hinc Christus monuit: Attendite vobis, ne fortè graventur corda vestra crapulâ aut ebrietate, & superveniat in vos repentina dies illa.

*S. Bern. l. de modo bene viv. c. 25.* IV. Quia *turpissimum* est; nam inprimis facit Dæmoni similem, uti S. Bernardus testatus est dicens: Multi per ebrietatem à Dæmonibus capti sunt; nec est aliud ebrietas, quàm voluntarius & manifestissimus Dæmon. Deinde sicut Ulyssis Socij in porcos mutati sunt per philtrum à Circe oblatum, ita per ebrietatem in bestiam convertitur ebriosus; quid autem fœdiùs, quàm ut homo bruti animalis imago sit? inquit rectè Musonius. Denique ipse modus, quo committitur ebrietas, turpitudinem illius satis demonstrat; quàm turpe enim est, inquit Seneca, plùs sibi ingerere, quàm capiat, & stomachi sui non esse mensuram! quàm multa ebrij faciunt, de quibus sobrij erubescunt! *Musonius in l. de victu.*

V. Quia curatu *difficillimum* est vitium; nam, teste Plinio, hæc necessitas vitium comitatur, ut bibendi consuetudo augeat aviditatem. Quantò plùs biberint, tantò plùs sitiunt. Hinc S. Augustinus, Ebrietas, inquit, est, quasi Inferni puteus, quoscunque susceperit, fortiter sibi vendicat. Et, teste S. Hieronymo, facilè caremus aliis vitiis, hic hostis nobis inclusus est, quocunque pergimus, nobiscum portamus inimicum. *Plin. l. 14. nat. hist. c. 22. S. August. S. 231.*

## §. VIII.

## MEDIA.

I. *Abstinere à Conviviis*: Ita Salomon monuit dicens: Noli esse in conviviis Potatorum, nec in comessationibus eorum. Hinc SS. Ambrosius & Augustinus, neque in Patria petiti ibant ad convivium, ne temperantiæ amitteretur modus. *Prov. 23. v. 20.*

II. *Respectum humanum deponere*: Solent enim, teste S. Augustino, Ebriosi ita se excusare, ut dicant: Persona potens me coëgit, ut ampliùs bibam, & in convivio Regis non potui aliter facere. Ad excusandas excusationes in peccatis ista prætendimus, & quod implere nolumus, non potuisse nos dicimus. Etiamsi ad hoc veniretur, ut diceretur tibi: aut bibas, aut moriêris, meliùs erat, ut caro tua sobria occideretur, quàm per ebrietatem anima moreretur. Sed excusatio ista falsò objicitur; ipsi enim Reges, & quicunque alij potentes, si te viderent definisse, ut eis non acquiescas, pro timore DEI inebriari, si nihil sub hora videantur irasci, postea verò te in grandi admiratione suscipiunt dicentes: Quantis eum minis & terroribus fatigavimus, & tamen nunquam eum à sobrietate separare potuimus? Addit verò postea. Ille, qui ebrietati resistit, si cum DEI adjutorio perseveraverit, & pro ipsa aliquas ille pertulerit tribulationes, omnia ei DEUS ad Martyrij gloriam reputabit. *S. Aug. S. 232. de ebriet.*

III. *Per orationem frequenter gratiam abstinendi à DEO petere*: ita iterum S. Augustinus l. c. consuluit dicens: Qui sunt ebriosi, cum adjutorio DEI de luto fæcis se excutiant, vel de cloaca ebrietatis, dum adhuc tempus est pœnitendi, festinent, quantò possunt celeritate DEO auxiliante consurgere, & totis animæ *Idem. S. 231. de temp.*

viribus

viribus cum Propheta supplicantes Domino dicant; Eripe me de luto, ut non inhæream.

*Ibid.*

IV. *Paulatim sibi aliquid de potu subtrahere:* Uti idem Sanctus suasit dicens: Sed hîc ante omnia scire debemus, quia non una die efficiuntur homines ebriosi, sed cùm paulatim per singulos dies singulos sibi aut binos calices ad potum consuetudinarium addunt; sic qui se de hoc malo desiderat liberare, paulatim subtrahendo ad sobrietatis lucem redeat. Qui enim per partes aliquid subducere voluerit, & de ebrietate liberabitur, & intolerabilem inferni pœnam non patietur.

*S. Climac. grad. 14.*

V. *Fellis Christo in cruce oblati meminisse:* ita Climacus suasit dicens: Ubi poculum bibiturus sumpseris, aceti & fellis Domini DEI tui ne obliviscaris, & omnino vel moderatè bibes, vel ingemisces, vel certè humilior inde & modestior evades.

*Pythag. apud Stobæum S. 18.*

VI. *Ebriorum mores & facta inspicere:* ita Pythagoras consultus à quopiam ebrioso, quâ ratione ebrietatem vitare posset? respondit: Si, quæ per ebrietatem facis, animo volvas. Hinc & Lacedæmonij, ut Filiis suis ebrietatem interdicerent, aliud non faciebant, quàm ut servos inebriarent.

*Gobat in acc. canon. c. 51. S. 1.*

VII. *Medium aliquod naturale ebrietatem impediens adhibere:* Qualia sunt, vinum aquâ diluere, brassicam vel rapam crudam, vel oleum, vel parùm panis aquâ superbitâ tincti, vel amygdala amara, vel nucem muscatam, vel de aliis cibis plusculum sumere ante, quàm bibatur; sic enim vinum impeditur, quò minùs spiritus in caput emittere possit.

## §. IX.

## ASCETICA.

*S. August. l. 10. conf. c. 31.*

I. Alterum est, ut pariter bene condiscat moderari delectationem in potu subrepentem, eúmque in finem meminerit sententiæ à S. Augustino prolatæ, dum ait: Hoc me docuisti, ut, quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. Sed dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu insidiatur mihi laqueus concupiscentiæ. Ipse enim transitus voluptas est, & non est alius, quà transeatur, quàm quo transire necessitas cogit. Et cùm salus sit causa edendi & bibendi, adjungit se tanquam pedissequa periculosa jucunditas, & plerumque præire conatur, ut ejus causâ fiat, quod salutis causâ me facere vel dico, vel volo: nec idem modus utriusque est, nam quod saluti satis est, delectationi parùm est.

II. Tertium est, ut, quemadmodum ebrietatem corporalem totis viribus fugere ac disuadere debet, ita pari studio spiritualem ebrietatem procurare ac suadere conetur, de qua S. Bernardus illud Psalmi: Calix meus inebrians, quàm præclarus est: explicans ait: Inebriat amor DEI ad contemptum mundi: calefacit, quia ferventes facit: acuit, quia erudit: audaces facit contra adversa: Fortes à Carne, Mundo, & Dœmonibus invincibiles: Obliviosos, eorum scilicet, quæ retrò sunt, & in futura extentos: discretos erudiens ad Justitiam: somnolentos ad temporalia & tædiosos: ad invisibilia præparanda pronos & promptos.

## §. X.

## CONCEPTUS PRÆDICABILES.

*Osea 4. v. 11.*

I. Ex occasione thematis: *Vinum & Ebrietas auferunt cor:* Potest stultitia Ebriosorum demonstrari ex sequentibus capitibus. 1. Quia bibunt præter naturæ appetitum. 2. Quia gloriantur, se posse magnos haustus facere, cùm tamen etiam hoc mulus faciat, ut aliquando Aristippus cuipiam dixit. Quòd cùm Famulus recedat ab hero verberante, ipsi non profugiant à vino quotidie caput obtundente. 4. Quòd in aliorũ sanitatem bibendo propriam lædant. 5. Quòd voluntariam insaniam avertsant, & se in bestias transforment. 6. Quòd cogant ad bibendum ultra appetitum, cùm tamẽ obtrudere evacuandam magnam patinam cibo refertam stultissimum censerent. Videri possunt hæc fusiùs explicata apud Fabrum conc. 2. in Dom. Quinquages. Item Henr. Engelgr. part. 1. Cæl. Emp. die 2. Bacch. §. 1.

*Prov. 23. v. 31.*

II. Ex occasione thematis: *Ingreditur blandè, sed in fine mordebit ut coluber:* Possunt explicari proles Ebrietatis, seu vitia, quæ ex ea nascuntur, quorum primum est *Luxuria* juxta illud S. Pauli: Nolite inebriari vino, in quo est Luxuria. *(Eph. 5. v. 18)* Secundum *Impudentia* juxta illud Threnorum: Inebriaberis atque nudaberis. *(Thren. 4. v. 21.)* Tertium *Insania* juxta illud Oseæ: Vinum & ebrietas auferunt cor. *(Os. 4. v. 11.)* Quartum *Ira & contentio* juxta illud Salomonis: Cui væ? Cui rixæ? Cui foveæ? Cui sine causa vulnera? Cui suffusio oculorum? nónne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis? *(Prov. 23. v. 29.)* Quintum *Contumacia & disciplinæ contemptus* juxta illud Isajæ: Erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, id est, DEUM contempserunt. *(Is. 28. v. 7.)* Sextum *Hæresis & perfidia* juxta illud Ecclesiastici: Vinum & mulieres Apostatare faciunt sapientes. *(Eccl. 19. v. 2.)* Vide hæc fusius apud Fabrum conc. 5. in Dom. 2. post Epiph.

*Eccl. 31. v. 38.*

III. Ex occasione thematis: *Vinum multùm potatum, &c. ruinas multas facit:* Explicari possunt damna & ruinæ, quas causat ebrietas. 1. Ruina *corporis*, dum destruit sanitatem, imò & vitam ipsam aufert & abbreviat, 2. *Animæ*; propter crapulam enim multi perierunt. 3. *Opum & divitiarum*: Quia qui amat vinum & pinguia, non ditabitur. *(Prov. 21. v. 17.)* 4. *Famæ*: Quia vinum & mulieres arguent sensatos, teste Siracide. *(Eccl. 19. v. 2.)* *Reipublicæ*: Quia sicut privatis Domibus nihil nocentiùs est, quàm Ebriosus Paterfamilias; nec navibus quidquam periculosiùs, quàm Navarchus temulentus; ita nec Reipublicæ majora creantur pericula ab aliis vitiis, quàm à temulentia Magistratus. Vide hæc fusiùs apud Fab. 2. conc. 3. in Dom. 6. post Pent.

*Osea 4. v. 11.*

IV. Ex occasione thematis; *Vinum & Mulieres auferunt cor:* Narrari potest, quod

Sociis

Sociis Ulyssis à Circe evenisse scribunt Poëtæ, dum iis potum obtulit, & in sues convertit; dicique idem evenire ebriis per vinum nimium potatum. 1. Quia *carent ratione*, ut sues. 2. Quia ut sues *Volutantur in luto* Luxuriæ & Impudentiæ. 3. Quia ut sues *grunniunt*, & clamore suo incondito aliis molesti sunt. 4. Quia ut sues *graviter olent & fœtent* non tam corpore, quàm animo per malam, quam apud homines acquirunt, æstimationem. 5. Quia ut sues maximè silvestres in obvios quoque *irruunt*, si vel parùm irritentur, séque ultro telis objiciunt, & perimunt. 6. Quia ut sues pingues macello Diaboli *destinantur*, & gratum ei cibum efficiunt. Vide Fabrum conc.5. in Dom.2. post Epiph.n.3.

*Ovid.l.14. Metam.*

V. Ex occasione ejusdem thematis narrari potest, quod Josephus de Noë narrat, quòd scilicet, cùm invenisset Vitem silvestrem seu labruscam, acceperit sanguinem Leonis, Agni, Galli, Porci, & Ursi, & ex illis terræ commixtis fimum faciens ad radicem labruscarum posuerit, sicque vinum dulcorârit. Hinc factum. 1. Ut Ebrij sint audaces ut *Leones*, & omnia pericula corporis & animæ contemnant. 2. Ut velut *Agni* ducantur ad victimam, & sacrificentur Diabolo. 3. Ut velut *Galli* Gallinacei sint superbi, & pugnaces, aliósque omnes facilè contemnant, & ad rixas provocent. 4. Ut velut *Porci* se in omni luto vitiorum volutent. 5. Ut velut *Ursi* sint rapaces, præcipuè famæ alienæ, imò & vitæ spiritualis, dum alios ad ebrietatem incitant, vel cogunt. Quæ omnia facilè fusiùs explicari possunt.

VI. Ex occasione thematis: *Pater mi, si possibile est, transeat, Calix iste à me*: demonstrari potest, quam amarum calicem ebriosi offerant Christo, id quod facilè præstabitur, si gravitas peccati Ebrietatis ostendatur. 1. Quia multorum aliorum vitiorum origo est, præcipuè Hæresis, Odij, Luxuriæ, Iræ, Acediæ, Furti, Mendacij, Detractionis, Blasphemiæ&c. 2. Quia multos secum in Societatem trahit, omnes scilicet, quos vel exemplo, vel verbo, vel coactione ad ebrietatem impellit. 3. Quia rationi magis, quàm alia omnia contrarium est; quid enim magis dissonum rationi, quàm ut homo privetur ratione? Introducatur in fine Christus rogans, ut auferamus hunc calicem ab ipso, & ostendatur, quam durus debeat esse animus, qui illum exaudire non vult.

*Matth.26. v.39.*

VII. Ex occasione thematis: *Tradetur Gentibus, illudetur, & conspuetur, & postquam flagellaverint, occident eum*: Potest narrari historia de Christo ante hospitium vulnerato jacente, & dicente, se tam malè tractatum fuisse ab iis, qui in hospitio compotationibus vacant; dicatur proinde idem dicturum Christum in cruce pendentem, scilicet potissimum suæ Passionis causam ebriosos esse. 1. Quia ipsi calicem amarum passionis præsentant, & agoniam procurant. 2. Quia ipsi actionibus & verbis impudicis flagellant. 3. Quia scurrilitatibus & levitatibus suis, ac conviciis ipsum coronis spineis coronant. 4. Quia dum rixis, verberibus, lusu & perditione pecuniarum aliis vehementer molesti sunt, gravem illi crucem imponunt. 5. Quia blasphemando, aliáque similia graviora peccata committendo, omnino illum crucifigunt.

*Luc.18. v.33.*

VIII. Ex occasione thematis: *Attendite vobis, ne fortè corda vestra graventur in crapula & ebrietate*: possunt proponi media triplicia, & funiculo triplici qui difficulter rumpitur, per quem à casu in foveam ebrietatis & inferni cohibeantur, comparari. 1. *Naturalia*: Qualia sunt sumere brassicam, oleum, amygdala amara aut cibos alios impedientes, ne vini spiritus in caput ascendant. Item paulatim sibi de potu aliquid subtrahere. 2. *Moralia*; Qualia sunt ebriosorum mores, damna ebrietatis perpendere, Christi calicem amarum considerare: 3. *Supernaturalia*: Qualia sunt oratio fervens, frequentior Eucharistiæ sumptio, victoria sui aliquoties repetita,&c.

*Luc.21. v.34.*

## §. XI.

## MISCELLANEA.

*Qualitas.*

I. Quidam ubi in taberna poculum cerevisiæ, & aliud vini depictum vidit, subscripsit hoc lemma: Meliora sunt opera DEI, quàm hominum. *Engelgr. in Dom.2 post Epiph.*

II. Alius in balenam converti cupiebat, modò mare creticum in merum creticum converteretur. *Ibid.*

III. Quibusdam Philippum Regem laudantibus, quòd facundus, formosus, vini capax esset, scitè Demosthenes subjecit: Prima laus Sophistarum est, secunda Feminarum, tertia spongiæ. *Ibid.*

IV. Asclepiadis pronuntiatû est, super mensam primum haustum esse necessitatis, secundum voluptatis, tertium ebrietatis. Apuleius verò dicere solebat: primum ad sitim, secundum ad hilaritatem, tertium ad voluptatem, quartum ad insaniam pertinere. Suidas tres haustus permittit sapienti, scilicet valetudinis, voluptatis, & somni. *Ibid.§.1.*

V. Panthera hieroglyphicè ebrietatem designat, quia vini admodum avida cùm sit, à Venatoribus fontibus, ex quibus illa bibere consuevit, vino fortissimo repletis capitur. *Valer.l.11. pag.103.*

VI. Anonymus quidam Lacon, cùm audisset quosdam cogi in cœna ad bibendum, num etiam ad edendum cogerentur, quæsivit? insinuans, sicut absurdissimum est, cogi aliquem ad certam ciborum quantitatem, ita non minùs absurdum esse, aliquem ad certum poculorum numerum compelli. *Plutarch. in Lacon.*

VII. Cùm à Rege Ferdinando Ludi celebrarentur, ab omnibus aliis insigniter laudati, Germanus quidam exclamans dixit? Valeant ludi, in quibus nemo bibit. *Pontan. in Attic. bell.*

*Angelgr. l.c.* VIII. Fuit, qui Organi in morem fistulas vitreas ordine dispositas habebat, quæ singulæ singulos sonos percussæ reddebant, *ut* utiliter, *re*, realiter, *mi*, mirabiliter, *fa* faciliter, *sol* solenniter, *la* lacrymabiliter, ut præ dulcedine lacrymæ fundantur.

*Ibid. §.4.* IX. Alphonsus Magnus dicere solebat, amicitiam tribus servari, *pileo*, id est, perhumaniter salutando: *folio* chartæ, id est, literas scribendo: *vitro*, haustum bonum propinando.

*Plin. l. 14. c. 5.* X. Androcides ad Alexandrum M. scribens, intemperantiam ejus cohibiturus: Vinum, inquit, potaturus Rex, memento te sanguinem terræ bibere.

*Plutarch. in Lacon.* XI. Leutychidas rogatus, cur Spartiatæ parum bibant? respondit: ne pro nobis consultent alij, sed pro aliis nos.

*Fuga.*

*Angelgr. p. 2. Cali Emp. in festo S. Cæcil.* XII. Pythagoras in ebrios olim incidens jussit tibicinem convivio luxurioso præsidentem mutare harmoniam, ac doricon illis canere, atque hoc modo melodiæ illos ad sobrietatem reduxit, qui ejectis de capite coronis, omnes erubuerunt.

*Damnum.*

*Erasmus Roterod. in simil.* XIII. Lysimachus ob sitim coactus se dedere Scythis, cùm dein frigidam aquam bibisset, Dij boni, inquit, quàm brevis voluptatis causâ quantam deposui felicitatem.

*Idem apoph. 6.* XIV. Cùm olim milites aliquot Tarcentini inter cœnandum multa liberiùs in Pyrrhum Regem dixissent, ideòque ad Regem acciti essent, unus illorum ad Regem dixit: fatemur nos hæc dixisse, & acerbiora longè dicturi eramus, nisi lagena nos defecisset; quo dicto Regis iram in risum vertit.

*Ovid. l. 1. amor. eleg. 6.* XV. Rectè cecinit Ovidius:

Nox & amor, vinúmq; nihil moderabile suadêt:
Illa pudore vacat, liber, amórque metu.

*Virgil. de Ven. & Venere.* XVI. Rectè item Virgilius Ebrietatis effectus describit sequentibus Versibus:

Nec Veneris, nec tu Vini capiaris amore,
Uno namque modo vini, venúsque nocent.
Ut Venus enervat vires, sic copia vini,
Et tentat gressus, debilitátque pedes.
Multos cæcus amor cogit secreta fateri,
Arcanum demens, detegit ebrietas.
Bellum sæpe petit ferus exitiale cupido,
Sæpe manus itidem Bacchus ad arma vocat.
Denique cùm mentes hominum furiârit uterq;
Et pudor, & probitas, & metus omnis abest.
Compedibus Venerem, vinclis adstringe Lyæú,
Ne te muneribus lædat utérque suis.
Vina sitim sedant, Natis Venus alma creandis:
Sed fines horum transiliisse nocet.

*Propert. l. 2. eleg. ult.* XVII. Sed & Propertius non malè eundem in finem cecinit:

Vino forma perit, vino corrumpitur ætas,
Vino sæpe suum nescit amica virum.

*Ovid. lib. 1. de art. am.* XVIII. Ovidius quoque iterum:

Vina parant animos: faciúntque caloribus aptos,
Cura fugit multo, diluitúrque mero.

Tunc veniunt risus, tunc pauper cornua sumit,
Tunc dolor & curæ, rugáque frontis abit.
Tunc aperit mentes ævo rarissima nostro,
Simplicitas, artes excutiente DEO.

XIX. Diogenes quondam præteriens domum vinolenti prostitutam dixit: Sciebam, domum istam vino ebriam Dominum evomituram: en jam ructat. *Brusson. l. 4. c. 13.*

XX. Si Furibus in domum ingressis quispiam daret claves omnium cistarum, unde maxima illi damna inferrentur, quis non graviter illi indignaretur? atqui hoc totum ebrietas facit, vinis claves offerens, quibus hominem exspolient. *Fab. conc. in Dom. 6. post Pent.*

XXI. De Cerevisia Ebrietatem procurante non illepidè cecinit Poëta: *Apud Angelgr. in Dom. 2. post Epiph.*

Unde suum ducat, quæris, cervisia Numen?
Quòd cerebrum visat, sæpe, Sabelle, tuum.

XXII. De vini effectibus rectè iterum cecinit Poëta: *Horat. ad 21. l. 3.*

Tu lene tormentum ingenio admoves,
Plerumque duro: Tu sapientium
Curas, & arcanum jocoso
Consilium detegis Lyæo.

XXIII. Plato dicere solebat, nullum tormenti genus minùs sumptuosum, minúsque noxium & periculosum esse, quàm vinum ad explorandos hominum affectus & mores. *Plato l. 1. de Legibus.*

XXIV. Scito Symbolo veteres picam Baccho sacram fecerunt; quia sicut pica garrula, quidquid audient, narrat; ita & ebriosi. *Natal. Comes Mythol. l. 5. c. 11.*

XXV. S. Chrysostomus Ebrietatem vocat morbum veniam non habentem, ruinam excusatione carentem, commune generis nostri opprobrium. *S. Chrys. ho. ad Pop. Antioch.*

§. XII.

## ADAGIA.

I. Anima Sicca sapientissima. *Heraclitus*
Nüchterer Leib macht nüchtere Gedancken.
II. Was einer nüchter vor gedenckt/ *Florileg. p. 1. f. 778.*
Das redt und thut er wol getränckt.
III. Voller Mund/ sagt 's Hertzen Grund. *Ibid.*
IV. Qui multùm bibit, parùm sapit.
Wohin es offt regnet/ wird es selten trucken.
Wo vil Nebl/ Rauch/ und Wolcken seyn/
Das hell Liecht nicht kan scheinen ein.
V. Quoties quis ebrius, toties puer est.
VI. Gesundheit-Trünck seyn gemainiklich *Ibid.*
Curier zum Podagra und Wassersucht.
VII. Man gibt offt einem ein Willkomm/
Daß er nicht wider kombt.
VIII. Es ertrincken mehr vom Wein/ als vom Wasser.
IX. Si noceat vini potatio Vespertina,
Hanc manè repetas rerum, & fiet medicina
Wann du zu Nachts vom Wein gantz voll/
Und zweifl biß debouschieret/
Zu Morgen den Trunck widerholl/
Der zweiflich dich curieret.
X. Gesundheit-Trünck kommen den Artzten und Apoteckern zum besten.
XI. Wer vil Wein trinckt/ der sambler vil Essig im Leib.

Multum temerum fit acerbum in corpore acetum.
Vinum dúmq; premit, mens cruciata gemit.

XII. Wann man dich hat geladen/
Zu einer Gasterey
Hüt dich vor Sünd/ Schand/ Schaden/
Die gmainklich seyn darbey.
Der Trunckenheit drey S S S/
Merck wol/ und nicht vergeß/
Sünd/ Schand/ Schad sie bedeuten/
Flieh sie zu allen Zeiten.

XIII. Non ineptè quidam dixit, plures poculis occumbere, quàm spiculis; lancibus, quàm lanceis, quibus cœna pœna, pulpa culpa, spicula pocula, vagina lagena, prælia prandia, stratagemata tragemata.

*Buchlerus V.ebriet.* XIV. Bacchus & argentum mutant mores Sapientum,
Wein/ Gelt/ und Gut/
Verkehrn deß Weisen Muth.

*Ibid.* XV. Post vinum verba, post imbrem nascitur herba.
Nach Regen wachst Kraut und Gras/
Der Wein macht schwätzen das.

*Buchlerus.* XVI. Bis sex, credatis, species sunt Ebrietatis,
Ebrius est primus sapiens, est alter opimus,
Tertius grande vorat, quartus sua crimina plorat
Quintus luxuriat, sextúsque per omnia jurat.
Septimus accendit, bis quartus singula vendit,
Nonus nil celat, quod habet sub corde revelat,
Somnia denus amat, undenus turpia clamat,
Et cùm sit plenus, vomitum faciet duodenus.

§. XIII.

A V T H O R E S.

I. JOannes Busæus in Panario V. eodem.
II. Georgius Gobat in accusatione Canonic.
III. Josephus Langius V. eodem.
IV. Philippus D' Outreman in Pæd. Christ. p.1.c.7.§.6.
V. Ludovicus Granatensis in silva locorum comm.f.554.
VI. Joannes Dadræus in locis simil. V. eodem.
VII. Hieremias Drexelius in Tobia p.2.c.4. & in Josepho c.14.
VIII. Jacobus Marchantius in Tuba Sacerd. tr.5.lect.5. & seq.
IX. Henricus Engelgr. in cœl.Emp.p.1. in Festo Pentec. §. 2. & seq. Item p. 1. Luc. Evang.in Dom.2.post Epiph.
X. Matthias Faber in Dom. 2. post Epiph. conc.5.& 6. Item conc.3. & 4. in Dom. 6. post Pent. Item in Auctario. them. 5. in Dom.4. Quadrag.
XI. Petrus Canisius in to. ult. de vitiis capitalibus.
XII. Georgius Scherer conc. 4. in Domin. Quinquages.

# *T I T V L V S  VIII.*

# EVAGATIO MENTIS.

## I.
## QUOAD ESSENTIAM.

### *Definitio.*

*Drexel in Rhet.l.2. c.5.§.3.* I. EST Mobilitas & inconstantia animi sub oratione ad aliena objecta conversi: Quam pictor quidam aptè oculis subjecit, dum Christum in cruce pendentem, & ante hunc duos homines flectentes pinxit, ita tamen, ut ex primi ore unica, eáque recta linea ad Christum dirigeretur; ex ore secundi verò variæ lineæ in campos, domum, cellam vinariam, horreum, uxorem, liberos & similia progrederentur.

### *Divisio,*

II. Dividitur plerumque in *Naturalē* & *Moralem* seu *Inculpabilem* & *Culpabilem*; quarum prior non voluntariè admittitur, sed ex naturali mobilitate mentis exoritur; posterior verò cum deliberata voluntate committitur, ideóque meritò culpabilis dicitur.

### *Actus.*

III. Primus est, nullam præparationem adhibere ad collectionem animi procurandam.

IV. Alter, ultrò distractionum causas accersere, puta curioso aspectu, non necessario colloquio, actione aliqua impertinente, &c.

V. Tertius, distractiones exortas oscitanter reprimere ad morem illius Famuli, qui jussus ægro Domino assidere, & muscas abigere, nictare oculis incipit, & modo flabellum tollit, muscásque abigit, modò iterum manus decidere permittit.

VI. Quartus, nullo prorsus modo distractiones tales reprimere, sed voluntariè tædij levandi gratiâ iisdem immorari.

## §. II.
## EX S. SCRIPTVRA.

### *Qualitas.*

I. POpulus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. *Matth. 15. v. 8.*
II. Nolite locum dare Diabolo. *Eph.4.v.27*
III. Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram DEO, DEUS enim in cœlo, & tu super terram. *Eccl.5.v.1.*
IV. Estote autem prudentes, & vigilate in orationibus. *1.Petri.4. v.7.*
V. Cor meum dereliquit me: multiplicatæ sunt super capillos capitis mei (distractiones.) *Psal.40.v.13.*

Dam-

*Damnum.*

Jer. 48. v. 10. VI. Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter.

Luc. 19. v. 45. VII. Cœpit ejicere vendentes & ementes dicens illis: Quia domus mea domus orationis est; vos autem fecistis illam speluncã Latronum.

## §. III.

## EX SS. PATRIBUS.

*Qualitas.*

S. Greg. l. 22. mor. c. 18. I. Notandum, quòd nequaquam dicitur (in libro Job) preces, sed desiderium meum omnipotens audiat. Vera quippe postulatio non in oris est vocibus, sed in cogitationibus cordis. Valentiores namque voces apud secretissimas aures DEI non faciunt verba nostra, sed desideria.

S. Bern. medit. c. 5. II. Nihil est in me corde meo fugacius, quod, quoties me deserit, & per cogitationes pravas defluit, toties DEUM offendit. Cor meum, cor vanum, vagum & instabile, dum suo ducitur arbitrio, & divino caret consilio, in seipso non potest consistere, sed omni mobili mobilius per innumera huc illuc discurrit.

*Fuga.*

S. Climac. III. Noli tristari, si, dum oras, subtilissimè Inimicus irrepit, animique intentionem clam ut fur avertit; sed bono esto animo, dum semper lubricam revocas mentem; Angelis enim datum est, hujusmodi furibus non parere.

S. Cyprian. l. de orat. Domin. IV. Quando stamus ad orationem, Fratres dilectissimi, vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis sæcularis & carnalis abscedat, nec quicquam tunc animus, quàm id solùm cogitet, quod precatur. Ideo & Sacerdos ante orationem præfatione præmissâ parat Fratrum mentes dicendo: *Sursum corda*; ut, dum respondet plebs, *Habemus ad Dominum*: Admoneatur, nihil aliud se, quàm Dominum cogitare debere.

Ibid. V. Claudatur contra Adversarium pectus, & soli DEO pateat, nec ad se hostem DEI tempore orationis adire patiatur: obrepit enim frequenter & penetrat, subtiliter fallens preces nostras à DEO avocat, ut aliud habeamus corde, aliud in voce, cùm intentione sincera Dominum debeat non vocis sonus, sed animus & sensus orare.

S. August. in Ps. 85. VI. Invenire dixit (David) se cor suum, quasi soleret ab eo fugere, & ille sequi quasi fugitivum, & non posset comprehendere, & clamare ad Dominum: Quoniam cor meum dereliquit me. Itaque Fratres mei, quod hic ait: Suavis es tu & mitis, &c. videor mihi videre ad hoc mitem dixisse DEUM, quia patitur ista nostra, & exspectat tamen à nobis orationem, ut perficiat nos: & quando illi eam dederimus, accipit gratè & exaudit, nec meminit tantas, quas inconditè fundimus, & accipit unam, quam vix invenimus.

## §. IV.

## EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

I. O Quid intus patior, dum mente cœlestia tracto, & mox carnalium turba occurrit cogitationum. DEUS meus ne elongêris à me, neque declines in ira à servo tuo. l. 3. c. 48. §. 5.

II. Sic ego homo infelix mecum pugno, & factus sum mihimetipsi gravis, dum Spiritus sursum, & caro quærit esse deorsum. Ibid.

III. Ignosce mihi, & misericorditer indulge, quoties præter te aliud in oratione revolvo. Ibid. §. 5. Confiteor etenim verè, quia valdè distractè me habere consuevi; nam ibi multoties non sum, ubi corporaliter sto aut sedeo. Ibi sum, ubi cogitatio mea est; ibi autem frequenter est cogitatio mea, ubi est, quod amo.

IV. Beatus ille homo, qui propter te, Domine, omnibus Creaturis licentiam abeundi tribuit: Qui naturæ vim facit, & concupiscentias carnis fervore Spiritus crucifigit, ut serenatâ conscientiâ, puram tibi orationem offerat, dignúsque sit Angelicis interesse Choris, omnibus terrenis foris & intùs exclusis. Ibid. §. 6.

V. Scito, quod antiquus Inimicus omnino nititur impedire desiderium tuum in bono, & ab omni devoto Exercitio evacuare. Multas malas cogitationes ingerit, ut tædium tibi faciat, & horrorem, ut ab oratione revocet, & sacra lectione. Non credas ei, neque cures illum, licet sæpius tibi deceptionis tetenderit laqueos. Ibid. §. 4.

VI. Affectus ille bonus & dulcis, quem interdum sentis, effectus gratiæ præsentis est, & quidam prægustus Patriæ cœlestis, super quo non nimium innitendum, quia vadit & venit. Ibid. §. 2. Certare autem adversus incidentes malos motus animi, suggestionémque spernere Diaboli, insigne est virtutis, & magni meriti.

## § V.

## EXEMPLA.

*Qualitas.*

I. IN Brabantia Dœmon Virginem Nivellanam obsessam tenens, cùm ab exorcitante orationem Dominicam recitare jussus fuisset, sic precabatur: Pater noster in cœlis, nomen tuum; fiat voluntas in terra, panem quotidianum hodie, debita nostra debitoribus nostris, nos à malo. & una cachinnum tollens, ecce, inquit, ita vos orationem vestram dicere soletis. Drexel. in Rhet. cael. l. 1. c. 3. § 3.

II. Quidam asino vectus dum templum ingressus asinum foris alligâsset, & orationem Dominicam recitare aggressus advertisset, perpetuam sibi de asino amittendo sollicitudinem suboriri, mox egressus asinum vendidit, ut distractionum causam removeret. Ibid. §. 4.

*Fuga.*

III. Anna Samuelis Mater tantùm loquebatur in corde suo, tantúmque labia illius movebantur, & vox penitus non audiebatur. l. 1. Reg. c. 1. v. 13.

*Ps.15.v.12* IV. S. David, ut distractiones fugeret, præsentiam DEI assiduò cogitabat. uti ipse fassus est dicens: Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commovear. Item: Ecce sicut oculi nostri ad Dominum DEUM nostrum. Hinc alibi ait: Invenit, servus tuus cor suum, ut oraret ad te oratione hâc. *Ps.122. v.2.* *2.Reg.7. v.27.*

*Drex. l.c. §.5.* V. S. Leonardus, cùm sub oratione serpens in sinum irrepsisset, nihil motus orare perrexit, finitâ verò oratione ad illum dixit: Quid tibi vis, Hospes? si quid licentiæ in me à Domino accepisti, exere: tuæ me potestati non subducam.

*Surius in Vita 4. Aug.* VI. S. Dominicus dum noctu ante aram orabat, Dæmon eum interturbare volens, lapidem è tecto Ecclesiæ dejecit, eòque impetu, ut tota Ecclesia illo casu circumsonaret. Usque adeò autem capiti ejus propinquus fuit lapis, ut caputium illius contingeret, sed viro DEI nihil se movente Diabolus horrendùm ejulans discessit.

*Marchant, in horto Past.tr.2. lect.8.* VII. S. Franciscus cùm oraturus Ecclesiam ingrediebatur, dicere solebat: Manete hîc cogitationes meæ, donec egrediar, & ubi opus DEI complevero, si indigere me vobis contingat, iterum vos assumam.

*Ibid.* VIII. S. Ludgardis, cùm aliquando in oratione suaviter cum Christo loqueretur, & ad negotium vocaretur, magna cum simplicitate & confidentiâ ei dicebat: Exspecta me, Domine JESU, celeriter expediam me & ad te revertar expedita,

*Damnum.*

*S. Hier. in vit.* IX. Cùm S. Hilarion aliquando sub oratione aliud volveret, dorso ejus festinus Gladiator insiliens, latera calcibus, & cervicem flagello verberabat. dicens: Eja, cur dormitas? cachinnànsque desuper cùm defecisset, an hordeum vellet accipere, sciscitabatur?

## §. VI.
## EXEMPLA DOMESTICA.

*Fuga.*

*Rib.l. 5. vit.c.1.* I. S. Ignatius ante omnem orationem præparabat animum, & quasi in cubiculum cordis intrabat; unde tam attentè & ferventer orabat, ut ex intensione animi morbum sæpe contraheret.

*Vita l.6 c.5* II. S. Franciscus Xaverius pro attentione comparanda ante singulas Officij horas Hymnum Veni S. Spiritus recitabat tanto fervore, ut ei cor è pectore exilire, animúsque deficere videretur.

*Vita to. de Angel. præfat.* III. Franciscus Suarez licet occupatissimus esset, quando tamen Breviarium in manus sumebat, omnes cogitationes alienas mox deponebat, quam collectionem temporis distributioni (quam ille Matrem Spiritûs appellare solebat) attribuit.

IV. P. Petrus Faber hæc ad distractiones cavendas media adhibebat. 1. Tempus orationis sæpe in memoriam revocabat. 2. Paulò antè omnia negotia disposuit. 3. In ipsa oratione post singulos Psalmos dicebat: Pater cœlestis, da mihi Spiritum bonum, 4. Imaginabatur sibi, se videre utrumque Angelum, bonum quidem omnia verba piè pronuntiata, malum verò evagationes animi scribentem. 5. Imperabat animo, ut vel in uno psalmo sine evagatione animi esset; id si acquisivit, ad alium progressus est. *Hist. Soc. l.3.n.35.*

V. P. Sebastianus Barrada tanta cum attentione orabat, ut strepitus introeuntium in cubiculum aut Sacellum non audiret. *Vita m.8.*

VI. Joannes Berckmannus ad orandum se componebat oculis leniter clausis, manibus ante pectus adductis, genibus flexis, corpore ad stuporem immoto, ut attentionem animi tantò faciliùs retineret. *Vita.*

## §. VII.
## SIMILITUDINES,

*Qualitas.*

I. Sicut is, qui arcum manu tenet, sagittam tamen contra Adversarium dirigere nequit, illam in vanum nullâ certâ intentione & fructu emittet; ita & ille, qui orationem sine debita intentione attentionéque peragit, modicam ex ea utilitatem percipiet. *S. Ephræm. in doctr. de Panoplia Spir.*

II. Sicut Globus in summo monte incipiens ruere præcipitem cursum non sistit, donec ad radicem montis perveniat, at verò globus terræ immissus nihil fugæ molitur; sic cor humanum volubili globo simillimum nisi DEO altiùs se immergat, cadendi ac præcipitandi finem non inveniet. *Drexel.in Rhet.cœl. l.1.c.3.§.2.*

III. Sicut Luscinia inter complures corvos non potest placere cantu; sic nec lingua oratione inter plurimas evagationes peractâ placere potest. *Ibid.§.4.*

IV. Sicut nobile unguentum odorem perdit, si pyxidi operculum desit; ita Spiritus precum evanescit, ubi os sine lege garrit. *Ibid.c.4. §.4.*

V. Sicut Abraham, dum in montem Sacrificaturus ascendit, Asinum ad pedem montis reliquit, famulósque & alia ad sacrificium importuna; ita qui ad montem thuris & myrrhæ, hoc est, orationis locum ascendunt, omnia ejusdem impedimenta foris relinquere debent. *Marchant. in hort. Past.tr.2. lect.8.*

VI. Sicut Molendinum continuò volvitur, & farinam producit juxta appositum granum; sic mens humana cogitationes semper quidem in animo fovet, sed tales, quales illi à proprio appetitu aut voluntate præsubuntur. *Ibidem.*

*Damnum.*

VII. Sicut turpissimum est, si quis se scribam profiteatur, & versus flexuosos & curvos pingat, lituras faciat plurimas, chartam atramento spargat, & multa eradat; ita non minùs turpe erit, alienas sub oratione cogitationes sponte admittere. *Drexel.l.c. §.5.*

VIII.

*Ibid. §. 4.* VIII. Sicut tu, si quis pedes tuos manibus sordidis attingeret, supplicationem ejus non audires, sed calcibus repelleres; ita nec DEUS illum exaudit, qui corde immundo preces persolvit.

## §. VIII.

## MOTIVA.

*Bellarm. in ascens. ment. grad. 14. c. 2.* I. *Impudentia ejusdem vitii*: quam Card. Bellarminus ostendens ait: Ecce loquimur cum DEO, & statim ab imaginatione ad alia cogitanda tracti tergum DEO vertimus. Quis nostratum Dominorum ferret Famulos suos secum loquentes, continuò se neglecto ad fabulandum cum conservis averti?

II. *Stultitia hujus Evagationis*: Quis enim non stultum putaret eum Hominem, qui ad Regem accedens variásque gratias impetrare volens, eam orationem & verba usurparet, quibus eum ad indignationem magis incitari, quàm flecti sciret? atqui hoc facit, qui cum voluntariis distractionibus orat.

*S. Basil. in reg. Brev. q. 306.* III. *Irreverentia ejusdem*: ob Angelorum preces annotantium, colligentium, Deóque offerentium præsentiam.

*S. Ephrem de panopl. spir.* IV. *Lætitia Dæmonum ob ejusmodi distractiones concepta*: nam, teste S. Ephrem, si, dum oras, mens tua distrahitur, sive per oculos, sive per aures, sive per cogitationes, scito hoc ipsius inimici esse opus.

## §. IX.

## MEDIA.

*Eccl. 18. v. 23.* I. *Accurata præparatio*: nam tantùm DEUS apponit ad adjutorium, quantùm nos ad diligentiam apposuerimus.

*Job. 11. v. 14.* II. *Pura conscientiæ studium*: nam, ut S. Job rectè dixit, si iniquitatem, quæ est in manu tua abstuleris, levare poteris faciem tuam *S. Gregor. l. 10. mor. c. 18.* absque macula. Super quæ verba S. Gregorius ait: Faciem levare est in DEO animum per studium orationis attollere. Sed elevatam faciem macula inquinat, si intendentem méntem reatus sui conscientia accusat. Diffidit namque accipere se posse, quod appetit, quæ profectò reminiscitur, nolle se adhuc facere, quod divinitus audivit.

*S. Bern. f. de 4. modis orand.* III. *Imaginatio præsentiæ DEI*: Quantâ enim cum reverentia, inquit S. Bernardus, quanto timore, quantâ illuc humilitate accedere debet à palude sua protepens ranuncula vilis! quàm supplex, quàm denique humilis & sollicitus, & toto intentus animo Majestati gloriæ in præsentia Angelorum, in concilio Justorum & congregatione assistere poterit miser homuncio?

*S. Basil. Const. Mon. c. 18.* IV. *Constantia in iis repellendis*: sic enim S. Basilius monuit dicens: Quòd si flagitiosarum cogitationum vis vehementior insurgat, ne sic quidem dejiciendus est animus, neque suscepta certamina ex dimidia parte confecta relinquenda, sed eò usque obfirmatè perdurandum, quoad DEUS perspectâ nostrâ constantiâ Spiritus Sancti gratiâ effulgeat.

V. *Sensuum Custodia*: juxta monitum Christi: Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito. *Matt. 6. v. 6.*

VI. *Spiritus S. invocatio*: nam sicut carbones non vivunt, & thus sibi superinjectum accendunt, nisi igne animentur; ita oratio frigida est, nisi per Spiritûs Sancti ignem animetur. *Drexel. in Rhet. cæl. l. 1. c. 3.*

## §. X.

## ASCETICA.

I. Tria sunt præcipuè, quæ Asceta circa hanc Evagationem bene addiscere, aliósque docere debet. Primum est, ut bene cognoscat originem & radices illius, quarum quatuor assignat S. Bernardus, scilicet *culpam mordentem, curâ pungentem, affectum vigentem, tristem, tribulationem cruciantem.* Jacobus *S. Bern. in ferm.* Marchantius tres, sed magis remotas assignat radices, nempe vulnus primævum & corruptionem Naturæ, pravam consuetudinem, & Malitiam Dœmonum, de qua B. Ægidius cùm interrogaretur, cur Dœmones plus adversarentur oranti quàm aliud pium opus exercenti? respondit: si quis litem alicui intendat coram Judice, is, cui vis infertur, omni studio laborat, ne contra ipsum sententia feratur; ita & Dœmon facit, nam quando pius homo DEUM orat pro sua aliorúmque salute, litem intendit Dœmoni tanquam Animarum prædoni. *Surius in vita B. Ægidii.*

II. Alterum est, ut bene cognoscat *modum vitandi distractiones*: quem quidem pulchrè S. Gregorius docuit, dum dixit: Semper ante orationis tempora debet sollicitè conspici, quidquid potest in oratione reprobari. Sæpe namque immunda vel illicita quædam animo versamus, quoties à precibus vacamus. Sed cùm mens se ad studium orationis erexerit, earum rerum imagines reverberata patitur, quibus libenter prius otiosa premebatur. S. Basilius verò rogatus, quomodo quis assequi possit, ne inter orandum distrahatur? respondit: si certò DEUM se ante oculos habere credat. Si enim Principem aliquis aut præsidem intuens, & cùm eo loquens oculos ab eo dimovere non solet, qui non tandem credibilius est intentam mentē habiturum illum, qui DEO preces adhibet, qui scrutatur corda & renes, & illud facturum, quod scriptum est: Levantes puras manus sine ira & disceptatione. *S. Greg. l. 10. mor. c. 16.* *S. Basil. in reg. brevior q. 306.*

III. Tertium est, ut etiam cognoscat, quomodo se gerere debeat in distractionibus; quâ in re iterum facem præferens B. Basilius ait: Cave diligenter, ne cogitationi illi animi tui assentiare, quæ ab orationis Canone nondum peracto avellere te studeat. Habent enim hunc morem Dæmones, ut faciendæ orationis temporibus, per speciosam aliquam laudabilis causæ simulationem nobis auctores sint, ut ab ea nos subducamus, ut, quam salutem afferre nobis intelligunt, ab ea nos probabiliter abducant. Id quod etiam B. Virgo S. Birgittam docuit, dum eidem per distractiones fatigatæ dixit: Diabolus explorator invidus quærit impedire bonos, *S. Basil. s. de abdic. rer.* *Blosius in monil. c. 2. §. 5.*

nos, dum orant; tu verò Filia, quâcumque tentatione pulsêris, persiste in desiderio, vel bona voluntate & conatu Sancto, prout potes, quia desiderium & conatus prius reputabitur pro defectu orationis. Marchantius verò id aptâ etiam similitudine confirmat, dum ait: Sicut qui adverso flumine navigant, licet quandoque repellantur, & retrocedant, non desperant, sed vires ingeminãt, & cum conatu remigant; ita idê adversus fluctus distractionum in oratione faciendum est.

*March. in Hort. Past. tr. 2, lect. 8.*

*Ibid.* Certè B. Ægidius dicere solebat: Si non potes nisi distractas orationes & meditationes offerre, tamen offer, quia DEUS etiam pilos caprarum in tabernaculo acceptabat.

§. XI.

## CONCEPTUS PRÆDICABILES.

*Psalm. 140. v. 2.* I. EX occasione thematis: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo:* possunt explicari conditiones ad orationem attentam requisitæ, quòd videlicet sicut 1. Thymiama constabat quinque rebus, thure, galbano, onyche, stacte, mastyche; ita oratio quinque Virtutes, Fidem, Spem Caritatem, Humilitatē, Constantiam requirat. 2. Sicut thymiama templo inferri debebat; ita oratio in corde vel ut templo DEI Sancto peragi debeat, ne audiatur: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. 3. Sicut thymiama offerri debebat per Pontificem summum, ita oratio per Christum Dominum nostrum. 4. Sicut thymiama carbonibus accensis imponi debebat; ita oratio ferventi animo peragi. 5. Sicut thymiama rectà sursum ascendebat; ita & oratio non ut fumus à vento distractionum dispergi, sed rectâ lineâ ad DEUM dirigi debeat.

*Matt. 6. v. 6.* II. Ex occasione thematis: *Tu autem cùm oraveris, intra cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito:* potest ostendi, quo potissimùm medio distractiones caveri queant. 1. Ergo dicatur, quòd juxta S. Augustinum, cubile nostrum sit cor nostrum. 2. Quòd cubile hoc habeat Ostium duabus valvis constans, scilicet cupiditate & timore alicujus rei terrenæ. 3. Quòd ostium hoc Christo aperiendum, Diabolo claudendum sit. Per cupiditatem sæculi Diabolus intrat; per desiderium vitæ æternæ Christus intrat. Per timorem pœnarum temporalium Diabolus intrat, per timorem inferni Christus intrat. Ne ergo detis locum Diabolo, quia tentator non cessat pulsare, ut irrumpat; si clausum invenerit, transit.

*S. August. in Ps. 35.*

*2. Reg. 1. v. 22.* III. Ex occasione thematis: *Sagitta Jonathæ nunquam rediit retrorsum:* Potest oratio sagittæ comparari, & ostendi, quomodo dirigi debeat, ut non redeat retrorsum, id est, irrita non fit. Si scilicet 1. *Per arcum intensum,* id est, internam cordis attentionem protrudatur. 2. *Si genua flectantur* (ut sagittarii solent interdum) per externam corporis humiliationem. 3. *Collimando ad certum Scopum:* id est, certum finem aut rem impetrandam sibi proponendo, ut ad ferventius orandum animemur. 4. *Sinistrum oculum,* id est, *corporalem claudendo,* & solum dextrum, id est, internum mentis apertum servando

IV. Ex occasione thematis: *Unde habet Zizania?* potest oratio tritico comparari ob necessitatem, utilitatem, & dignitatem super alias actiones: Distractiones verò Zizaniis, quia facilè crescunt, triticum impediunt à crescendo, & ad nihil utiles sunt, nisi ad comburendum. Deinde ostendi possunt radices quatuor §. priori indicatæ, videlicet culpa mordens, cura pungens, affectus vigens, tribulatio crucians, simúlque modus demonstrari, quo evelli debeant.

V. Ex occasione thematis: *Ecce ignis & ligna: ubi est victima holocausti?* potest iterum exemplo Abrahami ostendi, quomodo oratio seu cor devotum in Holocaustum offerri DEO debeat. Nempe 1. *Eundo in terram visionis,* per præsentiam DEI cogitatam, aut templi visitationem. 2. *Dicendo negotiis & desideriis abeuntis:* Exspectate hîc cum asino: ego autem & Puer (id est, cor meum) illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos. 3. *Ligna & ignem secum accipiendo,* id est, materiam orationis, & fervorem, quo eliciantur affectus. 4. *Alligando Isaac,* id est, cor suum, ne per distractiones aufugiat; & *super ligna ponendo,* id est, orationi totum applicando. 5. *Extendendo manum:* id est, exteriorem etiam corporis & membrorum reverentiam adhibendo. Quod si facient, audient cum Abrahā: Quia fecisti rem hanc, benedicēs benedicā tibi, & multiplicabo semen (id est merita) tuum, sicut stellas cæli.

*Gen. 22. v. 8.*

VI. Ex occasione thematis: *Cupio dissolvi, & esse tecum:* potest narrari Historia de S. Athanasio Puerum cum Avicula vinculis alligata vidente, &, ubi illum Aviculam in altum evolantem iterum retrahere vidit, cum gemitu dicente: En sic Diabolus ludit nobiscum. Ex qua historia narrata inferatur, hunc Diaboli lusum maximè in oratione exerceri nam 1. Anima per alas variorum piorum affectuum se ad cælum erigit, dum attentè orat. Verùm 2. mox iterum filo volubilitatis ad antiquas terræ ineptias retrahitur. Hinc clamandum ad DEUM, ut vincula hæc disrumpat suâ gratiâ, ut dicere possit anima cum Davide: Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis.

*Philipp. 1. v. 23.*

*Ps. 115. v. 16.*

VII. Ex occasione thematis: *Opprimantur Operibus, & expleant ea, ut non acquiescant verbis mendacibus:* dicatur Diabolum plerumque Pharaonem imitari, & quando volunt per orationem Sacrificare DEO suo, eos laboribus & negotiis, curisque opprimere. Ostendatur itaque 1. Quibus laboribus opprimat, scilicet paleis bonorum terrestrium colligendis & lateribus vilissimarum voluptatum conficiendis. 2. Ostendatur, quomodo se liberare debeant ab hoc jugo, scilicet recurrendo ad Moysen ac Aaronem, ipsque suam necessitatem & afflictionem exponendo; hoc est, Christi, B. Virginis alio-

*Exod. 5. v. 9.*

aliorúmque cælitum opem implorando: ac deinde omnino violenter à Pharaone aufugiendo; sic enim ille insequens eos in mari rubro Sanctissimi Sanguinis Christi submergetur.

## §. XII.

## MISCELLANEA.

### *Qualitas.*

*Drex. in Rhet. cæl. l. 1. c. 3. §. 1.* I. Philosophi quidem Hominem definiunt rationale animal; at rectiùs alii aiunt, esse ipsam Inconstantiam, ut qui, Jobo teste, nunquam in eodem statu permanet.

*Ibid. §. 2.* II. Prisci Patres in Ægypto dicere solebant: Homo orationis amans cæcus, mutus, & surdus esse debet, ut neque oculos aliò vertat, nec sermones importunos misceat, nec strepitus molestos, garrientiúmve susurros audiat.

*Drex. l. c. c. 6. §. 1.* III. Plutarchus censet à Numa Rege profectum illud: *Adoraturi sedeant.* Ut monerentur tumultos cogitationum ejicere, & uni DEO attendere. Ita David Rex sedit coram Domino.

IV. Quod S. Paulus de caritate, hoc non incommodè de attentione & fervore orationis dicitur, nempe quòd etsi omnes libellos precatorios recitando absolvam, fervorem autem & attentionem non habeam, nihil sum, & factus velut æs sonans aut cymbalum tinniens. Unde *S. August. in ps. 139.* S. Augustinus, quàm multi, ait, deprecantur DEUM, nec sentiunt DEUM, nec bene cogitant de DEO. Sonum deprecationis habere possunt, vocem habere non possunt, quia ibi vita non est.

*Drexl. l. 1. c. 3. §. 1.* V. S. David suadet, ut effundamus cor nostrum in conspectu Domini sicut aquam, non sicut oleum; quia aqua non tam facilè adhæret vasi, sicut oleum; ut per hoc intelligeremus, cor nostrum penitus ad DEUM migrare debere in oratione.

## §. XIII.

## AXIOMATA.

I. Zerstråtes Gebett samblet wenig.

II. Zerstråtes Gebett ist höchste Gleißnerey / weil es mit der Zung ehret / und mit dem Hertzen schiltet.

III. Kupfferes Gebett / kupffere Gaben.

IV. Waß man auff die Mühl schittet / daß mahlet sie.

V. Karges Gebett karge Belohnung.

VI. Kalte Bitt fruchtet nit.

VII. Wie der Bitter / also der Geber.

## §. XIV.

## AUTHORES.

I. Joannes Busæus V. eodem. in Panario.

II. Hieremias Drexelius in Rhetorica cælesti lib. 1. c. 3. & seqq.

III. Jacobus Marchantius in Horto Pastorum tract. 2. lect. 8.

IV. Antonius Daurolrius. in Catechismo historiali. cap. 2. tit. 14.

# TITVLVS IX.

# GULA.

## §. I.

## QUOAD ESSENTIAM.

### *Definitio.*

### I.



Est inordinatus appetitus alimenti; id est, si aliter cibus aut potus usurpetur, quàm ipsa Naturæ sustentatio requirit.

### *Divisio.*

II. Dividitur in eam, quæ in cibo, & eam, quæ in potu sumendo excedit; & hæc quidem si usque ad rationis privationem pertingat, Ebrietatis nomen sortita est; secùs verò ad Gulam plerumque revocatur.

### *Actus.*

*1. Reg. 14. v. 44.* III. Primus est, *ante tempus* commedere aut bibere; ut Jonathas Saulis Filius, ignarus præcepti è Patre editi, mel ante tempus gustavit, idcóque audivit à Patre: Morte morêris Jonatha.

*Exod. 16. v. 3.* IV *Nimis lautos & delicatos cibos aut potum appetere:* quo modo Populus Israëliticus manna fastidiens, & ad ollas Ægyptiacas aspirans peccavit.

*Ezech. 16. v. 49.* V. *Nimiùm comedere, aut bibere:* quemadmodum Sodomitæ, de quibus Ezechiel dixit Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ Sororis tuæ, superbia, saturitas panis, abundantia.

*Gen. 25. v. 34.* VI. *Nimis ardenter alimentum appetere:* ut Esau pro pulmento primogenita vendens, parvíque pendens, quòd ea vendidisset.

VII. *Studiosè nimis præparatum alimentum expetere:* Ut Filii Heli, qui non contenti parte Sacerdoti offerri solita, etiam adipem DEO offerri solitum rapiebant.

## §. II.

## EX S. SCRIPTURA.

### *Fuga.*

*Rom. 13. v. 13.* I. Non in commessationibus & ebrietatibus &c. sed induimini Dominum JESUM Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis.

II. Noli

*Eccl. 37. v. 32.* II. Noli avidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam.

*Io. 6. v. 27.* III. Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.

### *Damnum.*

*Prov. 27. v. 7.* IV. Anima Saturata calcabit favum (orationis & Eucharistiæ) & anima esuriens pro dulci amarum sumet.

*Luc. 6. v. 25* V. Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis.

*Num. 11. v 33.* VI. Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat hujuscemodi cibus, & ecce furor Domini concitatus in Populum, percussit eum plagâ magnâ nimis.

*Iob. 20. v. 14.* VII. Panis ejus in utero vertetur in fel aspidum intrinsecus.

*Prov. 21. v. 17.* VIII. Qui diligit epulas, in egestate erit: qui amat vinum & pinguia, non ditabitur.

*Eccl. 10. v. 16.* IX. Væ tibi terra, cujus Rex Puer est, & cujus Principes manè comedunt.

*Eccl. 37. v. 33.* X. In multis escis erit infirmitas, aviditas appropinquabit usque ad choleram.

*Phil. 3. v. 19.* XI. Multi ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi, quorum finis, interitus: quorum DEUS venter est.

*Osee. 13. v. 6* XII. Juxta pascua sua adimpleti sunt, & saturati sunt: *elevaverunt cor suum, & obliti sunt mei.*

*Iudæ 12. v.* XIII. Hi sunt in epulis suis, maculæ, convivantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in æternum.

## §. III.
## EX SS. PATRIBUS.
### *Qualitas.*

*S. Ambr. in serm. de jejun.* I. MAlæ Dominæ servitur Gulæ, quæ semper expetit, nunquam expletur. Quid enim insatiabilius ventre? hodie suscipit, cras exigit, cùm impletus fuerit, disputatur de continentia; cùm digesserit, vale virtutibus dicitur.

*S. Hieron. in ep. ad Paulum.* II. Sit vilis & vespertinus cibus, olera & legumina, interdúmque pisciculos pro summis deliciis ducas. Qui Christum desiderat, & illo pane vescitur, non quærit magnopere, quàm prætiosis de cibis stertus efficiat.

*S. Greg. l. 30. Moral.* III. Non cibus, sed appetitus in vitio est; unde & lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus, & abjectiores non sine reatu conscientiæ degustamus.

*Idem. l. 2. mor.* IV. Penè semper epulas comitatur voluptas; nam dum corpus in refectionis delectatione resolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur.

### *Fuga.*

*S. Isidor. l. 1. c. 42.* V. Nemo potest virtutum perfectionem attingere, nisi priùs ventris edomuerit ingluviem.

*S. Greg. l. 30. mor.* VI. Nullus palmam spiritualis certaminis apprehendit, qui non in semetipso priùs per afflictam veneris concupiscentiam carnis incentiva devicerit.

*S. Ephr. tr. de tim. DEI.* VII. Qui corporis sui carnes delicatè nutrit, concupiscentias malas pascit.

### *Damnum.*

*S. Hier. in serm.* VIII. Semper saturitati juncta est lascivia. Vicina sunt igitur Venter & genitalia, pro membrorum ordine ordo vitiorum.

*S. Greg. l. 30. mor.* IX. Dominante Gulæ vitio omne quod Homines fortiter egerunt, perdunt; &, dum venter non restringitur, simul omnes virtutes obruuntur.

*Innocent. de vil. cond. hu.* X. Gula Paradisum clausit, primogenita vendidit, suspendit pistorem, decollavit Baptistam, Nabuzardan Princeps coquorum templum incendit, & Jerusalem totam evertit, Balthasar inter epulas manum scribentis vidit, & eâdem nocte interfectus est à Chaldæis.

*S. Basil. s. de abdic. rer.* XI. Cave, ne te Adversarius simili atque primum Parentem peccato circumveniat, & quamprimum de Paradiso deliciarum expellat. Nam qui callida escæ objectione ita malitiosè illum vitâ spoliavit, & item JESUM eodem modo supplantaturum speraverat, nihil est, quod is vereatur, etenim præsentissimum hoc esse venenum intelligit.

*S. Ambr. s. de Cain & Abel.* XII. Plurimos Gula sua occidit, nullum frugalitas: innumeris vina nocuerunt, nulli parsimonia. Plerique inter epulas fudêre animas, & mensas proprio repleverunt Sanguine.

*S. Isidor. de sum. bon. l. 2. c. 42.* XIII. Sicut omnes carnales cupiditates per Abstinentiam resecantur, ita omnes Animæ virtutes edacitatis vitio destruuntur.

*S. Greg. l. 31. mor. c. 31.* XIV. De ventris ingluvie inepta lætitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagantur.

*S. Chrysost. hom. 21. in c. 2. 30.* XV. Quod necessitatem in edendo excedit, id non alimentum, sed pestis est, satietas morborum omnium origo.

## §. IV.
## EXEMPLA.
### *Qualitas.*

*S. Doroth. in vita.* I. S. Dorotheus cùm Dositheum Viri primatij Filium instituendum suscepisset, initium ab expugnatione gulæ fecit.

*Vita. PP. apud March. sub Sac. tr. 3. lect. 1.* II. Senex quidam cum Philosophis disputans dicebat: Multis debitoribus parens meus me fecit obnoxium, ceterisque solvens, & ab eorum molestiis liberatus, soli uni quotidie solvendo satisfacere non possum; quærentibus autem illis solutionem respondit: Multis fui constrictus vitiis, quibus tanquam molestissimis Creditoribus omnem abjiciens substantiam satisfeci, atque ab eis solutus fui, Gastrimargiæ verò stimulis carere nequeo; & licet eam ex parte redegerim, vix vim impulsionis evado.

*Ibid.* III. Serapion Sindonita Athenis triduani jejunij fame pressus juxta locum Concilij clama-

clamavit: Viri Athenienses, mihi succurrite, nam trium Fœneratorum manum incurri, & duorum debitū solui, tertio satisfacere non possum. Quærentib*, quid hoc esset? Respodit: Tres Fœneratores sunt cupiditas pecuniæ, carnalitas luxuriæ, aviditas Gulæ. Quorum primis duobus satisfeci, sed tertius adhuc urget ob famem, quam patior.

### *Fuga.*

*Cornel. de Lap. in c. 11. Num.* IV. B. Jacoponus ut Gulam demeret, absynthio quasi sale utebatur, donec eò pervenit, ut saporem cibi in unum DEO referret. Quondam ab appetitu bubulæ carnis vexatus, eam quidem emit, sed tamdiu in cubiculo servavit, donec computresceret, & tum demum pessimè olentem naso applicabat.

*Cassian. in coll. c. 11* V. Serapion cùm diu à Gula superatus, &, quæ occultè comederet, furatus, tandem tentationem & fragilitatem suam seniori detexisset, panémque furto sublatum de sinu extraxisset, flamma sulphurea gravissimè fœtetis de eodem sinu exivit, ut intelligeret, nunc tandem tentationem illam penitus fuisse expugnatam.

### *Damnum.*

*Gen. 3.* VI. Vidit Eva, quòd lignum esset bonum ad vescendum, & tulit de fructu ejus, deditque viro suo, & commedentes ambo, totum humanum genus secum in perniciem traxerunt.

*Luc. 17.* VII. In diebus Noë edebant usque in diem, quâ intravit Noë in arcam, & venit diluvium, & tulit omnes.

*Spec. Ex. d. 1. ex. 8.* VIII. Gulosa Femina lactucam decerpens, cui Dœmon insederat, nec signum crucis faciens ab eodem obsessa est.

*Ibid. ex. 48.* IX. Gulosus Monachus occultè comedens, & publicâ abstinentiâ sanctitatis famam quærens, Draconi devorandus traditur.

*S. Petrus Dam. ep. 1. ad Fratr.* X. Gulosus Frater, quia frixuras in vasculo deferebat ad triclinium, & de iis ibi comederat, in turpissimum pollutionis vitium mox incidit, ut dici de eo jure potuerit: post buccellam introivit in eum Sathanas.

*Spec. Ex. V. Gula. ex. 9.* XI. Alius quidam Frater, cùm in Patriam domum veniens piscibus oblatis non contentus, sed gallinam occidens, & assari jubens, ubi primum bolum accepit, ab eo suffocatus est.

*Ibid. ex. 16.* XII. Quidam Miles post mortem Puero suo apparens, cùm hic præ timore aperire eidem januam nollet, bufones ac serpentes januæ appendit, Filióque suo nuntiari jussit, hunc esse suum & otiosorum in inferno cibum & delicias.

## §. V.
## EXEMPLA DOMESTICA.

### *Fuga.*

*Maff. in vita. l. 3. n. 12.* I. S. Ignatius nulli unquam ferculo arrisit: nullum eduli vel condimenti genus cuiquam indixit, nihil inter edendum quæstus, licet & cibus, & potus sæpe malè paratus esset.

*Annua Soc. 1620. Coll. Gran.* II. P. Thomas Sanchez, ubi sensit in aliquem cibum vehementiùs se inclinari, mox eum deposuit. Nullum acetum, salem, oleum aut aliud ejusmodi condimentum adhibebat, ut gulam expugnaret.

*Vita Itiner. Praef.* III. P. Sebastianus Barradius vilissima tantum & palato ingratissima sumebat. Sæpe ad Gulam mortificandam cibos calidissimos, sæpe frigidissimos accipiebat, ut omnis sapor abderetur.

*Vita c. 4. §. 1.* IV. P. Balthasar Aluarez, si meliùs quid ei apponebatur, mox alteri dabat. Cùm aliquando unicum ovum haberet in hospitio etiam illud studio in terram cadere permisit, ut se in illo exiguo cibo vinceret.

*Vita.* V. Joannes Berchman dicere solebat, tribus cum vitiis maximè pugnandum esse Religioso, nempe cum Acediâ, Superbiâ, Gulâ; Acediam fervore, Superbiam submissione, Gulam temperantiâ superari. Hinc ipse ut Gulam vinceret, nihil unquam præter vulgarem cibum & potum admisit; non priùs mensæ recordabatur, quàm signum audiret: paulatim sibi aliquid detrahebat.

## §. VI.
## EXEMPLA PROFANA.

*Zonaras. to. 3. Annal.* I. Zeno Imp. Orientis cùm ob intemperantiam Gulæ Ariadnæ Uxori & aliis valde molestus fuisset, illius imperio semel inebriatus in Monumentum Imperatorum conjectus est, lapide maximo pro operculo imposito, factúsque sobrius inter lamentationes & ejulatus, miserâ & horrenda morte est extinctus.

*Stobaeus f. 42.* II. Sauromatæ triduo se ad saturitatem ingurgitant, uxoribus ceu Dominis per omnia parent.

*Langius in Polyanth.* III. Aureliano Imperatori in deliciis fuit Phago quidam, qui uno die ad mensam Imperatoris aprum integrum, centum panes, vervecem & porcellum comederit.

*Laërt. lib. 6.* IV. Diogenes divitem quendam, qui sua abliguriverat, olivis vescentem in diversorio videns: *si sic prandisses, inquit, non ita cœnares.*

*Suetonius.* V. Vitellius ab Amicis sibi sic parari convivia jusserat, ut nullum infra decies mille aureorum constaret; & tamen adhuc profusiora erant, quæ proprio sumptu apparabat, ita ut in una cœna duo Piscium millia, Avium verò septem millia apponerentur.

*Platina. in Pontian.* VI. Alpinus imper. tantæ voracitatis erat, ut in unâ cœna decem pepones Ostienses, centum poma Persica, quingentas ficus passarias, & quadraginta Ostrea comederet.

*Fab. in Dom. 6. Post. Pent.* VII. Wenceslaus Rex Bohemiæ, cùm prandium non, prout jusserat, præparatum offendisset, jussit coquum caponis instar veru affixum ad ignem torreri.

*Ibid. ex. 16.* VIII. Henricus Rex Angliæ VII. Apitium quendam, hominem obscurum ad magnam dignitatem evexit, eò quòd caponem, quem cibum ille pro deliciis habebat, optimè suâ curâ præparatum illi apposuisset.

## §. VII.

## SIMILITUDINES.

### *Qualitas.*

*Cassian. coll. 5. c. 20.* I. SIcut Aquila, licet excellissimè volans, tamen ad ima vallium submitti, ac morticiniis cadaveribus implicari ventris necessitate compellitur; ita Sancti quoque viri nonnunquam propter victûs necessitatem Gastrimargiæ vitio impetuntur.

### *Damnum.*

*March. tub. Sacerd. tr. 5. lect. 9.* II. Sicut terra, quando nimiâ aquæ abundantiâ oppressa fuerit, innatum suum calorem perdit, ac vires, nec est ad generationem idonea; sic corporis vis mollescit, dissolvitur, diffluit potu continuo ingurgitata, inutilisque homo redditur, & morbis variis obnoxius.

*S. Hier. in reg. Monach.* III. Sicut fumus fugat apes; sic indigesta ructatio avertit Spiritus Sancti charismata.

*S. Clim. de descens. gr. 26.* IV. Sicut stercoris copia multitudinem gignit vermium; ita multitudo ciborum, lapsum, & malorum cogitationum atque somniorum operatur multitudinem.

*S. Chrys. hom. contra luxum & crap.* V. Sicut Navis onoraria, quæ supra suam magnitudinem vehenda capit, oneris magnitudine gravata submergitur; ita anima & corporis nostri mensura si plures acceperit cibos, quàm ferat Natura, impletur, & injectorum gravitatem non amat, & in perditionis pelagus demergitur.

## §. VIII.

## MOTIVA.

*S. August. l. 10. conf. c. 31.* I. QUia Vitium hoc *communissimum*, atque adeò *periculosissimum*, est; cùm enim cibo quotidie refici opus habeamus, declinare illius occasiones, sicut in aliis vitiis non possumus unde S. Augustinus ait: In his tentationibus positus certo quotidie adversus concupiscentiam manducandi, & bibendi; non enim est, quod semel præcidere, & ulterius non attingere decernam, sicut de concubitu potui.

*Canis. to. 4. §. 7. de vit. capit.* II. Quia *turpissimum* est: quid enim fœdiùs, inquit Canisius, quàm hominem à belluis naturali quâdam frugalitate contentis superari, dum ventris, crapulæ & vinolentiæ quasi mancipium agit, dum bona dissipat, valetudinem lædit, morbos accersit, ac vitam denique ipsam ambrumpit sibi? Hoc sanè motivo *Marchant. in tuba Sac. lect. 4.* studiosus quidam, teste Marchantio, stultitiam suam agnovit, cùm enim Parisiis domum proficiscens, in Hospitio ab Hospite ad varios haustus in sanitatem Hospitæ, Filiæ, Ancillarum provocatus esset, ideòque sequenti die capitis gravissimos dolores sensisset, accidit, ut in itinere ad fluvium perveniret, ibique jumentum suum ad bibendum invitaret, quod cùm illud modicè fecisset, & postea studioso frustra per amorem Hospitæ, Filiarum, Ancillarum hortante, ut ampliùs biberet, præstare nollet, quin etiam recalcitrando abnueret, motus ille hoc jumenti exemplo dixit: Verè tu longè me prudentius es; si enim ego me heri perinde, ac tu modò, continuissem, hodie tam gravi capitis dolore, fauciúmque ariditate non laborarem.

III. Quia *nocentissimum* est: 1. Corpori, uti bene Seneca explicavit, dum dixit: Inde pallor vultus & nervorum tremor, & miserabilior, & execrabilior, quàm ex fame, macies. Quid capitis vertiginem dicam? quid oculorum auriúmque tormenta? Multos morbos multa fercula fecerunt. Necesse est enim, ut inter se tam diversa discrepent, & hausta malè digerantur, ex discordi verò cibo nascitur morbus. *Senec. in epist.* 2. *Anima*: nam, ut supra dictum, ex uno gulæ vitio innumera vitiorum agmina ad conflictum Animæ producuntur.

IV. Quia *indignissimum est* Homine rationis capace: id quod S. Chrysostomus sapienter advertit, dum ejusmodi Homines Porcis comparavit, qui naturâ suâ immundi, atque ad terram & cœnosas voragines ore demersi, nihil aliud, quàm ad satietatem ventris pabula semper requirunt, nullámque ex se, dum vivunt, utilitatem præstant.

V. Quia *Idololatricum* est: sicut enim Diis solent templa construi, altaria erigi, ministri ad serviendum ordinari, immolari pecudes, thura concremari; ita ab iis, quorum DEUS venter est, coquina pro templo servit, altare pro mensa, coci pro ministris, coctæ carnes pro immolatis pecudibus, ordo saporum pro incenso, Spiritus & flatus temulentiæ pro Spiritu Sancto. Hinc etiam Philistæi Dagonem, id est, DEUM ventris colentes in occultis partibus puniti sunt, ita ut intestina profluerent, ac prominerent.

VI. Quia *inquietum & turbulentum* vitium est: hinc Apostolus monet: Nolite *curam* carnis facere in desideriis. Certè per gulæ victoriam, animæ pacem obtineri rectè S. Basilius pronuntiavit dicens: Ventris moderatio, animi perturbationum compressio est; perturbationum autem compressio, animi pax est atque tranquillitas; animi autem tranquillitas nihil aliud, quàm fœcundissimus virtutum fons est. *Rom. 13. v. 14.* *S. Basilius in const. monast. c. 5.*

VII. Quia *Scandalosum* est vitium, maximè in Personis Ecclesiasticis & Religiosis; nam interioris hominis castitas, teste Cassiano, hujus virtutis consummatione discernitur; nunquam enim robustioribus æmulis colluctari posse confidas eum, quem in leviori conflictu conspexeris ab inferioribus, parvisque superari. *Cassianus c. 13 de inst. Mon.*

## §. IX.

## MEDIA.

I. ORatio: uti S. Augustinus suo exemplo docuit, dum dixit: His tentationibus (Gulæ) quotidie conor resistere, & invoco *S. August. l. 10. conf. c. 31.*

dexteram tuam ad salutem meam, & ad te refero æstus meos, quia consilium mihi de hac re nondum stat. Multa nobis orantibus tribuis. Audivi rogantem, ut accipiat: Aufer à me, inquit, concupiscentias ventris. Unde apparet, Sancte DEUS meus, te dare, cùm fit, quod imperas fieri. Hinc Hesiodi monitum est: Ne comede ex illâ, quæ non benedicta patella est.

*Macrob. l. 3 c. 11.*

II. *Spiritualium rerum studium:* nam gustato Spiritu desipit omnis caro; hinc S. Gregorius ait: Gula per abstinentiam frangitur; sed abstinentiam ciborum corporalium habere non potest, qui mentem spiritualibus cibis non replet; potenter enim corpus extenuat, qui amore cœlestium cor inflammat, quia, dum spiritualia diligit, desideria carnis valèter premit.

*S. Greg.*

III. *Exemplo Christi mentem ad cælestia transferre*, cùm Gulæ tentatione impetimur, & dicere: non in solo pane vivit homo &c. vel: cibus meus est facere voluntatem Patris mei, qui in cælis est. Vel: Tua JESU dilectio, grata mentis refectio, replens sine fastidio, dans famem desiderio. Hoc medium tam necessarium visum est Cassiano, ut dicere ausus sit: Nequaquam poterimus escarum præsentium spernere voluptates, nisi mens contemplationi divinæ defixa, amore virtutum potiùs & pulchritudine cœlestium delectetur.

*S. Bern. in jubilo.* *Cass. l. 5. Inst. c. 14.*

IV. *Sæpe perpendere*, quàm bestialis, vana, brevis, noxia corpori & animæ, atque adeò etiam indigna homine sit voluptas immoderata, quæ ex gustu percipitur, ac proin dicere cum Seneca: Ad majora sum genitus, quàm ut mancipium sim mei corporis. Certè Petrarcha judicavit, hoc vitium nullo meliùs modo, quàm generosa quâdam indignatione, & rei ipsius existimatione confundi, vel sensim, ut Ciceroni placuit; vel repentè, ut Aristoteli visum est. Multùm confert cogitatio exitus, quod cum omnibus vitiis sit commune, tamen huic proprium & luxuriæ.

*Petrarcha. Dial. c. 8.*

V. *Extra tempus nihil comedere, aut bibere:* ita Cassianus suasit his verbis: Monachus hanc inprimis cautionem sibi indicat, ut non potus quidquam, non esus ulla oblectatione devictus, ante stationem legitimam, communémque refectionis horam extra mensam percipere sibimet prorsus indulgeat. Certè S. Philippus Nerius dicere solebat, neminem fore virum spiritualem, qui extra tempus aliquid comederit.

*Cass. l. 5. inst. c. 20.* *Lancic. opusc. 2. n. 47.*

VI. Ante mensam definire, quid & quantùm sumendum sit, & hunc terminum nullâ aviditate vel instigatione inimici excedere.

*S. Ignat. in Reg. de vict. tem.*

VII. *Infernalis cibi meminisse:* ita S. Climacus suasit dicens: Mensæ delibatio lamentandæ sortis vermium illorum te admoneat, minúsque delicias requires. Sed et in ipso aquæ potu flammæ illius sitim ne obliviscaris, atque ira vim omnino naturæ facies.

*S. Clim. grad. 7.*

## §. X.

## ASCETICA.

I. TRia sunt, quæ præcipuè de hoc vitio nôsse & observare debet Asceta. Primum est, ut cognoscat *necessitatem* expugnandæ Gulæ; neque enim ad conflictum spiritualis agonis assurgitur, teste S. Gregorio, si non priùs inter nosmetipsos hostis positus, Gulæ videlicet appetitus edomatur.

*S. Greg. ho. 30. mor.*

II. Secundum est, ut bene cognoscat modum dignoscendi, quando appetitus Gulæ inordinatus est; nam, teste S. Gregorio, sic voluptas sub necessitate se palliat, ut vix eam perfectus quisque discernat. Sæpe autem in edendi via furtivè adjuncta voluptas subsequitur: nonnunquam verò impudenter libera etiam præire conatur. Facilè verò est deprehendere, cùm voluptas ejus necessitatem prævenit, sed valde difficile est discernere, cùm in ipso esu necessario se occulta subjungit. Nam quia præeuntem naturæ appetitum sequitur, quasi à tergo veniens tardiùs videtur. Ut ergo hanc fraudem cognoscere & fugere queat, DEI imprimis grana imploranda, subinde bona intentio præmittenda, & sub ipsa sumptione cibi aut potus quandòque iteranda: ac tandem freni gutturis, ut S. Augustinus monet, temperata relaxatione & constrictione tempetandi sunt, ne appetitus prævalere valeat.

*S. Greg. l. 30. mor. c. 18.*

III. Ut bene etiam solidum modum vincendi hoc vitium cognoscat, qui in sequentibus tribus doctrinis consistit. 1. Ut artem continentiæ sic teneat, quatenus non carnem, sed vitia carnis occidat. Adjutorem quippe habemus internæ intentionis hunc hominem, quem exterius gestamus, & ipsi insunt motus lasciviæ, & ipsi effectus suppetunt operationis bonæ. Sæpe verò dum in illo hostem insequimur, etiam civem, quem diligimus, trucidamus, & sæpe dum quasi concivi parcimus, ad prælium hostem nutrimus. Hinc S. Hieronymus dixit: Parcus cibus, & venter semper esuriens triduanis jejuniis præfertur, & multò meliùs est, quotidie parùm, quàm raro sumere. Sed & ipse Christus S. Gertrudi dixit: Mihi quidem ad hoc oblatum erat vinum myrrhatum cum felle mixtum, quò citiùs morerer, sed desiderium multa patiendi pro homine tetraxit me, ne biberem. Tu verò diverso in eodem amore sume omnia necessaria & commoda, ut per ea diutius in servitio meo viva conserveris. 2. Ut nôrit, generalem hunc continentiæ modum esse, ut secundùm capacitatem virium, vel corporis, vel ætatis tantùm sibimet cibi unusquisque concedat, quantùm desiderium saturitatis, exposcit. Ut autem hæc mensura cognoscatur, suadet S. Dorotheus, ut quisque experientiâ Magistrâ discat, & observet, quanta cibi copia soleat stomachum gravare, ac deinde paulatim de copia illa detrahat, donec nullam ampliùs in digestione difficultatem sentiat. Contrà notet quoque, quanta cibi tenuitas & parsimonia imbecilliorem reddat, ut officio, quod sustinet, ægrè satisfacere possit, quo ani-

*S. Greg. l. 30. mor. c. 14.* *S. Hier. ep. 10. ad Fur.* *l. 4. Insin. c. 23.* *Cass. c. 8. c. 23.* *S. Doroth. f. 9.*

madverso paulatim eò usque commeatum augeat, donec integras vires sentiat ad munus suum commodè obeundum. P. Nicolaus Lancizius scribit, à suo Magistro Novitiorum hanc regulam temperantiæ & sobrietatis præscriptam fuisse, ut tantùm quis comedat vel bibat, ut absoluto prandio vel cœna ad orationem se dispositum sentiat. Hinc & Tertullianus de moribus veterum Christianorum scribens ait: bibitur, quantùm pudicis est utile: ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem sibi DEUM adorandum esse. Et hoc est, quod etiam Angelus S. Pachomio in dictatis regulis præcepit: Concede unicuique, ut comedat & bibat pro viribus; neque jejunare prohibe, neque comedere; & meritò, nam, teste Clemente Alexandrino, periculosa sunt extrema, media autem bona sunt; medium autem est, quidquid non eget necessariis rebus. 3. Ut frequentes de Gula victorias reportare quis studeat. Hinc Apollonius laudatus ab Epicteto suasit: Si voles te tibi ipsi exercere, sitibundus magno æstu, accipe volas plenas aquâ frigidâ, eamque rursum expue, at id te facere nemini dixeris. Quod idem etiam in cibo factitandum.

Opusc. 2. n. 60. Tertull. in apol. c. 39. Pallad. in Lausiac. hist. c. 38. apud Lanciz. l. c. n. 31. Ibid.

## §. XI.

## CONCEPTUS PRÆDICABILES.

Luc. 6. v. 25. I. EX occasione thematis *Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis*: possunt effectus Gulæ per similitudinem Famis explicari. Et dici 1. quòd Gula accersat Famem *corporalem*, quia juxta Salomonem vacantes potibus, & dantes Symbola consumentur. 2. Famem *moralem*, scilicet avaritiam & cupidinem divitiarum, quibus parare possint delicias à Gula sua expetitas. 3. Famem *Spiritualem* cælestium consolationum: quia, ut suprà, ex S. Bernardo dictum, ubi curiosa diversitas ciborum pascit ventrem, cælestis panis jejunam deserit mentem. 4. Famem *panis Eucharistici allegorciam*: quia anima saturata calcabit favum, juxta Salomonem. 5. Famem *æternam* Beatitudinis, de qua Christus potissimùm in citato themate locutus est.

Prov. 23. v. 21. Prov. 27. v. 7.

Ps. 77. v. 31. II. Ex occasione thematis: *Adhuc esca erant in ore ipsorum, & ira DEI ascendit super eos*: potest explicari multiplex ira, quam Dominus erga Gulosos ostendit tum in veteri testamento erga Israëlitas ab igne devoratos (unde locus sepulchra concupiscentiæ vocatus est) Philistæos & Filios Job ruinæ domûs oppressos: Balthasarem Regem Babyloniorum (qui in pariete manum vidit hæc verba scribentem: Mane, Thecel, Phares) quæ omnia possunt pulchrè & ingeniosè in sensu morali explicari; Videatur Faber conc. 1. in Dom. 6. post Pentec.

Iud. 16. Iob. 1. Dan. 5.

Eccl. 37. v. 33. III. Ex occasione thematis: *Noli avidus esse in omni epulatione*: potest explicari varius excessus per Gulam committi solitus, eùmque in finem illud S. Gregorii afferri testimonium: Quinque nos modis Gulæ vitium tentat. 1. Aliquando namque indigentiæ tempora prævenit. 2. Aliquando cibos lautiores quærit. 3. Aliquando præparari accuratiùs præcipit. 4. Aliquando in ipsa quantitate sumendi mensuram moderatæ refectionis excedit. 5. Nonnunquam ipso æstu desiderii immensi deteriùs peccat. quæ omnia fusiùs explicata, passim apud Authores, præcipuè Fabrum conc. 2. in Dom. 6. post Pentec. videri possunt.

S. Greg. l. 30. mor. c. 26.

Prov. 21. v. 17. IV. Ex occasione thematis: *Qui diligit Epulas, in egestate erit*: potest explicari varia egestas, quam incurrunt Gulosi, nimirum 1. Egestas *Opum*: quam indicavit Diogenes Homini opulento ad pauperiem redacto, & olivis vescenti, dum eidem dixit: Si sic prandisses, non ita cœnares. 2. Egestas *Spiritûs*: quia non permanebit in homine Spiritus DEI, quoniam caro est. 3. Egestas *Virtutum & meritorum*: quia qui amat vinum & pingua, non ditabitur, id est, proficiet in virtutibus & meritis. 4. Egestas *famæ bonæ*: quia teste S. Chrysostomo, nihil ignominiosiùs est hoc vitio; & præterea de ventris ingluvie inepta lætitia, scurrilitas, immunditia multiloquium, hebetudo sensus juxta S. Gregorium propagantur, quæ omnia famam non leviter obscurant. 5. Egestas *consolationum cælestium*: nam quòd has non habemus, aut rariùs sentimus, nos in culpa sumus, in quit Thomas Kemp. quia compunctionem cordis non quærimus, nec vanas & externas consolationes omnino abjicimus. 6. Egestatem *Gloriæ æternæ*: quam cum Epulone amittunt, qui in hac vita degentes ducunt in bonis dies suos.

Gen. 6. v. 3. Prov. l. c. Thom. Kem. lib. 1. c. 21.

4. Reg. c. 25. v. 8. V. Ex occasione thematis: *Venit Nabuzardan Princeps Regis in Jerusalem, & succendit domum Domini*: potest dici, quòd septuaginta Interpretes istum Nabuzardan Principem coquorum dicant, unde S. Gregorius & alii per eum Gulam intelligunt, aiúntque: Muros Jerusalem coquorum Princeps destruit, quia virtutes animæ, dum non restringitur venter, perdit. Ostendatur ergo 1. Quomodo hic Princeps seu Gula 1. Succendat *igne libidinis* corpus; semper enim saturitati juncta est lascivia, teste S. Hieronimo. 2. *Igne concupiscentiæ*: nam ut S. Ephrem ait, qui corporis sui carnes delicatè nutrit: concupiscentias malas pascit. 3. *Igne furoris*: nam cui rixæ, cui foveæ, cui sine causa vulnera? inquit Salomon; nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis? 4. *Igne infernali*: uti dives Epulo expertus est.

S. Greg. l. 30. mor. c. 26. S. Ephr. tr. de tim. DEI. Prov. 23. v. 29.

Eccl. 37. v. 33. VI. Ex occasione thematis: *In multis escis erit infirmitas*: ostendatur, qualium morborum causa sit vitium Gulæ. 1. in *Corpore*, nempe Podagræ, Chiragræ, Cholicæ, Calculi, Hydropis,

dropis, Febris, &c. 2. In *Anima*: nempe *Superbia*, dum alios passim præ se contemnunt: *Avaritia*, dum plures semper appetunt divitias, ut pluribus deliciis frui queant: *Ira*, dum per vinum & epulas accenduntur, & quosvis adoriuntur. *Invidia*: dum aliis, qui ejusmodi deliciis fruuntur, quibus ipsi carere coguntur, invident talem sortem: *Luxuria*: Quia vicina sunt Venter & Genitalia, & pro membrorum ordine ordo vitiorum, teste S. Hieronymo; *Acedia*: Quia plenus venter uti non studet libenter, ita nec libenter orat. Ut adeò rectè dixerit S. Gregorius: Ex uno Gulæ vitio innumera vitiorum agmina ad animæ conflictum produci.

*Prov. 23. v. 20.* VII. Ex occasione thematis: *Noli esse in conviviis Potatorum*: Ostendi potest, quod Gulosis idem eveniat, quod Regi Balthasari contigit, qui vidit in pariete manum scribentem: *Dan. 5. v. 25.* Mane, Thecel, Phares. Ostendatur ergo 1. Quàm verè dicatur de Gulosis *Mane*, id est, numeravit DEUS regnum tuum, & complevit illud: verè enim talibus vita plerumque abbreviatur per multos annos. 2. *Thecel*, id est, appensus es in Statera, & inventus es minùs habens; quia verè tales habent minùs pecuniæ, minùs gratiæ, minùs virtutis, minùs bonorum operum, &c. 3. *Phares*, id est, divisum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis: Quia ejusmodi Gulosi relinquere debent possessiones suas aliis, qui in bona eorum succedunt, & fortè nunquam aut rarò de iis recogitant.

VIII. Ex occasione thematis: Ostendi potest, quomodo convivia Christianorum constituta *Prov. 23.* esse debeant. Nempe 1. Quòd à DEI laude inchoanda. 2. Culter in guttere statuendus *Exod. 18. Tob. 9.* ad moderationem servandam. 3. Cum timore coram DEO comedendum, ut Moyses & Aaron, Tobias & Amici fecerunt. 4. Moderatè gaudendum. 5. Sinceritas & concordia servanda. 6. Honestè & amicè colloquendum. 7. Ambitio de primatu loci tollenda. 8. Gratiæ agendæ, quæ omnia fusiùs apud Fabrum conc. 6. in Dom. 16. Pentec. explicata videri possunt.

*Osea. 13. v. 6.* IX. Ex occasione thematis: *Juxta pascua sua adimpleti sunt, & saturati sunt: elevaverunt cor suum, & obliti sunt mei*: possunt omnia ad hoc vitium pertinentia per sequentem descriptionem explicari. 1. Fingatur Arx rotunda in medio fertilis campi exstructa, & ex una parte hortis & agris, ex altera vineis cincta: ut ostendatur Gulam & cibos & potum inordinatè appetere, & hoc vitio omnes homines undique oppugnari, etiam perfectos. 2. Fingantur templa bina Dagoni & Baccho ædificata; hi enim Gulosorum sunt Dii. 3. Fingantur quatuor propugnacula, quorum unum Israëlitæ carnes appetentes, alterum filii Job, tertium Philistæi ruinâ domus oppressi, quartum Dives Epulo cum suis Filiis & amicis defendat. 4. Fingatur in circuitu fossam profundam habere, non aquâ, sed vino impletam, in qua submerguntur multi, qui ab Inquilinis & Duce hujus arcis superantur. 5. Fingatur oppugnari à Christo per quadraginta dies jejunante, & aliis ipsum in abstinentia sequentibus, quorum tessera militaris sit: *ne quid nimis*; *arma* & gladius verbum DEI, maximè illud: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod exit de ore DEI; nam gustato spiritu desipit omnis caro. Modus expugnandi congressus cum hoste excurrente (neque enim occasionem hujus vitii atque adeò prælium cum illo declinare possumus) præmium manna absconditum (juxta illud Apoc. Vincenti *Apoc. 2. v. 17.* dabo manna absconditum) & satietas æterna: juxta illud Psalmistæ: Satiabor, cùm apparue- *Ps. 16. v. 15.* rit gloria tua. Et: Inebriantur ubertate do- *Ps. 35. 9.* mus tuæ, & torrente voluptatis potabis eos.

## §. XII.

## MISCELLANEA.

### *Qualitas.*

I. Rectè quidam dixit: Venter quidem poscit, & appellat, sed tamen molestus *Fab. conc. 2. in Dom. 6 post Pent.* creditor non est, si illi das, quod debes, non quod potes.

II. S. Bernardus de Gulæ deditis dixit, eos *Ibid. conc. 1. n. 2.* aliud non facere, quàm ingerere, digerere, & egerere.

III. Dionysius Tyrannus cùm in Phiditiis *Cicer. 5. Tuscul.* Lacedæmoniorum (publicis & frugalibus conviviis) cœnâsset, negavit se jusculo nigro, quod cœnæ caput erat, delectari; tum is, qui cœnam coxerat, minimè, inquit, hoc mirum est, nam condimenta defuerunt; nimirum labor in venatu, sudor, cursus, fames, sitis &c. his enim condimentis Lacedæmoniorum epulæ condiuntur.

### *Damnum.*

IV. Quidquid avium volitat, quidquid piscium natat, quidquid ferarum discurrit, nostris *Senec 10. Rhet.* sepelitur ventribus; quære nunc, cur subitò moriamur? quia mortibus vivimus.

V. Abbas Moyses dixit: per has quatuor res *Vita. PP. l. 2. c. 4.* passio gignitur, per abundantiam escæ & potûs, per satietatem somni, per otium, & per ornatum vestium.

VI. Tam insalubre, quàm turpe est, plus *Senec. ep. 89.* sibi ingerere, quàm capiat, & stomachi sui non nôsse mensuram.

VII. Rectè cecinit nonnemo. *Faustus.*

Sint ignota licet magni Patrimonia Crœsi,
Immensæ absumunt alta barathra gulæ.

## §. XIII.

## AXIOMATA.

I. Ex magna cœna Stomacho fit maxima pœna, *Schola Salernit.*

 Ut

Ut sis nocte levis, sit tibi cœna brevis.

II. Pone gulæ metas, ut sit tibi longior ætas, Esse cupis sanus? sit tibi parca manus.

*Tympius in quæst. Sympos. V. cibum.* III. Plenus venter non studet libenter. Auff faisste und feuchte Haut kan man schwärtlich schreiben.

IV. Qui multùm vult comedere, comedat parùm. Wer wenig isset/ der isset lang.

*Florileg. p. 1.* V. Man soll die Füß nicht lang under dem Tisch halten/ das ist/ man soll wenig essen.

VI. Wenig essen und reden hat Niemand gereuet.

*Ibid.* VII. Multa tibi multos coacervant fercula morbos:

Ferre solent paucas fercula pauca cruces.

Vil Speiß vil Kranckheit.

*Ibid.* VIII. Auß einem kleinen Brunnen trinckt man sich auch satt. Natura paucis contenta est.

*Prov. 27. v. 7.* IX. Anima saturata calcabit favum: & anima esuriens amarum pro dulci sumet. Ein satter Bauch facht Hönig auch: Ein lärer Leib ißt all Speiß gleich.

*Eccl. 10. v. 16.* X. Væ tibi terra, cujus Principes manè comedunt. Qui manè comedit, vesperi dolet. Frühe Essen/ bringt Abend-Meß.

A V T H O R E S.

I. Joannes Busæus in Panario V. eodem.
II. Jacobus Alvarez to. 2. l. 1. part. c. 3. & 4.
III. Jacobus Canisius to. 4. de vit. capit. §. 7.
IV. Bernardinus Rosignolius lib. 2. de discipl. Relig. c. 10. & 11.
V. Ludovicus Granatensis in Duce Peccatorum l. 1. c. 8.
VI. Hieremias Drexelius in Niceta l. 1. c. 4. Item passim in Aloë.
VII. Jacobus Marchantius in Horto Past. Tubæ Sacerd. tr. 5.
VIII. Joannes Cassianus l. 5. de Institutis renunciat.
IX. Philippus D' Outreman in Pœdagogo Christiano. p. 1. c. 7. §. 6.
X. Nicolaus Lancizius. Opusc. 2. c. 2.
XI. Matthias Faber conc. 1. & 2. in Dom. 6. post Pentec.
XII. Thomas Stapletonus text. 3. in Dom. Sexag.

# T I T V L V S X.

# HÆRESIS.

## §. I.

## QUOAD ESSENTIAM.

### *Definitio.*

### I.



*Suar. Sanch. &* EST Voluntarius & pertinax error in materia Catholicæ Fidei contraria à Christiano commissus. Per hanc quippe definitionem facilè Judaismus, Paganismus, & Machometismus rejiciuntur. Dicta est à Græco verbo *αἱρέειν*, quod electionem significat, eò quòd quisque voluntariè ejusmodi falsam doctrinam contra dictamen rectæ rationis, stimulum conscientiæ, & Ecclesiæ dogmata eligat, & assumat. Describitur aptè in Apocalypsi sequentibus verbis: *Apoc. 17. v. 15.* Meretrix sedens super aquas, ornatu regio, plena nominibus blasphemiæ, super bestiam coccineam, habens poculum aureum in manu, sed plenum veneno, abominatione, immunditiâ, invitans potentes & populos ad bibendum.

### *Divisio.*

II. Dividitur in Formalem, quæ est culpabilis Hæreticæ doctrinæ; & *Materialem*, quâ inculpabiliter hæresi adhæretur.

### *Actus.*

III. Primus est, de aliquo Fidei articulo dubitare; cùm tamen quivis ex illis omnem dubitationis exclusionem mereatur.

IV. Secundus, Hæreticorum libros curiosè evolvere, sêque adeò in periculum errandi cum illis præcipitare.

V. Tertius, Hæreticorum colloquia, conciones & disputationes animo discendi ipsorum errores, eisque adhærendi frequentare.

VI. Quartus, errori Hæretico pertinaciter assentiri.

VII. Quintus, eundem etiam aliis persuadere velle.

VIII. Sextus, Catholica dogmata velut erronea impugnare.

IX. Septimus, pro defensione suæ hæresis varias adversitates pati, mortémque ipsam oppetere.

### *Gradus.*

X. Per quos juxta Jacobum Marchantium Hæretici in abyssum & perditionem descendunt, isti enumerantur. *Jacobus March. in horto Past. tract. l. prop. 2.*

XI. Curiositas legendi libros Hæreticos.

XII. Præsumptio judicandi de omnibus.

XIII. Pertinacia rebellis in sustinendo propriam opinionem.

XIV. Contemptus omnium, qui eis contradicunt.

XV. Cæcitas cum Superbia conjuncta.

XVI. DEI derelictio & quasi abnegatio per quendam Atheismum.

XVII. Abyssus peccati, dum de peccato in peccatum ruit Hæreticus.

XVIII. Desperatio juncta cum Conscientiæ tortura. XIX.

XIX. Mors miserabilis.
XX. Æterna damnatio.

### §. II.

## EX S. SCRIPTURA.

### *Qualitas.*

2. Timoth. 3. v. 1. & seq. I. HOc autem scito, quòd in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, & voluptatum, amatores magis, quàm DEI, habentes speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.

Rom. 16. v. 18. II. Hujuscemodi Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri, & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium.

2. Tim. 3. v. 9. III. Ex his sunt, qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis.

1. Io. 4. v. 5. IV. Ipsi de mundo sunt; ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit.

2. Tim. 3. v. 7. V. Semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes.

1. Tim. 6. v. 3. VI. Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis Sermonibus Domini nostri JESU Christi, & ei, quæ secundùm pietatem est, doctrinæ, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quæstiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate privati sunt, existimantium quæstum esse pietatem.

2. Cor. 11. VII. Ejusmodi Pseudo Apostoli sunt Operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi; & non est mirum, ipse enim Sathanas transfigurat se in Angelum lucis; non est ergo magnum, si Ministri ejus transfigurentur velut Ministri Justitiæ, quorum finis erit secundùm opera ipsorum.

1. Io. 2. v. 19. VIII. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum; sed ut manifesti sint, quoniam & non sunt ex nobis.

### *Fuga.*

Ad Tit. 3. v. 10. IX. Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita, sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est, & delinquit, cùm sit proprio judicio condemnatus.

Matth. 7. v. 15. X. Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces.

2. Io. 10. XI. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere in domum, nec ave ei dixeritis; qui enim dixit illi ave, communicat operibus ejus malignis.

1. Io. 4. v. 1. XII. Carissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate Spiritus, si ex DEO sint, quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum.

Philipp. 3. XIII. Videte canes, videte malos operarios.

v. 2. XIV. Si surrexerit in medio tui Prophetes, & dixerit tibi: Eamus, & sequamur Deos alienos, quos ignoras, & serviamus eis, non audies verba Prophetæ illius. Deut. 13. v. 1.

### *Damnum.*

XV. Sermo eorum ut cancer (seu gangræna) serpit. 2. Tim. 2. v. 17.

XVI. Impossibile est, eos, qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum DEI verbum, virtutésque seculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium DEI, & ostentui habentes. Hebr. 6. v. 4.

XVII. Væ illis, qui in via Cain abierunt. Primus autem Hæreticus Cain erat, ut qui providentiam DEI negavit juxta Chaldæam translationem apud Marchantium. Iuda. 11. v. Marchant. tr. 1. hort. Past. lect. 7.

### §. III.

## EX SS. PATRIBUS.

### *Qualitas.*

I. PEr verba legis legem impugnant, & fidem sine fide proclamant. S. Ambros. in comment. ad Tit. 3.

II. Persecutor Paganus apertè sævit ut Leo, Hæreticus insidiatur ut Draco. Ille cogit negare Christum, iste docet. Ille ingerit violentias, iste insidias. Adversus illum opus est patientiâ, adversus hunc opus est vigilantiâ. S. Aug. enarrat. in Ps. 39.

III. Olim prædictum est, & nunc tempus adimpletionis advenit: Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Amara priùs in nece Martyrum, amarior pòst in conflictu Hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum. Intestina & insanabilis est plaga Ecclesiæ, & ideo in pace amaritudo ejus amarissima. S. Bern. S. 33. in Cant.

IV. Qui sunt lupi rapaces, nisi Hæretici feri & rabidi, qui caulas Ecclesiæ semper infestant, & gregem Christi, quaquà possunt, dilacerant? Vincentius Lirin. in c. 10. Act.

V. Quisqvis es assertor novorum dogmatum, quæso te, ut parcas Romanis auribus, parcas Fidei, quæ Apostolico ore laudata est. Cur post annos quadringentos docere nos niteris quod antea nescivimus? Cur profers in medium, quod Petrus & Paulus edere noluerunt. S. Hieron. ad Pamach.

VI. Versatur in terra vestra sub vestimentis ovium lupus rapax. Sed ad Domini designationem à fructibus ejus cognoscamus eum. Basilicæ sine plebibus, plebes sine Sacerdote, Sacerdotes sine reverentia sunt, & sine Christo deinde Christiani: Ecclesiæ Synagogæ reputantur, Sanctuarium DEI sanctum esse negatur, Sacramenta non sacra censentur, dies festi festivis frustrantur solemniis, moriuntur homines in peccatis suis, rapiuntur animæ passim ad tribu- S. Bern. ep. 240.

tribunal tetrificum, heu nec pœnitentiâ reconciliatæ, nec S. communione munitæ.

*S. August. l. 3. contra Faustum c. 1.* VII. Hæretici instar perdicum congregant, quæ non pepererunt. Christianos enim, quos maximè Christi nomine seducunt, jam per ipsius Christi Evangelium natos inveniunt, & faciunt illos divitias suas, non sanè cum judicio, sed cum temeritate inconsiderata.

*S. August. l. 3. contra Faustum c. 1.* VIII. Ut fallaciùs incautis ovibus obrepant, lupinam deponunt speciem, & sese divinæ legis sententiis velut quibusdam vellenbus obvolvunt, ut, cùm quisque lanarum mollitiem præsenserit, nequaquam aculeos dentium pertimescat.

*Fuga.*

*S. August. in Ps. 30.* IX. Contradicunt linguæ multæ; diversæ hæreses, diversa schismata personant, linguæ multæ contradicunt veraci doctrinæ. Tu curre ad tabernaculum DEI, Ecclesiam Catholicam tene, à regula veritatis noli discedere, protegeris in tabernaculo à contradictione linguarum.

*S. Cypr. l. 1. ep. 3. ad Cornel.* X. Nulla, cum talibus commercia, nulla colloquia, nulla convivia misceantur, simúsque ab eis tam separati, quàm illi sunt ab Ecclesia profugi.

*Lucifer Ep. Calaritanus ad Constant. Imp.* XI. Quomodo potueramus nos, cùm simus servi Dei, vos verò servi Diaboli, in unum convenire? Quando sic inter nos, & vos separatum esse voluit DEUS? Quomodo inter lumen & tenebras, inter vitam & mortem, inter dulce & amarum? Quomodo inter sanctos Angelos DEI, qui sunt semper clementiam ejus magnificantes, & inter illos Apostatas, quos in æternum tecum visurus eris torqueri, nisi temet eripueris ab eis?

*Damnum.*

*S. Leo. ep. 93. c. 15.* XII. Quamvis sint in Hæreticorum scriptis quædam, quæ videantur eruditionis & pietatis speciem habere, nunquam tamen vacua sunt venenis.

*S. Greg. l. 5. mor. c. 11.* XIII. Miscent recta perversis, ut ostendendo bona Auditores ad se pertrahant; & exhibendo mala latenti peste corrumpant.

## §. IV.

## E X E M P L A.

*Fuga.*

*Sophron. in prato Spirit. c. 46.* I. B. Virgo aliquando cum S. Jo. Baptista, & S. Joanne Evang. Abbati Cyriaco apparens noluit, licet multùm ab eo rogata, cellam illius intrare, eò quòd duos Nestorii libros licet ignorans in cubiculo haberet.

*S. Irenæus l. 3. c. 4.* II. Apostoli, & horum discipuli, teste B. Irenæo, tantùm habuerunt timorem, ut neque verbo tenus communicarent alicui eorum qui adulteraverunt veritatem.

*Ib.* III. S. Joannes Apostolus volens lavari, cùm in balneo Corinthum vidisset, non lotus exivit, timens, ne balneum concideret.

*Ibid.* IV. S. Polycarpus Marcioni aliquando occurrens dicenti sibi: cognosce nos; respondit, cognosco te primogenitum Sathanæ.

*S. Athan. in vit.* V. S. Antonius Manichæos aliósque Hæreticos adeò aversabatur, ut omnibus diceret, ne juxta quidem eos esse accedendum. Unde & moriturus suis dicebat: Hæreticorum & Schismaticorum venena vitate, meúmque circa eos odium sectamini. Scitis ipsi, quòd nullus mihi nec pacificus quidem sermo cum eis unquam fuerit.

*S. Hilar. l. contra Aux.* VI. S. Hilarius de Auxentio scripsit: Mihi non erit aliud, quam Diabolus, quia Arrianus est.

*S. Hier. l. contra Pelag.* VII. S. Hieronymus de seipso fatebatur, quòd nunquam Hæreticis pepercerit, & omni egerit studio, ut hostes Ecclesiæ sui quoque hostes fierent.

*Evagrius in vit. PP. l. 5. §. 10.* VIII. Abbas Agathon cùm omnia de se alia vitia spargi æquo animo pateretur, uti autem audivit, quòd etiam Hæreticus vocaretur, graviter indignabatur, causámque rogatus respondit: Crimina alia infirmitatis sunt, & hominem adhuc DEO per Fidem unitum relinquunt; hæresis verò est pertinaciæ & notæ malitiæ, quæ omni modo nos à DEO divellit, tollens fidem, DEO nos primo quasi vinculo unientem & ligantem.

*Sophron. in prato Spir. c. 40.* IX. Abbas Cosmas cùm juxta sepulchrum Episcopi hæretici sepultus fuisset, pluribus noctibus clamare auditus est: Noli me tangere Hæretice, noli mihi appropinquare inimice Ecclesiæ sanctæ DEI.

*Florim. Remond. to. l. 7. c. 5.* X. Franciscus I. Galliarum Rex dicere solebat ad suos: Si ego membrum aliquod meum hæresi infectum scirem, non illud tantùm vobis abscindendum darem, sed si quem ex liberis etiam meis eâdem notâ correptum adverterem, eum ipse manu mea consecrare non dubitarem.

*Qualitas.*

*Marchant. tr. 1. hort. Past. lect. 7. prop. 3.* XI. Primus Hæreticus juxta Marchantium Cain fuit, unde Apostolus Judas dicit: Væ illis, qui in via Cain abierunt; illi autem juxta S. Thomam in viam Cain abierunt, qui gladio perversæ doctrinæ Fratres suos interficiunt.

*Balt. Chavass. l. 4. de votis fid. c. 2.* XII. In Urbe Metis cùm Nobilis Catholicus advertisset, se Judices Hæreticos nulla ratione ad sententiam pro se ferendam adducere posse, finxit se ipsorum Fidem amplexurum. Quo pacto cùm paulò post sententia pro ipso lata esset, jam habeo, dixit, quod volo: abite in malam crucem cum vestra abortiva religione. Nónne superioribus mensibus eadem causæ meæ æquitas fuit?

*Damnum.*

*Costerus in Dom. Sex.* XIII. Bernardus Ochinus, cùm Episcopatu Florentino & Cardinalatu frustratus, Genevæ ad Calvinistas transiisset, & postea in morte à Catholicis ad reditum incitaretur, respondit: Quid me vultis facere? Uxorem & liberos abjicere

jicere non possum. Hæ causæ erunt meæ damnationis.

*Sophron. in prato Spir. c. 26.* XIV. Cùm B. Cyriacus Nestorianum Monachum DEO commendaret, circa nonam sequentis diei vidit Fratet, qui erat in spelunca, quendam aspectu terribilem astare & dicere: Veni, & vide veritatem. Tum in locum tenebrosum ducere, ubi inter fœtidos ignes Nestorium, Eutychetem, Apollinarem, Dioscorum, Severum, Originem & alios cùm ostendisset, dixit illi: En locus iste pro Hæreticis paratus est.

*Dauroltius in Catech. hist. c. 3. tit. 18. n. 6.* XV. In Civitate Lombardiæ cùm Hæreticus quidam ignotus in Hospitali graviter ægrotans ad viaticum sumendum admoneretur, & graves in SS. Sacramentum blasphemias effutiret, catus domesticus mansuetissimus in eum irruit, gutturque ac labia illius unguibus laceravit; quod cùm altera vice faceret, tandemque, ne omnino eum perimeret, abstractus esset, Hæretico paulò pòst inter blasphemias defuncto, & extra Civitatem sepulto, emissus è cavea cucurrit ad sepulchrum, & tamdiu conatus est illum effodere, quoad labori immortuus est.

*Ibid. tit. 19. n. 7.* XVI. Wenceslaus duodecimus Bohemiæ Rex, quia falsâ politici status ratione delusus, Hæreticis liberam agendi potestatem concesserat, gravissimis subditorum dissensionibus vexatus, & cum arma corripuisset, à suis turpiter desertus vitam & regnum amisit.

## §. V.

## EXEMPLA DOMESTICA.

*Vita l. 5. c. 10.* I. Signatius valde cavebat, ne suis aliquid subreperet, quod candorem Fidei quoquo modo inquinaret, & peregrinis opinionibus inficeret, unde metuens, ne id per necessitiam Hebraicæ linguæ cognitionem eveniret, statuit, ut nostri vulgatam editionem mordicus tuerentur, quod & in Concilio Tridentino posteà decretum fuit. Eundem in finem saluberrimas quoque regulas conscripsit, ut cum Ecclesia sentiamus, observandas.

*Vita l. 2. c. 21.* II P Petrus Faber ita aversabatur Hæreticos, ut nollet eos etiam rectè docentes audiri, ant ad eorum voluntatem aliquid in Ecclesia ad meliorum formam revocari; sicut enim, ajebat, Dæmones vera interdum, sed non ex veritatis spiritu confitentur, ita Hæreticos multa interdum bona præcipere, sed ea, quoniam simili veritatis tuendæ spiritu non præcipiuntur, minimè grata esse DEO.

## §. VI.

## SIMILITUDINES.

### *Qualitas.*

*Marchant. l. tr. 3. lect. 7. propos. 3.* I. Sicut folles interdum necessarij sunt; ut ignis sopitus suscitetur; ita, ste Apostolo, oportet Hæreses esse, ut & probati manifesti fiant, & non probatorum fervor & incredulitas excitetur. *1. Cor. 11. v. 19.*

*D. Irenæus adversus Hær.* II. Sicut is meritò stultus crederetur, qui ex aurea Regis imagine liquefactâ canis imaginem formaret, Regisque diceret formam repræsentare, eò quòd antiquum aurum esset; ita Hæretici quoque ineptè agere censendi sunt, dum suas doctrinas Scripturæ conformes dicunt, eo quòd ad easdem tuendas Sententiis è S. Scriptura penitus abutantur.

*Ibid.* III. Sicut lupi famelici unâ oviculâ comprehensâ, eam ita lacerant, ut nullum ejus membrum intactum relinquant; sic Hæretici hodie omnia dogmata Ecclesiæ convellare & labefactare conantur.

*S. Basil. de vera Virg.* IV. Sicut per creaturas visibiles, per quas homines DEUM agnoscere debebant, Diabolus Gentiles ignorare fecit DEUM; ita, unde oportebat Christum agnoscere, scilicet ex Scripturis Sacris, Christi ignorationem introducere conatus est, hæreticas intelligentias callidè ingerendo.

*Origenes in c. 14. ep. ad Rom.* V. Sicut Piratæ in occultis scopulis maris lumen accendunt, ut navigantes ad naufragia perditionis sub spe salutis obtinendæ perducant; ita Hæretici lumen falsæ doctrinæ ostendunt, ut salutis suæ cupidos sub hac luminis specie ad fidei & salutis naufragium pertrahant.

*Staplet. l. supra cit.* VI. Sicut Aucupes frondem mortuam visco illitam, & aves mortuas velut vivas in ramis collocatas circumferunt, ut aves advolantes irretitas capiant; ita Hæretici literam S. Scripturæ, quæ occidit, falso sensu velut Visco illinunt & proponunt, ut simplices homines ad verbum DEI avidè advolantes perimant.

*Clemens Alex. l. 7. Strom.* VII. Sicut improbi Pueri Pædagogum excludunt; ita Hæretici arcent Prophetas à sua Ecclesia, ne ab iisdem de falsis doctrinis arguantur.

*S. Chrysost. ho. 19 op. imperf.* VIII. Sicut simia omnia hominis habet membra, nec tamen homo est; ita Hæresis licet omnia Ecclesiæ mysteria imitetur, non tamen propterea ea vera Ecclesiæ sunt mysteria.

*S. Hier. in epist. ad Cypr.* IX. Sicut tela araneæ muscas quidem & alia parva animalia capere potest, à fortioribus autem rumpitur; ita Hæretici simplices quidem doctrinis suis decipere, non autem robustioribus in Fide nocere possunt.

*Idem in c. 1 Isaia.* X. Sicut Caupones, ut austerum vinum mitigent, gustuque gratius efficiant, aquâ corrumpunt; ita Hæretici austeritatem S. Scripturæ suo sensu corrumpunt, ut cum majori delectatione quidem, sed non perinde fructu ab Auditoribus hauriatur.

*S. Ambr. l. 1. de. fide.* XI. Sicut Hydra, licet sæpius recisa semper, repullulavit, auctiorque evasit; ita Hæreses, quò vehementiùs excindere eas Catholici Doctores studuerunt, tantò majus incrementum sumpserunt.

*S. Aug. de decem plag. c. 2.* XII. Sicut inter plagas Ægyptiacas etiam ranæ in paludibus habitantes & in domos prorepentes fuerunt; ita DEUS Christianos per Hæreticos velut ranos loquaces, strepidum vocum, sed non veritatem doctri-

doctrinæ habentes, tædiúmque auribus, non cibos mentibus afferentes affligit.

*Rupertus l.2.in Sophoniam.* XIII. Sicut Moab & Filij Ammon de consanguinitate Abrahæ descenderunt, & tamen genus Abrahæ semper oderunt; ita Hæretici in Christum quidem se credere dicunt, & tamen Christianorum Catholicam fidem subvertere conantur.

*Augustinus in c.11. Deuter.* XIV. Sicut Dathan & Abiron sub specie pietatis, Moysi principatum adimere conabantur; ita Hæretici sub prætextu religionis reformandæ legitimam Pontificum successionem & potestatem evertere moliuntur.

*Damnum.*

*Irenæus in prol.l.4.* XV. Sicut Evam decepit serpens promittendo, quod non habebat; sic Hæretici prætendentes majorem agnitionem in mortem demergunt sibi credentes.

*S. Epiph. hær.34. contra Manich.* XVI. Sicut Dipsas venenatus serpens aquam, quam in rivulis haurit, veneno inficit, ut bestias pariter ex ea bibentes intolerabili siti accendat, & tandem omnino perimat; ita Hæretici, dum S. Scripturas velut fontes veritatis, veneno suæ falsæ doctrinæ corrumpunt, maximam quidem Verbi divini orexin excitant, sed per eandem certum animæ interitum creant.

*S.Chrys. ho. 46.op. imperf.* XVII. Sicut membrum à corpore præcisum vivere non potest, nec ramus ab arbore separatus virescere; sic omnes Hæretici ab Ecclesia sejuncti, nec vitam gratiæ, nec viriditatem veræ Virtutis habere possunt.

*Idem ho.1. in c.1.Timoth.* XVIII. Sicut is, qui naufragium facit, nudus & omnibus rebus destitutus evadit; ita qui fide exciderit, nihil jam habet, ubi figatur, aut ubi seipsum recipiat.

*Idem l.3.in c.5.Gal.* XIX. Sicut scintilla res parva est, & tamen, ubi fomitem comprehenderit, Urbes & regiones integras consumit; ita Hæretica doctrina, licet in speciem exigua, integras Provincias pervadit, & accendit.

*Staplet. th.2. in Dom.7.post Pent.* XX. Sicut spina, ex quacunque parte illam aspexeris, aculeos habet, & pungit; ita Hæreses ex omni parte fodicant & lædunt, nec nisi venenata sub iis animalia latent.

*S Gregor. Nazianz. l.de fide.* XXI. Sicut lethale poculum mellis dulcedine temperatum suavitate fallente perimere solet; sic & Hæresis per blandimenta aurium audientium sensus quâdam labe contaminans, contagione adhærentes inficit.

*March.tr. 1.lect.6. prop.2.* XXII. Sicut corpora gravia in centro non gravidant; ita eùm Hæresis ad profundum pertinaciæ venerit, gravare conscientiam cessat.

*Idem prop. 3.* XXIII. Sicut pestis, ubi semel intraverit, serpendo semper crescit, & difficulter expellitur; ita Hæreses, ubi invaluerint, semper ulterius serpunt, nec nisi per summam violentiam, aut auxilium speciale DEI extirpantur.

*Ibid.* XXIV. Sicut Camelus non solet bibere, nisi turbet aquam; ita nec Hæresis ingredi, nisi turbet Rempublicam.

XXV. Sicut Navitæ, si navim dirigant secundùm stellas erraticas, in certum aberrandi à vera via periculum se conjiciunt; ita qui hæreticas sequuntur doctrinas, non possunt non cum ipsis errare. *Ibid.prop. 5.*

## §. VII.

## MOTIVA.

I. Quia Hæresis *gravissimum est vitium*: Nam ipsam destruit Fidem, quæ est primum inter dona DEI, & fundamentum cæterorum; unde hoc unicè laborat Diabolus, ut fundamentum hoc destruat, eúmque in finem socios suos illis Psalmistæ verbis excitat: Exinanite usque ad fundamentum in ea. *Ps.136. v.7.*

II. Quia *pestiferum* est vitium, & *hæreditarium* sicut lepra & pestis; unde sicut peste correpti ab aliis separantur, & leprosi extra Urbes habitare coguntur; ita idem de Hæreticis sentiendum est. *Marchant. tr.1. lect.6. prop.3.*

III. Quia *perniciosissimum* est vitium: utpote quod est seminarium omnis discordiæ & rebellionis, dum Religionem velut fundamentum stabilitatis tollit, & subditorum eum capite consensum & unionem convellit. *Ibid.*

IV. Quia *miserrimum* & *tristissimum* est vitium: eò quòd cæcitas animæ sit, atque adeò Hæreticus lumine veræ Fidei destitutus meritò cum S. Tobia exclamet: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video? *Tob.5.v.12.*

V. Quia *stultissimum* est vitium: Quæ enim major stultitia excogitari poterit, quàm supremæ veracitati assensum negare, & doctrinam ab homine fallaci, scelesto, & ignorante traditam amplecti?

VI. Quia *periculosissimum* est vitium: quoniam sine fide impossibile est placere DEO; atque adeò eerto exinj æterni discriminis se committit, qui hæresin aliquam voluntariè amplectitur. *Hebr.11. v.6.*

VII. Quia vitium hoc *difficillimum curatu* est: nam, ut S. Paulus ait, impossibile est, eos, qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum cæleste, participes facti Spiritus sancti & prolapsi sunt, rursum revocari ad pœnitentiam. Hinc idem Apostolus de talibus dicit, quòd *cauteriatam* habeant conscientiam, quæ perinde ut caro cauterio inusta sensum amisit. *Hebr.6. v.4. 1.Tim.4. v.2.*

## §. VIII.

## MEDIA.

I. *Superbiam velut radicem Hæresis tollere*: nam, teste S. Augustino, diversis locis sunt quidem diversæ hæreses, sed una mater superbia omnes genuit, sicut una mater noster Catholica Ecclesia omnes Christianos Fideles toto orbe diffusos. *S. August. l.de Past. c.8.*

II. *Ceremonias Catholicas magni facere*: Quia quod sal præstat carnibus, vagina gladio, cortex arbori, & folia fructibus, *Busæus in pan. V. eod.*

hoc

hoc cæremoniæ Religioni Catholicæ; non enim solùm sunt Symbola militaria, quibus castra Sanctorum ab agminibus Dæmoniorum, & Religio vera à falsa discernitur, sed etiam fovent, nutriunt, augent illam, atque confirmant.

*1. Tim. 2. v. 16.* III. *Colloquia & commercia Hæreticorum sollicitè devitare*: Sic enim S. Paulus monuit dicens: Profana & inaniloquia devita: multùm enim proficiunt ad impietatem, & sermo ut cancer serpit. Super quæ verba Vincentius Lyrinensis, devita, ait, quasi Viperam, quasi Scorpionem, quasi Basiliscum, ne te non solùm tactu, sed etiam visu afflatúque percutiant. Quid est profana? Quæ nihil habent sacri, nihil Religiosi, ab Ecclesiæ penetralibus, quæ est templum DEI, penitùs extranea.

*Isaias Abb. or. 4.* IV. *A lectione librorum Hæreticorum abstinere*: Sic Abbas Isajas suasit suis Monachis: Si librum inveneris, qui dicatur esse Hæreticorum, cave illum legas, ne veneno mortifero cor tuum impleat, sed in ea doctrina, quam in Ecclesia sancta didicisti, ita persiste, ut ei nihil addas, nihil detrahas.

*S. August. l. de util. cred. c. 8.* V. *Frequenter à DEO lumen petere, & oratione se contra Hæreses armare*: ita S. Augustinus propriâ experientiâ doctus suasit dicens: restabat autem aliud nihil in tantis periculis, quàm ut divinam Providentiam lacrymosis & miserabilibus vocibus, ut opem mihi ferret, deprecarer; atque id sedulò faciebam.

## §. IX.

## ASCETICA.

I. Quatuor ferè sunt, quæ Asceta de hoc vitio præcipuè nôsse debet. Primum est, ut, causas, ob quas DEUS Hæreses permittit, bene cognoscat, ne nimium ob earum exortum perturbatur; eæ autem sunt tres potissimum. 1. In pœnam & punitionem peccatorum nostrorum, sicut maledicta est terra propter peccatum Adæ, ut spinas & tribulos germinaret.

*2. Thess. 2. v. 10.* Unde Apostolus ait: Caritatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideo mittet illis DEUS operationem erroris, ut credant mendacio. 2. Ad excitationem torporis in Sacræ Scripturæ studio, & veritatis illustrationem:

*S. August. l. super Gen.* nam, ut rectè S. Augustinus advertit, ab Adversario mota quæstio discendi existit occasio: Multa quippe ad fidem Catholicam pertinentia, dum Hæreticorum callidâ inquietudine exagitantur, ut adversus eos defendi possint, & considerantur diligentiùs, & intelliguntur

*1. Cor. 11. v. 19.* clariùs, & prædicantur instantiùs. 3. Ut probati manifesti fiant, quemadmodum S. Paulus loquitur.

*Vincent. Lyrin. in comm. c. 3.* II. Alterum est, ut veram regulam teneat, ex qua Hæreses cognoscere & refutare possit; talis autem est, teste Vincentio Lyrinensi, si universitatem, antiquitatem, & consensionem, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia.



Antiquitatem verò, si ab his nullatenus recedamus sensibus, quos sanctos majores ac Patres nostros celebrâsse manifestum est. Consensionem denique, si in ipsa vetustate omnium, vel penè omnium Sacerdotum pariter & Magistrorum definitiones, sententiásque sectemur.

III. Tertium est, ut solidum modum tenear, securè & efficaciter concertandi, ubi opus est, cum Hæreticis, quem quidem bene Tertullianus assignâsse videtur, dum dixit: Non ad Scripturas provocandum est, nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est; nam etsi non ita evaderet collatio Scripturarum, ut utramque partem parem sisteret, ordo rerum desiderabat illud priùs proponi, quod nunc solùm disputandum est, quibus competat fides ipsa, cujus sint Scripturæ; à quo, & per quos, & quando, & quibus sit tradita disciplina, quâ fiunt Christiani. Ubi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ & fidei Christianæ, illic erit veritas Scripturarum, & expositionum, & traditionum omnium Christianarum. *Tertullian. l. de præsc. c. 19.*

IV. Quartum est, ut etiam modum efficacem convertendi Hæreticos nôrit, qui quidem in tribus præcipuè industriis consistit. 1. Ut ad petendum à DEO lumen eos instiget; sicut enim cæcitas corporalis non nisi extraordinariâ DEI virtute tollitur, ita & mentalis hæc occæcatio non nisi per specialem DEI favorem gratiámque curatur. 2. Ut ad bonorum operum frequens exercitium eosdem animet; nam, ut bene S. Chrysostomus advertit, sicut sole manente non prævalet nox; cùm autem accesserit ad occasum, tunc occupat mundum; sic quamdiu lumen Justitiæ in homine fuerit, tenebræ erroris eum non apprehendunt; secùs verò si illud ablatum fuerit, quia non error generat peccata, sed peccata errorem. 3. Ut falsitatem & malam cohærentiam doctrinarum hæreticarum ostendere conetur; & sicut Samson Vulpes caudis alligatas & accensas in hostium messem immisit; ita & ipse Asceta adversantes sibi Hæreticorum doctrinas in caudâ, id est, cohærentiâ colliget, seu falsas ostendat, ac in ipsos Adversarios retorqueat. *S. Chrys. ho. 19. oper. imp.*

## X.

## CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. Ex occasione thematis: *Hi sunt nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur. &c.* explicari possunt proprietates Hæreticorum, videlicet 1. Quòd sint *Nubes sine aqua*, id est Doctores sine vera sapientia, quæ proinde à vento circumferuntur, seu ad suggestionem Spirituum immundorum in diversos errores rapiuntur. 2. *Arbores autumnales & infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ*: Quia sicut arbores quædam in Autumno fructus immaturos, speciem, sed non substantiam pomi habentes producunt, mortemque corporis & *Judæ 12.*

animæ, gratiæ & gloriæ, temporalem & æternam incurrunt, ideóque etiam ex horto Ecclesiæ sunt eradicati, quia nec meritorum, nec suffragiorum participes. 3. *Fluctus feri maris despumantes confusiones suas:* Quia sicut fluctus maris sunt inquieti, tumidi, amari tenebrosi, Ecclesiæque stabilitatem impugnantes; & quia sicut mare primo motu fluctuat, postea ululat, & finaliter spumat; ita ipsi primò fluctuant in fide, postea fremunt per blasphemias & tandem per furorem spumant contra Ecclesiam. 4. *Sidera errantia:* Quia licet lucem aliquam veritatis ostendant, ea tamen nulli stabili fundamento innititur. Quæ omnia breviùs complexus est D. Thomas, dum dixit: Comparantur nubibus propter fidei instabilitatem, arboribus propter operum sterilitatem, fluctibus propter eorum turbationem, sideribus errantibus propter doctrinæ falsitatem.

Matth. 23. v. 33. II. Ex occasione thematis: *Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis a ventura ira?* Possunt serpentibus comparari Hæretici 1. Quia sicut serpentes sunt prudentes in malo, & stulti in bono. 2. Quia sicut serpentes varij sunt in corpore, ita ipsi varij in erroribus. 3. Quia sicut serpentes repunt, super ventrem; ita ipsi omnia propter ventrem faciunt, & propter vanam gloriam pectoris sui. 4. Quia sicut serpentes terram manducant; ita illi non nisi homines terrestres & carnales capiunt perfidiâ suâ. 5. Quia sicut serpentes, ut nascantur, rumpunt viscera Matris; ita illi rumpentes fidem Matris Ecclesiæ ad Principatum processerunt. 6. Quia sicut serpentes Evam, & per hanc Adamum sciendi & regendi inordinata cupidine decepit, totique generi humano graviter nocuit; ita illi simili medio incautos & simplices homines, optimque & honorum cupidos decipiunt, graveq; toti Ecclesiæ damnum inferunt. 7. Quia serpens propter hanc deceptionem à DEO maledictus est, perpetuáque inter ipsum, & mulierem deceptam inimicitia constituta est; ita similis pœna & maledictio Hæreticos manet. Vide S. Chrysost. hom. 45. operis imperfecti.

Cant. 2. v. 15. III. Ex occasione thematis: *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas:* Comparari possunt Hæretici vulpibus. 1. Propter *fraudulentiam*, quâ sicut Vulpes Galinis, ita ipsi animabus insidiantur. 2. Propter *feritatem:* Quia sicut vulpes non mansuescit facilè; ita nec Hæretici ad mansuetudinem Christianam assumendam facilè adducuntur. 3. Propter *inutilitatem:* Quia sicut vulpes ad nihil utilis est, ita nec Hæretici. 4. Propter *damnum* Ecclesiæ illatum, quam velut vineam florescentem demoliuntur. Imò & Diabolus Samsonis factum imitatus eos communi & concordi odio in Ecclesiam colligatos & accensos in ejusdem Ecclesiæ messem immitit, ac electum triticum pro viribus destruit; quo tamen igne ipsimet sibi quoq; graviter nocent, exitiúmque sempiternum creant. Vide S. Ambros. l. 2. in Luc. c. 6.

IV. Ex occasione thematis: *Sicut Lilium inter spinas, sic amica mea inter Filias:* Potest Cant. 2. v. 2.
Ecclesia Lilio ob *candorem*, innocentiæ, *fragrantiam* boni exempli, & *puritatem* doctrinæ comparari. Hæretici verò spinis propter *sterilitatem*, utpote qui bonorum operum necessitatem negantes, ea omnia peccatum esse asserunt: propter *effectus malos*, quos spinis similes producunt, nam pungunt maledictis, vulnerant doctrinis, prætereuntes spoliant bonis spiritualibus & temporalibus, & sicut spinæ non facilè excutiuntur ab iis, quos implicârunt: propter *latentes hospites*, quia sicut sub spinis se detinent venenati serpentes, ita sub Hæreticis serpens infernalis, qui primos parentes decepit: & denique propter *similitudinem exitus*, quia sicut spinæ igne concremantur, ita Hæretici flammis sempiternis destinantur. Vide Fabrum conc. 9. in Dom. 7. post Pentec.

V. Ex occasione thematis: *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos, in vestimentis* Matth. 7. v. 15.
*Ovium; intrinsecus autem sunt lupi rapaces:* Possunt Hæretici lupis comparari ob sequentes causas. 1. Quia sicut lupi insidiantur ovibus Christi, & fremunt circa caulas nocturno magis tempore, quàm diurno. 2. Quia sicut lupi, licet versentur circa caulas, stabula tamen, id est, Ecclesiam, in quâ oves clauduntur, intrare non audent. 3. Quia sicut lupi explorant Pastoris absentiam, & ideo Pastores Ecclesiarum vel necare, vel in exilium agere contendunt, eò quod illis præsentibus oves Christi incursare non possint. 4. Quia sicut lupi mentis intentione duri ac rigidi nequaquam solent à suo errore deflectere. 5. Quia sicut lupi si quem versuta mentis suæ circumscriptione prævenerint, obmutescere faciunt: si autem commenta impietatis eorum agnoveris, jacturam piæ vocis timere non poteris. 6. Quia sicut lupi animam petunt, guttur invadunt, vitalibus vulnus affligunt. 7. Quia sicut lupi vestitum ovis habent, facta Prædonis: foris oves, intus lupi. 8. Quia sicut lupi ululant, & sermone sacrilego bestiale murmur interstrepunt. Quæ omnia ex S. Ambrosio l. 7. in c. 10. Luc. desumpta vide fusiùs explicata apud Fabrum conc. 9. in Dom. 7. post Pentec.

VI. Ex occasione thematis: *A fructibus* Matth. 7.
*eorum cognoscetis eos:* possunt explicari pessimi v. 16.
fructus Hæresum. Scilicet 1. *Cæcitas & errores:* Utpote de quibus meritò Christus dixit: Cæci sunt & duces cæcorum. 2. *Impietas* per Religionis veræ exterminationem, S. Scripturæ depravationem, Sacrorum profanationem, Traditionum Apostolicarum expulsionem, SS. Patrum contemptum, odium Papæ, Rebellionem Subditorum excitatam, persecutionem Ecclesiæ & Catholicorum demonstrata. 3. *Morum corruptela* per libertatem carnis, bonorum operum extirpationem, veteris confidentiæ & sinceritatis exilium, odium Ecclesiasticorum, oppressionem Catholicorum, insidias & machinationes contra Principes introducta. Quæ vide-

videri possunt fusiùs diducta apud Fabrum conc. 8. in Dom. 7. post Pentec.

*Io. 10. v. 1.* VII. Ex occasione thematis: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est & Latro:* possunt explicari foramina, per quæ Hæretici intrare solent, ut pro viribus obstruantur. Primum itaque foramen fuit *dissoluta vita Clericorum.* Secundū *Ruditas & inscitia Pastorum.* Tertium *Prælatorum Oscitantia & Somnolentia.* Quintum *morum corruptio:* de quibus vide fusiùs differentem Fabrum conc. 5. in Fer. 3. Pent. Alio modo potest idem thema tractari explicando Origines Hæresum, scilicet curiositas examinandi articulos Fidei, libido contradicendi, Arrogantia, Avaritia, Ambitio, Luxuria, de quibus fusè discurrit idem Fab. conc. 8. in Dom. 1. Quadrag.

VIII. Ex occasione thematis: *Sinite utraque crescere usque ad messem:* possunt Hæretici Zizaniis comparari, & afferri rationes, cur permittantur Hæreses, nempe 1. Ad probationem Justorum. 2. Ad Ecclesiæ purgationem. 3. Ad scripturæ Sacræ illustrationem 4. Ad Fidelium correctionem & augmentum. 5. Ad pœnam Peccatorum. Quas rationes fusiùs probat Faber conc. 5. Dom. 5. post Epiph.

*Matt. 16. v. 6.* IX. Ex occasione thematis: *Cavete à fermento Pharisæorum:* possunt Hæreses fermento ob celerem earum propagationem comparari, & causæ hujus tam festinatæ propagationis afferri, nempe 1. Doctrinæ suavitas & plausibilitas. 2. Vita Christianorum dissoluta. 3. Innata Hæresum fœcunditas. 4. Inquietudo & Zelus Hæresiarcharum. 5. Eorundem fraudulentia. 6. Violentia illorum, uti fusiùs Faber conc. 5. in Dom. 6. post Epiph. ostendit.

*Luc. 15. v. 8.* X. Ex occasione thematis: *Accendit Lucernam, & everrit domum, & quærit diligenter, donec inveniat eam:* possunt afferri variæ motiva, quæ Hæreticos persuadere deberent ad hæresin suam relinquendam; quorum Primum est *Commotitio DEI* per varia omnia futuræ in Ecclesia perturbationis. Secundum *Ordines Sacri* à fundamentis erecti, & Hæresiarchis oppositi. Tertium *Censura* gravissimorum & doctissimorum virorum in Hæreticos latæ. Quartū *Confusio & divisio Hæreticorum.* Quintum *Turpissima vita & mors ignobilis Hæresiarcharum*, ex quibus velut fructibus eorum qualitas cognoscitur. Sextum *Victoria* à Catholicis contra Hæreticos obtentæ. Quæ omnia fusè explicat Faber. conc. 8. in Dom. 3. post Pent.

*Luc. 11. v. 11.* XI. Ex occasione thematis: *Quis ex vobis Patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi?* potest explicari falsitas, & pernicies Hæreticæ doctrinæ. 1. Quia pro *pro pane dat lapidem*, id est, pro vero Corpore Christi naturalem panem. 2. Quia *pro pisce dat* serpentem, id est, pro vera remissione peccatorum offerunt fiduciam noxiam & mortiferam. 3. Quia *pro ovo dant Scorpionem*, id est, pro vero DEI verbo multipliciter corruptum; ut pluribus demonstrat Faber conc. 7. in Fer. Rogat.

XII. Ex occasione thematis: *Confundamus linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui:* Possunt Hæretici ædificatoribus Turris Babel comparari. 1. Propter *vanitatem intentionis:* Quia falsò putaverunt, fore ut suum ædificium ad cœlos usque pertingat. 2. Propter *vanitatem laboris:* Quia ab opere suo desistere sunt coacti. 3. Propter *vanitatem exitûs:* Quia per divisionem linguarum audire seipsos mutuò noluerunt. Quæ omnia facilè ex hucusque dictis amplificari possunt. *Gen. 11. v. 7.*

XIII. Ex occasione thematis: *& portæ inferi non prævalebunt adversus eam:* possunt proponi & refutari objectiones potiores Hæreticorum contra nostram fidem, nempe 1. Quòd Christo sit injuriosa. 2. Idololatrica. 3. Prædatrix Calicis (ein Kelch-Diebischer) 4. Vero DEI Verbo carens (Schrifftlos) 5. Rigorosa nimis; quæ omnia vide fusiùs refutata tum apud Fabrum conc. 7. in Dom. 17. post Pent. tum apud Christ. Pflaumerum & alios.

## §. XI.

## MISCELLANEA.

### *Qualitas.*

I. S. Augustinus rectè Hæreticos limacibus comparat, qui, dum vivunt, mordent, mortui autem fœtent. *S. August. l. 4. in Ioan. c. 9.*

II. Breviter, sed benè Hæresin descripsit Poëta, qui cecinit: *Apud March. tr. 1. lect. 6. prop. 3.*

Quàque ruit, furibunda ruit, totúmque per orbem,
Fulminat, & cæcis cæca triumphat equis.

III. Contingit Hæreticis idem ferè, quod Ezechieli, qui vidit aquas egredientes, qux ipsi ab initio usque ad talos, dein usque ad genua, & postea usque ad renes pertingebant, ultimò autem factæ sunt torrenti. Sic enim dum judicio proprio confisi, penetrare volunt divina mysteria, quò ampliùs progediuntur, eò majori periculo fiunt obnoxij, & denique omnino submerguntur. *Ezech. 47.*

IV. S. Ambrosius ait noctuam Hæreticorum esse Symbolum, quia tenebras amplectuntur Diaboli, & lucem Salvatoris horrescunt, ac grandibus disputationum oculis cernunt vana non respiciunt sempiterna. Et præterea ut avis mali augurij est noctua, ita illi quoque omnia infausta sibi & aliis annuntiantes, æternùm quondam in tenebris ululabunt, ut meritò illis applicari possit illud Ovidij: *S. Ambr. l. 43.*

Fœdáque fit volucris venturi nuntia luctûs,
Ignavus Bubo, dirum mortalibus omen.

V. Fructus Hæresis Lutheranæ non malè expressit vernaculus ille Poëta, qui cecinit. *Fab. conc. 8. in Dom. 7. post. Pent.*

Das Land bringt Frucht/ und bessert sich/
Das Wort ist wol gerathen.
Das under lehrt man überfich/
Am Freytag isst man Braten.

*Tympius in mensa Theol. Phil. V. Hæreticus.* VI. Tympius ait, Lutheranos verè in aliquo sensu dici posse Reformatores Ecclesiæ ob duas causas: 1. Quia, cùm ipsi in Ecclesia nostra fuerint paleæ, suo egressu purius triticum effecerunt. 2. Quia per suam defectionem dederunt occasionem, ut Catholici in bonis moribus reformarentur, dum per varia decreta Conciliorum mali abusus ac scandala sublata, & aliæ laudabiles consuetudines introductæ sunt.

*Baron. in lib. de præscript.* VII. Justus Baronius Luthero hoc elogium dedit: Lutherus heri Monachus, hodie Sponsus, cras Maritus, perendie Pater.

*1. Cor. 3. v. 6.* VIII. De Christi Evangelio S. Paulus dixit: Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit. Lutherus de suo dicere potest: Ego plantavi, Melancton rigavit, Diabolus autem incrementum dedit.

*Bessæus Dom. 8. post Pent.* IX. Hæretici Gabaonitis similes sunt, quia Asinos suos, id est, Ministros pane suo onerant, & vestes vetustas S. Scripturæ præferunt, quasi qui longè à primitiva Ecclesia venirent. Hinc multi hoc dolo Christiani capti quia susceperunt de cibariis eorum, & os Domini non interrogaverunt.

*Apoc. 13.* X. S. Joannes olim vidit bestiam ascendentem de terra, habentem cornua duo similia agnis, & loquebatur sicut Draco: quæ bestia rectè Hæreticos significat, nam & hi cornua agnina Scripturæ gerunt, ac virtutis speciem, sed voce sua animas enecant ac devorant.

*Iudic. 14.* XI. Samson reperit Leonem à se occisum, in cujus ore mel, cætera Leo erat; ita Hæretici loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.

*2. Reg. 20.* XII. Similes quoque Hæretici sunt Joabo, qui dixit ad Amasam: Salve mi Frater, & tenuit manu dextra mentum Amasæ, quasi osculans eum: & interea percussit eum in latere, & effudit viscera ejus; nam & ipsi sic sub saccaratis verbis gladios ingerunt.

*Apoc. 9.* XIII. Aliàs in Apocalipsi vidit S. Joannes animal cum facie humana, sed cum caudis Scorpionum; quod rectè Hæreticos denotat, nam & hi, ut Theophilactus ait, blandiloquentiam prætexunt, & vitam simulant Sanctam, sed intrinsecus latet aculeus.

*Bessæus in Dom. 5. post Pent. part. 3.* XI. Tria genera maleficorum à Legibus ad flammas damnantur, incendiarii, Sacrilegi, & monetam adulterantes; atqui Hæretici incendunt domum DEI & triticum S. Scripturæ, sacra sacrilegè profanant, ac S. Scripturam adulterant.

## §. XII.

## AXIOMATA.

I. Rectè Hæreticis quadrat, quod nonnemo cecinit:

Pelle sub agnina latitat mens sæpe lupina

II. Fidite, ne Fidei causa sit absque fide.

III. Lästern/ Liegen/ Laugnen/
Ist der Ketzern letzter Athem.

IV. Auff Schmächen/ Lügen/ und Betrügerey
Gegründet ist all Ketzerey.

V. Arge Ketzer/ dolle Schwetzer.

VI. Falsche Bibl grosse Ubl.

VII. Geld verlohrn viel verlohrn/
Ehr verlohrn mehr verlohrn;
Glaub verlohrn als verlohrn.

VIII. Falscher Glaub/ Falscher Raub.
Falsche Lehr/ falsche Ehr.
Falsche Schrifft böses Gifft.

IX. Die Ketzer seyn spitzfindige Luxen/
und arge Fuxen.

## §. XIII.

## AUTHORES.

I. Jacobus Marchantius in Horto Pastorum tr. 1. Lect. 6. & 7.

II. Joannes Busæus in Panario. Verb. eodem.

III. Petrus Canisius to. 1. c. 1. de doctrina Christiana.

IV. Philippus D' Outreman in Pœdagogo Christiano p. 2. c. 2. §. 4.

V. Joannes Dadæus in locis comm. Verb. eodem.

VI. Matthias Faber in opere tripartito. tom. 2. & 3. conc. 8. & 9. in Dom. post Pent. Item conc. 5. in Dom. 5. & 6. post Epiph. Item conc. 8. in Dom. 2. & 3. post Pent. Item conc. 7. in Fer. Rogat. & Dom. 6. post Pent.

VII. Thomas Stapletonus in Promptuario text. 8. in Dom. 6. post Pascha. Item text. 1. & 2. in Dom. 7. post. Pent. & text. 4. in Dom. 24. post Pentec.

VIII. Petrus Bessæus in Dom. 5 post Epiph. part. 4. & Dom. 8. post Pent. part. 3.

IX. Georgius Scherer. in Dom. 8. post Pent. & alibi passim.



# TITVLVS XI.

# HYPOCRISIS.

## §. I.

## QUOAD ESSENTIAM.

### *Definitio.*

I.



*Marcb. in tuba Sac. tr. 1. lect. 5.* E St simulatio, quâ quis se justum simulat, vel justiorem, quàm sit. Estque quoddam facti mendacium, crimen mortale involvens, si finis & intentio simulantis sit contra caritatem. Desumptum autem hoc nomen est, *S. Thom. 2. 2. q. 111. art. 2.* teste S. Thoma, à specie eorum, qui in spectaculis contectâ facie incedunt, & modò in specie viri, modò in specie feminæ, ut in ludis Populum fallant. Et consentiens S. Basilius, Hypocrita, inquit, vocatur Histrio, quia in theatro personam sustinet alienam, sæpe Heri, cùm sit servus; aut Regis, cùm sit privatus. Itidem in hac vita plerique vitam suam velut in proscenio ad ostentationem componunt, aliud in corde gerentes, aliud in specie Hominum oculis præseferentes.

### *Divisio.*

*Thom. Stapl. in Dom. 5 post Pent.* II. Dividitur à Stapletono in *Externam* & *Internam*. Illa est, quâ sola rectitudo externa, neglectâ internâ & verâ cordis Justitiâ, quæritur, de qua Christus locutus est, cùm dixit: *Matt. 23. v. 3.* Quæcunque dixerint vobis, facite; secundùm opera eorum nolite facere. Illa est, quâ in omni virtutis genere laus & gloria humana captatur de qua idem Christus dixit: væ vobis *Luc. 11. v. 52.* Legisperitis, quia tulistis clavẽ scientiæ, ipsi non introistis, & eos, qui introibant, prohibuistis.

### *Actus.*

*Marchant. tr. 1. tub. Sac. lect. 5.* III. Primus est, sub pietatis nomine lucrum quærere.

IV. Secundus, exteriùs amicitiã simulare, & animo odium invidiámq; fovere juxta illud Da- *Ps. 11. v. 3.* vidis: Uns locuti sunt unusquisque ad proximum suum, labia dolosa in corde locuti sunt.

V. Tertius, in publico se justum ostendere, in occulto gravia scelera committere.

VI. Quartus, consulere quid alteri ad commodum illius tendens, & interim suum bonum unicè quærere.

VII. Quintus, in parvis rebus servandis anxium & sollicitum esse, grandium verò nullam aut exiguam curam habere.

VIII. Sextus, exteriùs humilitatem præseferre, & interiùs gloriam & laudem humanam sectari.

## §. II.

## EX S. SCRIPTURA.

### *Qualitas.*

*Marc. 7. v. 6.* I. POpulus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me.

II. Alligant onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea movere. *Matt. 23. v. 4.*

III. Hoc scio à principio, ex quo positus est homo super terram, quòd laus impiorum brevis sit, & gaudium Hypocritæ ad instar puncti. *Iob. 20. v. 5.*

### *Fuga.*

IV. Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. *Luc. 12. v. 1.*

V. Ne fueris Hypocrita in conspectu hominum, & non scandalizeris in labiis tuis. *Eccl. 1. v. 37.*

VI. Deponentes omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes sicut modo geniti infantes, rationabiles, sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem. *1. Petr. 2.*

### *Damnum.*

VII. Numquid virere potest scirpus absque humore, aut crescere carectum sine aqua? sic viæ omnium, qui obliviscuntur DEUM, & Spes Hypocritæ peribit. *Iob. 8. v. 13.*

VIII. Simulatores & callidi provocant iram DEI, neque clamabunt, cùm vincti fuerint. *Iob. 36. v. 13.*

IX. Virum Sanguinum & dolosum abominabitur Dominus. *Ps. 5. v. 7.*

X. Abominatio Domini est omnis illusor, & cum Simplicibus sermocinatio ejus. *Prov. 3. v. 32.*

XI. Congregatio Hypocritæ sterilis, & ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. *Iob. 15. v. 15.*

XII. Non veniet in conspectu ejus Hypocrita. *Iob 13. v 16.*

XIII. Partémque ejus ponet cum Hypocrytis; ibi erit fletus & stridor dentium. *Matt c. 24. v. 51.*

XIV. Væ vobis Scribæ & Pharisæi Hypocrytæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitiâ. *Matt. 23. v. 27.*

XV. Visitabo super omnes, qui induti sunt veste peregrina. *Soph. 1. v. 8.*

XI. Qui sopisticè loquitur, odibilis est: in omni re defraudabitur, non enim est illi data à Domino gratia; omni enim Sapientiâ defraudatus est. *Eccl. 37. v. 23.*

## §. III.

## EX SS. PATRIBUS.

### *Qualitas.*

I. TAnta est hypocritica dementia, ut fœtoribus pro odoribus abutantur, & pretiosa vilia, & aspera suavia arbitrantur, & favorum sapor omnium dulcedinum superet condimenta, omnísque delira sensualitas contrariis delectetur. *S. Cypr. l. de jejun.*

II. Simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas, quia iniquitas est, & simulatio. *S. Aug. in ps. 36.*

III. Hi

*S. Bern. S. cit.* III. Hi sunt oves habitu, astu vulpes, actu & crudelitate lupi. Hi sunt, qui boni videri, non esse: mali non videri, sed esse volunt. Mali sunt, & boni videri volunt, ne soli sint mali: Mali videri timent, ne parùm sint mali. Etenim minùs semper malitia palam nocuit, nec unquam bonus, nisi boni simulatione deceptus est.

*S. Greg. in mor.* IV. Quid est vita Hypocritæ, nisi visio quædam Phantasmatis, quæ hîc ostendit in imagine, quod non habet in veritate.

*Idem in Reg.* V. Quid dictum sumus, qui iniqua operibus docemus, & sola voce ea, quæ sunt justa, prætendimus? Ossa jejuniis atterimus, & mente turgemus: corpus despectis vestibus tegitur, & elatione cordis purpuram superamus; jacemus in cinere, & excelsa non aspicimus, doctores humilium, duces Superbiæ, ovinâ facie lupinos dentes abscondimus.

*Fuga.*

*S. Chrys. apud Fabr. conc. 2. in Dom. 22. post Pent.* VI. Hypocrita, si bonum est, bonum esse, ut quid vis apparere, quod non vis esse? si malum est, malum esse, ut quid vis esse, quod non vis apparere? si bonum est, bonum apparere, melius est bonum esse. Si malum est, malum apparere, pejùs malum esse, ergo aut appare quod es; aut esto, quod appares.

*S. Greg. l. 8. mor.* VII. Non indues vestem ex lana linóque contextam; per lanam simplicitas, per linum subtilitas designatur. Et nimirum vestis, quæ ex lana linóque contexitur, linum interiùs celat, lanámque exteriùs demonstrat. Vestem ergo ex lana linóque contextam induit, qui in actione vel locutione, quâ utitur, intus subtilitatem malitiæ cooperit, & simplicitatem foris innocentiæ ostendit.

*Damnum.*

*S. Chrys. ho. 19. in Matth.* VIII. Nulla res sic exterminat bonum, sicut simulatum bonum; nam manifestum malum quasi malum fugitur & cavetur; malum autem sub specie boni celatum, dum non cognoscitur, nec cavetur, sed quasi bonum suscipitur.

*S. August. in l. 83. q. q. 53.* IX. Sicut propè summa & divina virtus est, neminem decipere; ita ultimum vitium est, quemlibet decipere.

*S. Hier. l. 7. in c. 16. Isaia.* X. Si castum me esse simulo, & aliud est in conscientia mea, habeo non gloriam mercenarij sed supplicia peccatoris. Et in comparatione duorum malorum levius malum est apertè peccare, quàm simulare & fingere sanctitatem.

*S. Petrus Chrysol. in serm.* XI. Hypocrisis subtile malum, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea sanctitatis. Hypocrisis secreta simulat, prospera fallit, curiosa mentitur, & crudelitate virtutes truncat mucrone virtutum. Jejunium jejunio perimit, oratione orationem vacuat, misericordiam miseratione prosternit. Hypocrisis cognata febri, frigido poculo extinguit ardorem.

*Idem in serm. 7.* XII. Fratres, fugiendum est vulnus, pestilentia cavenda, quæ de remediis creat morbos, conficit de medicinis languorem, sanctitatem vertit in crimen, placationem facit reatum, generat de propitiatione discrimen. Thesaurum, qui non abscondit, prodit: Virtutes proditæ non manabunt. Virtutes suos Proditores deserunt, suos instant custodire custodes.

*S. Greg. l. 1. mor.* XIII. Væ peccatori terram ingredienti duabus viis. Duabus quippe viis ingreditur, quando & DEI est, quod opere exhibet; & mundi, quod per cognitionem quærit.

*Idem.* XIV. Hypocrita quot vitiis est plenus, quasi tot stercoribus in conspectu æterni Judicis illius pectus fœtet. Hypocritarum corda Diabolus tacitus tenet, & quasi quietus ibi dormit, ubi eos, quos possidet, quiescere non permittit.

## §. IV.

## EXEMPLA.

*Qualitas.*

*Gen. 4. c.* I. CAin per simulationem fraterni consortij educens Fratrem in agrum, interim odium in corde fovens crudelissimè interemit, &, quasi DEUM facinus horrendum lateret, interrogatus innocentem se simulavit.

*2. Reg. 20.* II. Joab Amasan officiosè salutans, amplecténsque amicorum more, lethale interea vulnus corpori infligit, miseréque perimit.

*2. Reg. 13.* III. Absalon Fratrem suum Amnonem diligere & honorare se velle simulans, dum ad convivium invitat, inebriatum crudeliter occidit.

*Matth. 26.* IV. Judas Hypocritarum Antesignanus Christum osculo salutans, & Magistrum vocans, perfidiosissimè Inimicis tradit.

*S. Chrys. super cap. 2. Matth.* V. Herodes Christum Infantem se adorare velle simulans, devotionem promittit, sed gladium acuit, & malitiam cordis depingit colore humilitatis: hujus Personam repræsentant Hypocritæ, qui, dum fictè DEUM quærunt, illum nunquam merentur invenire.

*Engelgr. in Dom. 5. post Pent. §. 1.* VI. Antonius Picenas Religiosus tantam sibi famam sancti a is comparaverat, ut omnibus persuasum esset, ei post quadraginta dierum jejunium absque cibo & potu transactum, Angelos perinde ut Christo cibum ministrasse; cùm tamen interea ille ingentem cereum, cui clam intrita Phasianorum, Caponum, & similium gulæ illecebrarum copia fuerat, ad manum haberet, crassúmque ac rotundum cingulum aromatibus infartum portaret, unde vitam furtim sustentabat. Inter execrandas demum blasphemias in Christum & B. Virginem emissas vitam finivit miserrimè.

*Drex p. 1. Phaet. c. 24 §. 4.* VII. Ecebolius Sophista Juliani Apostatæ Præceptor linguam habuit ad omnem hypocrysin erudutissimam, velut plicatile cochlear, omni loco usurpandum. Hinc sub Constantio Arianum, sub Juliano Paganum, sub Joviniano Catholicum se simulavit.

*Fuga.*

### Fuga.

1. Pet. 2. v. 22. VIII. De Christo, quantoperè hoc vitium fugerit, S. Petrus testimonium ferens ait: Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus
Matt. 23. in ore ejus. Patétque ampliùs ex severa oratione, quâ hypocriticos Pharisæos apud S. Matthæum exagitavit.

Iob. 1. v. 3. IX. De Jobi averso ab Hypocrisi animo ipse DEUS ad Sathan dixit: Numquid considerâsti servum meum Job, quòd non sit ei similis in terra, vir simplex & rectus?

2. Mach. c. 6. X. Eleazar Machabæus monitus ab Amicis, ut simulatâ carnis porcinæ comestione discrimen capitis averteret, respondit, mori se malle, quàm tali simulatione malum aliis exemplum relinquere, & per hoc maculam atque execrationem suæ senectuti conquirere.

Io. 1. v. 47. XI. De Nathanaële Christus ipse Apostolis suis dixit: Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est.

XII. S. Anastasius Martyr Persa rogatus à Duce Persarum, ut vel unico verbo suam religionem inficiaretur simulando, post fusas preces respondit: Neque tu, neque alius mihi persuadebitis, ut hoc faciam, noménque DEI mei vel in speciem etiam negem.

### Damnum.

Rufaus in Pan. V. Hypocr. XIII. Cùm ex duobus studiosis Pauperibus alter se mortuum simularet, alter eidem adstans eleemosinam à S. Epiphanio peteret pro socio sepeliendo, is, qui mortuum se finxerat, post datam à S. Epiphanio eleemosynam verè obiisse compertus est.

S. Greg. l. 4. Dial. c. 38. XIV. Monachus quidam à Fratribus pro sancto habitus cùm jamiam ex hac vita discessurus esset, accedentibus Fratribus, ut monitum salutis acciperent, dixit, se ob Hypocrisin, quâ sanctitatem simulabat, & jejunare creditus occultè manducabat, Draconi, qui caudâ suâ genua, pedésque colligens, capútque ejus ore concludens, animam mox extracturus esset, devorandum datum esse. Quo dicto, statim sine pœnitentia obiit.

S. Greg. Tur. l. 1. de Glor. Mart. c. 106. XV. S. Gregorius Turonensis narrat, Mulierem quandam in Galliis sub specie Religionis vacasse jejuniis, orationibus institisse, vigilâsse constanter, & Sacra loca obiisse, aurúmque pro redimendis captivis corrogâsse; verùm occultè illud in sua cella defodisse. Ob quam causam post mortem damnata, è sepulchro has voces terribili cum ejulatu frequentare audita est: Me miseram, me infelicem, auri consumor incendio. Post triduum verò aperto tumulo visum est aurum resolutum sulphureæ instar flammæ in os ingredi.

Mir. Lira. ex apoph. p. 359. XVI. Alia quæpiam Femina cùm ad sanctitatis famam aucupandam in omni confessione se improbam & gravem peccatricem profiteretur, Confessarius ejus sanctitatem probaturus dixit, se quoque ab aliis hoc ipsum audivisse, tempus proinde esse, ut seriò se emendet. Quo audito, illa turbari, irasci, ac convitia in eos, qui talia spargere ausi essent jacere incipiens, satis ostendit, non nisi falsam fuisse sanctitatem, quam præseverabat.

Spec. Ex. V. Fictio. XVII. Cassianus refert, Monachum quendam Peregrinum, cùm ad orationem cum aliis faciendam, pedúmque ablutionem permittendam à Serapione Abbate invitatus, utrumque recusaret, indignum se dicens, qui communi cum reliquis fratribus caritate frueretur; postea verò ab eodem Abbate monitus esset, ne multùm evagaretur, sed intra cellam suam quietus permaneret, sibique ipsi attenderet, graviter indignatum, claro indicio prodidisse, non nisi simulatam fuisse humilitatem, quàm prius prætexerat.

Engelg. in in Dom. 5. post Pent. §. 1. XVIII. Vereticus Rex Walliæ cum sæpe à S. Patritio de tyrannide omittenda admonitus, semper emendationem spon deret, & monitiones astu eluderet, orante eodem sancto in vulpem transformatus aufugit, & nusquam ampliùs comparuit.

## §. V.

## EXEMPLA PROFANA.

Plutarch. lib. de discrim. adul. & amic. I. Ptolemæo Regi Ægypti, quia discendi cupidus videbatur, Adulatores ei familiares de lingua, de versiculo, de historiola digladiantes, ad mediam usque noctem reluctabantur; at verò sævienti, ferocienti, vectigalibus Populum oneranti nullus è tam multis resistere ausus est.

Idem de profectu Morum. II. Anacharsis Scytha de Græcis notavit, quòd præclarè loquerentur, & nihil facerent, ideóque similes essent illis, qui nummismate ad nihil aliud, nisi ad numerandum uterentur.

III. Senex quidam in Ludis Olympicis diu multúmque inter Græcos perambulans, nec locum inveniens, ad Lacedæmonios tandem pervenit, ubi non solùm Pueri omnes illi assurrexerunt, verùm etiam viri multi locum dederunt. Id factum cùm Græci, quotquot aderant, magno applausu approbâssent, exclamans Senex, Heu miseriam, inquit, omnes Græci nôrunt, quid sit honestum, sed eo soli utuntur Lacedæmonii.

## §. VI.

## SIMILITUDINES.

### Qualitas.

S. Basil. in Hexam. I. Sicut Polypus, cuicunque saxo adhæret, illius colorem suscipit, itáque pisces ad ipsum tanquam ad saxa adnatantes capit; ita Hypocritæ, quod cuique placet, suam omnino sententiam esse dicunt, ideóque evitari facilè non possunt, cùm pravitas eorum fucata & adornata sub pietatis prætextu profundè lateat.

*S. Chrysost. ho. 45. in Matt.* II. Sicut sepulchrum, quamdiu clausum est, pulchrum videtur; Si verò fuerit apertum, horribile est; Sic & simulatores bonorum, quamdiu non cognoscuntur, laudabiles sunt; cùm autem cogniti fuerint, abominabiles inveniuntur.

*S. Greg. Nazianz. in orat. funebr. Patris.* III. Sicut Meretrix, cùm nativâ pulchritudine destituta est, ad colores, pigmenta, & fucos confugere solet; ita Hypocrita, cùm specie solidæ perfectæque virtutis careat, adumbrationem quandam externam pietatis simulat, quâ eorum oculos retinet, qui adumbrata virtutis simulatione capiuntur.

*Bren. in Phaeth. p. 1. c. 24. §. 2.* IV. Sicut Crabro, dum insidet flori, silet; cùm avolat, inamœnum murmurat; sic Hypocryta, dum mellis aliquid affunditur, tacet, aut fictè loquitur; cùm verò à melle & flore abest, agresti & barbaro fremitu tumultuatur. *Iob. 20. v. 12.* Unde Job ait: Cùm dulce fuerit in ore ejus malum, abscondet illud sub lingua sua.

*Ibid.* V. Sicut Cygnus plumis quidem candicat, sed carnem nigram habet, duramque; sic Hypocrita plumulas verborum habet mollissimas, & pulcherrimas, sed animum politica fuligine infectum gerit. Hinc Salomon: Profert *Prov. 14. v. 25.* mendacia versipellis.

*S. Greg. l. 3. mor. c. 1.* VI. Sicut Struthio volandi speciem habet, sed usum volandi non habet; sic Hypocrysis cunctis intuentibus imaginem Sanctitatis insinuat, sed tenere vitam Sanctitatis ignorat.

*S. Bern. in S. de benedict.* VII. Sicut Simon Cyrenæus Christi crucem tulit angariatus, non valens; Sic Hypocrita alienum onus pro Christo nolens portat, exequens foris, quod intus non amat.

*Langius in Polyanth.* VIII. Sicut ij, qui moscho indulgent, animam plerumque fœtentem habent; sic Hypocritæ, qui plurimam pietatis speciem exhibent, intus fœdissimè sordent.

*Stapl. in Dom. 5. Pent. text. 1.* IX. Sicut Vulpes simulat se mortuam, ut gallinas capiat securè accedentes; ita Hypocrita mortificationem simulat, ut simplicibus imponat, & sub pietatis prætextu prædam capiat.

*Ibid.* X. Sicut Labrusca colorem habet vitæ sed non saporem; sic opera Hypocritarum colorem habent pietatis, sed DEO insipida ac ingrata sunt.

*Ibid.* XI. Sicut Patroclus Achillis arma induens, & equos in pugnam educens, hastam Pehacam non ausus est contingere; sic Hypocritæ verba & voces Sanctorum concinnè resonant, facta non attingunt.

*Idem text. 4. in Dom. 2. Adv.* XII. Sicut monstrosum est, ut homo habeat majorem linguam, quàm manum; sic cujus majora sunt verba, quàm opera, præter naturam facit.

### *Damnum.*

*S. Aug. l. 4. de doct. Christ.* XIII. Sicut is, cujus pulchrum est corpus, & deformis animus, magis dolendus est, quàm si deforme habeat corpus; ita qui sanctè loquitur, & malè vivit, magis miserandus est, quàm cujus vita improba verbis respondet.

XIV. Sicut Panthera deforme caput abscondit, & reliquum corpus ostendit, ut illius pulchritudine & grato odore animalia alliciat, & devoret; Sic Hypocritæ multos externa sanctitate alliciunt, sed eosdem interna improbitate corrumpunt, vel in suum emolumentum trahunt. *Stapl. text. 1. in Dom. 5. post Pent.*

XV. Sicut Luctatores corpus humiliant, ut alios dejiciant; sic Hypocritæ seipsos humiliando, alios supplantant. *Ibid.*

XVI. Sicut brevis mulieris fucatæ gratia est, quia habitu populari fucus difflatur, & maculæ magis apparent; sic qui melioris vitæ fucum assumunt, facilè eam in conversatione amittunt, & vitiosi magis apparent. *Langius in Pol.*

XVIII. Sicut fœnum tectorum in alto nascitur, sed nequaquam radice solidatur, ideóque mox exarescit; sic Hypocrita summa quidem agere cernitur, sed non in eis ex cordis puritate roboratur; quia cùm sine intentione rectæ cogitationis bona studeat agere, ea amittens indicat, se sine radice floruisse. *S. Greg. l. 8. mor. c. 28.*

XIX. Sicut fermentum totam massam corrumpit; ita hypocrisis universa hominis opera inficit ac perdit. *Luc. 12.*

XX. Sicut in magno mari perniciosiores sunt scopuli, qui brevi aqua operti tristem ac cæcum & miserabilem non observantibus inferunt introitum, quàm rupes eminentes, utpote quas Nautæ facilè vitare possunt; sic Hypocritæ, qui in animi recessibus & latebris malitiam retinentes speciem pietatis foris ostendunt, terriores & capitaliores sunt improbis illis, qui sunt ab omni virtutis simulatione alieni, quoniam horum pestem facilè potens fugere, illos autem non facilè potes devitare. *Hector. Pintus in c. 9. Isaia.*

## §. VII.

## MOTIVA.

I. Quia *Diabolicum* est vitium: nam huic proprium est in Angelum lucis se transformare, uti Apostolus testatur; ideoque mendax, & Pater mendacii à Christo vocatur. *2. Cor. 11. v. 14.*

II. Quia *odiosissimum* est vitium: quis enim non odit & detestatur Judam fallaci osculo Christum Inimicis prodentem? quis non Judæos prætorium, ne contaminarentur, ingredi metuentes, & tamen gravissimo scelere mortem Christo procurare non verentes? atqui his similia, imò majora crimina Hypocritæ committunt. *Ioh. 19.*

III. Quia *inexcusabile* vitium est: nam, ut S. Gregorius sapienter dixit, Hypocritæ ante districtum Judicem excusationem de ignorantia habere non possunt, quia, dum ante oculos Hominum omnem modum Sanctitatis ostendant, ipsi sibi sunt testimonium, quia bene vivere non ignorant. *S. Greg. l. 10. mor.*

IV. Quia

*S. Chrys. in c. 7. Mat.* IV. Quia *perniciosum* admodum vitium est: quia, teste S. Chrysostomo, nulla res sic exterminat bonum, sicut simulatio; nam manifestum malum quasi malum fugitur, & cavetur; malum autem sub specie boni cælatum, dum non cognoscitur, nec cavetur, sed quasi bonum suscipitur. Sic servi Diaboli tunc pessimè Christianitatem corrumpunt, quando se simulant Christianos, de quibus Christus monet suos & nos: Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces. Quia magna virtus hominum est cognoscere malum, & firma tutela salutis est, scire, quem fugias.

*S. Aug. in Ps. 63.* V. Quia *duplicatum* vitium est: nam, ut supra ex S. Augustino dictum est, simulata æquitas est duplex iniquitas, quia iniquitas est & simulatio; & præterea Hypocrita duas inordinatas actiones committit, intendendo scilicet finem malum, & opus bonum ad talem finem ordinandu.

*S. Greg. in moral.* VI. Quia *curatu difficillimum* est vitium: tum quia Hypocritæ fateri culpas suas nolunt; tum quia corrigi recusant, nam, teste S. Gregorio, paratiores sunt mori, quàm redargui.

*Fab. conc. 2. in Dom. 24. post. Pentec.* VII. Quia *vanum & inutile vitium est:* nam hoc ipso, dum per illud opera malâ intentione fiunt, vacua & inania redduntur; unde non malè ejusmodi opera pomis juxta mare mortuum crescentibus comparantur, quæ extrinsecùs quidem speciosa sunt, interiùs verò omni succo carent, &, si vel modicè tangantur, in cineres vertuntur.

## §. VIII.

## MEDIA.

I. *Considerare*, quantopere hoc vitium quemvis hominem dedeceat; si enim quodvis *oris mendacium* adeò detestabile videtur homini ingenuo, ut nihil graviùs ei accidere queat, quàm si pro homine mendaci habeatur, quantò magis Hypocrisis, quæ *facti mendacium* est, dedecere hominem ingenuum credetur?

II. *Perpendere*, quantopere DEO abominabile sit hoc vitium; id quod vel ex ipsius Christi testimonio colligi poterit, qui nullum aliud vitium tantopere exagitavit, totiésque væ ingeminavit, quàm super Hypocrisin & simulationem Pharisæorum.

III. *Considerare* ruborem, quem aliquando sustinebunt Hypocritæ, si remotâ fictionis Personâ, eorum malitia detegetur; si enim olim Senatores Romani à Nerone in theatro facie personatâ saltare jussi, quia ad ejusdẽ Imperatoris mandatum à satellitibus larvæ ademptæ sunt, tam ægrè tulerunt hanc prostitutionem, ut aliqui illorum præ dolore mortui sint; quantum ruborem & dolorem sentient Hypocritæ, si coram toto mundo dolosa illis larva à DEO ipso detrahatur.

IV. *Considerare*, quòd nihil minùs obtineant Hypocritæ, quàm quòd intendunt; cùm enim omnis eorum intentio eò feratur, ut magnam sibi apud homines opinionem comparent, plerumque justo judicio DEI contingit, ut vel maximè displiceant, sicque impleatur, quod S. David prædixit: DEUS dissipavit ossa eorum, qui hominibus placent: confusi sunt, DEUS sprevit eos. *Ps. 52. v. 6.*

V. *Considerare*, quòd, ut sapienter Cicero dixit, compendiaria via ad gloriam sit, ut, qualis quisque haberi vult, talis sit; sic enim ad veram sanctitatem comparandam incitabitur, atque per hanc sibi non modò temporalem, sed æternam etiam gloriam comparabit. *Cicero l. 2. de offic.*

VI. *Considerare*, quàm vanum sit gaudium, quod ex aliorum opinione de nostra Sanctitate concipitur; cùm omnis Gloria Filiæ Regis ab intus sit; &, ut bene Thomas Kempensis dixit, nemo sit sanctior, si laudatur; nec vilior, si vituperatur; Sed hoc sit, quod est; nec major dici valeat, quàm DEO teste sit. *Thom. Kemp. l. 2. c. 6. §. 3.* Unde rectè monuit S. Augustinus: Nemo se falsa spe circumveniat, quia Christiani nominis non facit sola dignitas (aut opinio hominum) Christianum, nihilque prodest, quòd aliquis Christianus vocetur in nomine (aut æstimetur) si hoc non ostendat in opere. *S. Aug. s. 38. de Sanctis.*

## §. IX.

## ASCETICA.

I. De hoc vitio tria potissimùm scienda sunt Ascetæ. 1. Quàm infestum sit non modò Sæcularibus Personis, sed Religiosis etiam & Perfectionis studium profitentibus, & quidem tantò magis, quantò magis sciunt, suæ professioni proprium esse sanctitatem profiteri. Certè S. Hieronymus apertè dixit: Quamvis aliis vitiis carere possimus, Hypocriseos tamen maculam habere non posse, aut paucorum est, aut nullorum. *S. Hier. l. 2. contr. Pelag.* Nec dissentit S. Augustinus dicens: Quàm multos Hypocritas sub habitu Monachorum usquequaque dispersit callidissimus hostis, circumeuntes Provincias omnes petunt, omnes exigunt, aut sumptus lucrosæ egestatis, aut simulatæ pretium sanctitatis. *S. Aug. de oper. Monach.* Voluit (ut S. Bernardus alicubi distinctiùs explicat) humiles esse sine despectu, pauperes sine defectu, patientes sine tribulatione, obedientes sine coarctatione, pœnitentes sine afflictione, virtuosi sine labore, abstinentiam præferre, & pasci delicatè, bene vestiri sine sollicitudine, laudari sine virtute, amari sine bonitate, honorari sine sanctitate.

II. Alterum est, ut bene cognoscere studeat hoc vitium; nam, ut sapienter S. Basilius advertit, quælibet virtutis janua simillimam in vitia ferentem utrinque speciem aperit; ut, qui ad virtutem ingredi nititur, ejus primùm januæ assistens, dum hanc se pulsare arbitratur, apertâ sibi hinc aut *S. Basil. l. de Virg.*

aut inde altera ex vitiorum ianuis deceptus maxima similitudine ingrediatur, veluti virtutis domum. Hinc audax & temerarius habetur fortis: prodigus, liberalis: avarus, abstemius ac temperans &c. Ut ergo hanc fraudem cognoscat, duo poterit indicia attendere. 1. *Perseverantiam*: nam, ut S. Ambrosius sapienter dixit, nihil simulatum & fictum diuturnum esse potest; in principio veniat, in processu tanquam flosculus dissipatur & solvitur. Et, ut Seneca ait, nemo potest fictam Personam diu ferre; ficta in naturam suam citò recidunt. Quibus autem veritas subest, quæque ex solido nascuntur, in majus meliúsque procedunt. id quod Stapletonus apta similitudine declarat dicens: Inter verã ovem & lupum in vestitu ovis hoc discrimen est, quòd vera ovis, si tondeatur, semper tamen lanam gerat, quia hæc in proprio & naturali subjecto facilè denuò succrescit; at vellus, quò se vestit lupus, si tondeatur, nunquam denuo succrescit, sed statim se prodit lupus. 2. *Tribulationes*: nam, ut S. Augustinus rectè dixit, cùm cœperint aliquibus tentationibus ea ipsa vel subtrahi, vel negari, quæ isto velamine consecuti sunt, vel consequi cupierunt, tunc necesse est, ut appareat, utrum lupus sit in pelle ovina, an ovis in sua. Id quod infucata facie cernere est, quæ, si calidâ aquâ abluatur, mox decorem suum amittit, & fœditatem ostendit; cùm tamen facies, quæ propriam habet pulchritudinem, per ejusmodi perfusionem pulchrior efficiatur.

*S. Ambros. l. 2. offic.* *Seneca ad Neronem.* *S. Aug. in c. 7. Matt.*

III. Tertium est, ut pariter benè apprehendat, quantopere hoc vitium DEUS in omnibus quidem Hominibus, sed præcipuè perfectionis Studiosis detestetur; id quod DEUS ipse in Apocalypsi S. Joannes ostendisse videtur, dum eidem præcepit, ut Angelo Laodiciæ Ecclesiæ scribat: Scio opera tua, quia neque frigidus es, neque calidus (id quod proprium est Hypocritarum) utinam frigidus esses, aut calidus; Sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam evomere te ex ore meo. Rationem verò hujus displicentiæ teddit S. Gregorius dicens: Hypocritæ cùm per accepta bona in sua laude se elevant, ipsis muneribus contra largitorem pugnant; inde quippe contra Largitorem superbiunt, unde ei ampliùs humiles esse debuerunt. Sed eò postea sententia districtior illos percutit, quò nunc ingrati magis ea recipiunt, fitque eis amplitudo muneris incrementum damnationis. Ideo scirpo comparantur, qui exteriùs viret & crescit, intùs vacuus est. Unde Alphonsus Rex audiens Antonium Piconam Ordinis Eremitarum, magnum Hypocritam, jactando blasphemias in Christum & Matrem, vermiculis absumptum periisse, dixisse fertur, propterea DEUM tantopere in Hypocritas sævire, quòd, dum Homines decipiunt, interponant DEUM tanquam sceleris mediatorem; ideóque ut plurimùm viventes adhuc plecti in oculis hominum, quos DEI nomine fefellissent, ut intelligant mortales à talibus monstris maximè cavendum esse, quòd Deum ipsum non tantùm post mortem, sed etiam in ipsa vita haberent indubitatum ultorem.

*Apoc. 3. v. 15.* *S. Greg. l. 8. mor. c. 27.* *Æneas Sylvius de dictis Alph.*

## § X.

## CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. Etsi Ludovicus Granatensis in Silva locorum communium de hoc vitio agens rectè notet, cùm hoc nostro sæculo ne veræ quidem virtuti magnus honor tribuatur, atque adeò non habeant ambitiosi homines causam induendi falsam virtutis imaginem, non esse, cur modò tantopere Concionatores in Hypocritas invehantur, præsertim cùm vulgus audito hoc nomine non veros Hypocritas, sed viros pietatem colentes intelligat, sicque fiat, ut hujusmodi doctrinâ pij animum contrahant, improbi verò cristas erigant, & triumphent, & suam quodammodo causam agi arbitrentur; tamen quia constat, plerosque Christianos nomen potiùs, quàm qualitates veri Christiani gerere, non oberit, si ad fervorem ipsorum excitandum etiam de hoc vitio quandoque concio instituatur. Itaque

*Lud. Gran. in silva loc. com. f. 605.*

II. Ex occasione thematis: *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*: possunt Hypocritæ lupis comparari, simúlque indicia ostendi, per quæ è veris ovibus cognoscantur, nempe 1. *Ex Voce*: Quia ut ovis versus terram balans emittit vocem, lupus autem versus cælum ululat; ita veri Sancti humiliter de se loquuntur, Hypocritæ se extollunt, suásque dotes prædicant. 2. *Ex cibo*: Quia ut ovis herbis contenta est, lupus verò carnibus, & quidem occultè plerumque pascitur: sic Hypocritæ suas & carnis commoditates, plerumque in occulto, quærunt, ne carnales judicentur; spernunt verò spiritualia pascua, quibus perfecti delectantur. 3. *Ex dentibus*: Quia ut lupus dentes acutos atque ad rapinam ac lanienam factos habet, non item ovis; ita Hypocritæ aliorum famam lacerant, non item justi. 4. *Ex conversatione*: Ut enim lupus solus, vel cum paucis aliis graditur, oves verò societate gaudent; ita Hypocrita fugit societatem hominum, fingens se illorum pravis moribus offendi; non perinde homines boni. 5. *Ex pelle*: nam lupus duplicem gerit, foris ovinam, id est, lanam, quæ, si tondetur, non iterum succrescit, ut lana veræ ovis, intùs lupinam; ita Hypocritæ exteriùs fictam sanctitatem, interiùs malitiam occultam gerunt. Quæ omnia vide fusiùs apud Fabrum conc. 7. in Dom. 7. post Pentec.

*Matth. 7. v. 15.*

III. Ex occasione thematis: *A fructibus eorum cognoscetis eos*: possunt Hypocritæ cum struthione comparari, sicut S. Job eos comparavit. 1. Quia sicut struthio volandi speciem habet, sed usum volandi non habet: ita Hypocrisis cunctis intuentibus imaginem de se sanctitatis insinuat, sed tenere vi-

*Matth. 7. v. 16.* *Iob 39. v. 16.* *S. Greg. in cit. loc.*

tam sanctitatis ignorat, teste S. Gregorio. 2. Quia sicut struthio derelinquit ova sua in terra, & obliviscitur, quòd pes conculcet ea, aut bestia agri conterat; & duratur ad Filios suos, quasi non sint sui; ita Hypocrita ova bonorum operum cum dolore parit, ea tamen ab inani gloria eripi sibi sinit; nec fovet ova sua, id est, opere non complet. 3. Quia sicut struthio latere se existimat, si collum frutice occultet; ita Hypocritæ stultè arbitrantur, se suámque hypocrisin latere, si se coram hominibus humilient, cùm tamen ab oculatis, & tandem ipsa etiam plebe cognoscantur. 4. Quia sicut struthio alas erigit, ut videatur volare; ita hypocrita magnum se facit, licet revera non sit. 5. Quia struthio equo quovis est velocior, ideóque cervinos habet pedes; ita hypocrita laborem animo timido declinat. 6. Quia sicut struthio Venatorem deludit, & à se repellit, lapides pedibus versùs illum projiciendo; ita Hypocritæ calumniantes se lapidibus calumniarum fugant. Vide hæc omnia fusiùs apud Fabr. conc. 7. in Dom. 7. post Pent. n. 5.

*Apoc. 3. v. 2.* IV. Ex occasione thematis: *non invenio opera tua plena coram DEO meo:* possunt alio modo indicia Hypocrisis declarari, scilicet per similitudinem vacuorum vasorum. nam 1. Sicut vacua vasa aquis supernatant, fundum non petunt; ita Hypocritæ in alto semper, non autem in fundo humilitatis detineri volunt. 2. Sicut res vacuæ sunt facilè mobiles, sic Hypocritæ leves & inconstantes. 3. Sicut vasa vacua pulsata resonant; ita Hypocritæ læsi remurmurare solent. 4. Sicut res vacuæ cùm terræ affiguntur, nullum vel modicum edunt sonum; secùs verò si in alto detineantur; ita Hypocritæ humiliati obmutescunt; elevati verò in altum omnia clamore suo complent, & jactantiâ. Vide Fabrum l. c. n. 3. & seqq.

*Ps. 143. v. 5.* V. Ex occasione thematis: *Tange montes, & fumigabunt:* potest ostendi, tribulationem esse potissimum medium, & quasi lapidem Lydium cognoscendæ Hypocriseos. Eum in finem comparetur vera & falsa sanctitas fucatæ, & naturâ suâ pulchræ imagini, & per varios actus Hypocritarum, quomodo per tribulationem appareat ficta eorum sanctitas, nam. 1. Devotio eorum, qui apparere magis, quàm esse devoti volunt, mox evanescit, si desolationes consolationibus succedant. 2. Humilitas eorum, qui se nequiter humiliant, evanescit, si contemnantur, ut patet in Monacho, de quo supra §. 4. dictum. 3. Patientia aliquorum, qui certas tantùm cruces à certis hominibus pati & portare volunt, facilè cognoscitur, si alia tribulatio ab alio homine sipportanda occurrat. 4. Zelus fictitius patet, si ad alia loca, officia, personas quis mittatur vel applicetur, quę omnia facilè pulchris exemplis & rationibus fusiùs declarari possunt.

*Gen. 27. v. 22.* VI. Ex occasione thematis: *Vox quidem vox Jacob, manus autem manus sunt Esau:* potest dici, quòd secundùm exteriorem faciem videantur quidem Hypocritæ similes Jacobo tum propter nomen, quia creduntur *Supplantatores* vitiorum: tum propter simulatam fugam mundi, benedictionem à DEO obtentam, fecunditatem in Filiis, id est, operibus bonis: tum propter majorem matris (id est, Ecclesiæ vel Religionis) erga eos affectum; reverâ autem manus (id est opera) Esau habeant, cùm hispidæ, id est, immortificatæ sint eorum actiones: Vendant primogenituram pro vili lenticula: benedictionem apud Patrem amittant: odium, quo bonos persequuntur foveant: & quia Patres Idumæorum duntaxat (id est, terrenorum) sunt: quæ omnia facilè copiosiùs deduci possunt.

VII. Ex occasione thematis: *Quid existis videre? arundinem vento agitatam?* comparari possunt Hypocritæ arundini. *Matth. 11. v. 7.* 1. Quia sicut arundo radicem habet in terra, & in aquis existit; ita Hypocritæ cor in terra defixum habent, & inter aquas voluptatum fluxarum morari gestiunt. 2. Sicut arundo omni vento agitatur, ita Hypocritæ ad omnem fortunæ auram se flectunt. 3. Sicut arundo extenùs viret, intus medulla & soliditate caret; ita Hypocritæ foris fervorem ostentant; intùs virtute carent. 4. Sicut arundo citò crescit, & citò arescit; ita Hypocritarum gloria & gaudium breve est. 5. Sicut arundo Christo in manus data ludibrio illum exposuit; ita Hypocritæ operibus suis Christum & ejus doctrinam vilipendi faciunt.

## §. XI.

## MISCELLANEA.

### *Qualitas.*

I. Hugo Cardinalis super illud: Vos estis sepulchra dealbata, ait: Nota sepulchrum dici, quasi semipulchrum; tales sunt hypocritæ, exteriùs nitidi, inter ùs fætidi. *Hugo Card. in c. 23. Luc*

II. Fridericus III. Imperator, cùm quidam diceret, se in loca abiturum, in quibus nullus Hypocrita esset, respondit: Ultra Sauromatas ergo, & glaciale m Oceanum tibi eundum est. Sed cùm eò veneris, non omnino carebit hypocrisi locus, si modò & tu homo non DEUS es. Inter mortales enim nemo est, qui non ex aliqua parte fictus fucatúsque sit. *Langius in Polyant. V. eadem.*

III. Rectè Hypocritæ idolo Bel comparantur, quod foris inauratum, sed intrinsecus luteum & æreum erat; nam & illi intrinsecus lutei, & forinsecus aurei per fictam sanctitatem apparent. *Dan. 14.*

IV. Quod Uxori Jeroboam Ahias Sacerdos dixit, hoc plurimis hominibus applicari potest: Ingredere Uxor Jeroboam; quare aliam te simulas? ego autem ad te missus sum durus nuntius. *3. Reg. 14.*

V. Similes sunt Hypocritæ tormentis bellicis per propugnacula dispositis, quæ magnum quidem aspicientibus terrorem inferunt, sed pulvere & globis vacua sunt, ideóque inania terriculamenta. *Stapl. text. 1. in Dom. 5. post Pent.*

VI. Ut natura differt ab arte, ita vera Justitia ab Hypocrisi; æque enim Justitia laborat in solis intrinsecis perficiendis, & Hypocrisis in extrinsecis, sicut ars pictoria tantùm externùs perficit imaginem, natura verò etiam interiora producit.

*Laërt.l.6.* VII. Diogenes Musicos in Jus vocabat, quòd, cùm lyræ chordas aptareor, animi mores inconcinnos haberent. Quidni idem de Hypocritis sentiatur?

VIII. Adolescenti cuidam levissimo de temperantia & sobrietate in Senatu Romano graviter differenti responsum erat: Quis te ferat ædificantem ut Crassus, cœnantem ut Lucullus, loquentem ut Cato? applica ad Hypocritas.

*Brev. Rom. in festo S. Ben.* IX. Rectè Hypocritis dicitur, quod Spathario Regis Totilæ S. Benedictus dixit: Depone, Fili, depone, quod geris, nam tuum non est.

## *Damnum.*

*S.Greg.Turon.l.2.* X. S. Gregorius Turonensis dicebat, Hypocritas similes esse feli candidæ sutoris, quæ in dies unum musculum capiebat, cùmque aliquando in atramentum sutorum cecidisset mures, existimantes eam velut monastico habitu indutam carnibus vesci non audere, ideóque liberè è cavernis progressos, omnes ad unum peremit.

*Sen.ep.109* XI. Seneca ait, nullos pejus de omnibus mortalibus mereri, quàm qui Philosophiam (multò magis Evangelicam doctrinam) velut aliquod artificium venale didicerunt, qui aliter vivunt, quàm vivere præceperunt. Non magis potest talis prodesse, quàm Gubernator in tempestate nauseabundus. Non est loquendum, sed gubernandum.

*Stapleton. text.4. in Dom. 2. Adv.* XII. Quia docet, & non facit, duplex onus imponit, unum præceptò, alterum mali exempli. (Talis autem est quivis Hypocrita) nam, cùm omne præceptum per se grave sit, nisi caritas, quæ omnia levia facit, accedat; ita adhuc gravius est, cùm illud non ferunt, qui ad ferendum valentiores videntur.

*Dio Lassim in Nerone.* XIII. Fertur Nero olim Senatores Romanos rogasse, ut in sui gratiam ludum populo facerent, & ludum histrionicum in foro Romano inter se exercerent; quod cùm negarent ut alienum à dignitate sua, saltem ut larvam id facerent, petiit; quod cùm subterfugere non possent, saltúsque levissimos exercerent, subitò latentes sub cortinis satellites prosilierunt, & omnibus larvas detraxerunt, tanto eorum pudore, ut suffecerit ad vitam auferendam.

*S. Cyrill. l.1.apol. mor.c.14.* XIV. Canna palustris juxta aliam saccaream & melleam arundinem uno anno sic excrescens, ut aliquot cubitis altior alterâ esset, comásque & folia latè explicans, saccaream velut parvam & gravilem cùm despiceret, hæc modestè respondit, non invidere se excelsum verticem, nam excelsas arbores plerumque infrugiferas esse, ac ignis pabulum, sed & ipsam omni fructu vacuam brevi confringendam, igníque adjudicandam esse, se verò in pretio habendam, ac in dulcissimis Dominorum cellariis asservandam. Idem Hypocritis olim eveniet.

XV. Achab quia mutato habitu se in aciem immisit, telo percussus interiit. Idem timeant Hypocritæ, si alios se fingant, bonísque admisceant. *3.Reg.22.*

## §. XII.

## AXIOMATA.

I. Rectè de Hypocritis & moribus hujus temporis dixit nonnemo: *Engelgr. in dom.5. post Pent.§1.*

Annis mille jam peractis,
Fides nulla est in pactis
Mel in ore, verba lactis,
Fel in corde, fraus in factis.

II. Communi olim proverbio dicebatur, malum, ubi se bonum simulat, ibi pessimum esse. *Langius in Polyant.*

III. Angenommne Weis/schmeckt wie ein Eys. *Floril.*

IV. Kappen/ Klayder/ und Kalck/
Bedecken manchen Schalck.

V. Es seyn nicht alle heylig/ die sich andächtig stellen. Nicht alle Köch/ die lange Messer tragen: Nicht alle Jäger/ die Hörnlein führen/ Es ist nicht alles Gold/ was glanzet. *Ibid.*

VI. Hüte dich vor Jacobs Mund/ und Esaus Hand.

VII. Nichts in der Welt ist so gemein/
Als falsche Wort im guten Schein.

VIII. Vor Augen gut / falsch hinderuck/
Ist aller Gleisner Maisterstuck.

IX. Guter Schein/ falscher Schatten.
Hüt dich vor gutem Schein/ so hütest du dich vom Schaden.

X. Das Hirn ist nicht/ wie die Stirn.

XI. Ist das Kätzlein noch so glatt/
Es doch noch scharpffe Klauen hat.

XII. Under weissen Aschen ligen offt glüende Kohlen.

XIII. Heuchlerey und Gleisnerey/
Deß bösen Feinds sein Liberey.

## §. XIII.

## AUTHORES.

I. Josephus Langius in Polyanthæa. V. eodem.

II. Joannes Busæus in Panario. V. eodem.

III. Jacobus Marchantius in Tuba Sacerdotali tr.1. lect.5.

IV. Ludovicus Granatensis in Silva locorum communium fol.603.

V. Thomas Stapletonus in Promptuario text.1. in Dom.5. post Pent. & tex 5. dom.12. post Pent. & t.1. dom.22. post Pent.

VI. Joannes Dadræus in locis commun. similium. V. eodem.

VII. Henricus Engelgrav. in Dom.5. post Pent.

IN-

# TITVLVS XII.

# INGRATITUDO.

## §. I.

### QUOAD ESSENTIAM.

*Definitio.*

I.

*Ios. Lan gius V. eodem.*



EST culpabilis negligentia in debitæ Gratitudinis officio persolvendo. Seu breviùs: Est culpabilis omissio Gratitudinis debitæ.

*Seneca.*

*Actus.*

II. Beneficium acceptum negare.

III. Beneficium collatum dissimulare.

IV. Beneficium acceptum non compensare.

V. Beneficij accepti penitus oblivisci.

VI. Beneficium collatum maleficio rependere.

## §. II.

### EX S. SCRIPTVRA.

*Qualitas.*

*Luc. 17. v. 17.* I. NOn est inventus, qui rediret, & daret gloriam DEO.

*Is. 1. v. 2.* II. Filios enutrivi, & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.

*Ibid. v. 3.* III. Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israël autem me non cognovit, & populus meus non intellexit.

*Is. 5. v. 4.* IV. Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci? an quod exspectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas?

*Jer. 18. v. 20.* V. Numquid redditur pro bono malum? Quia foderunt foveam animæ meæ?

*2. Tim. 3. v. 1.* VI. Hoc autem scito, quòd in novissimis diebus instabunt tempora periculosa: erunt enim homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti.

*Deut. 32. v. 6.* VII. Hæccine reddis Domino popule stulte & insipiens? numquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te?

*Damnum.*

*Prov. 17. v. 13.* VIII. Qui reddit mala pro bonis; non recedet malum de domo ejus.

*Sap. 16. v. 29.* IX. Ingrati spes tanquam hybernalis glacies tabescet, & disperiet tanquam aqua supervacua.

*Jer. 17. v. 9.* X. In die illa erunt civitates fortitudinis ejus derelictæ sicut aratra, & segetes, quæ derelictæ sunt à facie Filiorum Israël, & eris deserta, quia oblita es DEI Salvatoris tui, & fortis adjutoris tui non eris recordata.

## §. III.

### EX SS. PATRIBVS.

*Damnum.*

I. INgratitudo est inimica animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio, ventus urens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ. *S. Bern. S. 51.*

II. Recolam ad mentem meam omnia bona, Domine, quæ fecisti mihi à juventute mea, in omni vita mea. Scio namque, quòd ingratitudo multùm tibi displiceat, quæ est radix totius mali Spiritualis, & ventus quidam desiccans & urens omne bonum, obstruens fontem misericordiæ tuæ super hominem, quia & mala jam mortua oriuntur, & viva jam opera moriuntur. *S. August. c. 18. Solil.*

III. Si accipientes divina munera taciti & immemores fuerimus, tanquam ingrati & indigni eorum subministratione fraudabimur. *S. Ambr. S. 42.*

IV. Ingratus extitit, qui plenus virtutibus DEUM non omnino nmuit. In hoc enim quisque peccator fit culpabilior, quò est DEO acceptior. Ideo enim Adam plùs peccavit, quia omni bono abundavit. *S. August. l. de pæn.*

V. Quantò majora beneficia sunt hominibus collata, tantò graviora peccantibus judicia constituta. *S. Chrysost. super Mat.*

VI. Gratiarum cessat discursus, ubi recursus non fuerit. Nec modò nil augetur ingrato, sed & quod accipit, in perniciem ei vertitur. *S. Bern. S. 1. in cap. jejunij.*

VII. Retribuebant mihi mala pro bonis. Ego attuli fecunditatem, ipsi retribuebant sterilitatem: ego vitam, ipsi mortem: ego honorem, ipsi contumelias: ego medicinam, ipsi vulnera: & in his omnibus, quæ retribuebant, unque steriles erant. Hanc sterilitatem in arbore maledixit, ubi fructum, cùm quæreret, non invenit. *S. August. in Ps. 34.*

## §. IV.

### EXEMPLA.

*Qualitas.*

I. PIncerna Pharaonis succedentibus prosperis oblitus est beneficij à Josepho accepti, ideóque ipse se redarguit, ac accusat dicens: confiteor peccatum meum; quòd videlicet oblitus Benefactoris mei non sim locutus Pharaoni pro illius liberatione. *Gen. 41.*

II. De-

*Exod. 30.* II. Dedit DEUS eam gratiam in oculis Hebræorum, ut eos omni auro & argento, rebúsque pretiosis spoliarent; at illi ex his spoliis sibi vitulum aureum conflaverunt, quem, vero DEO relicto, adoraverunt.

*Surius in vita to. 6. f. 85.* III. Quibusdam, Agarenis per cellam S. Sabæ transeuntibus & famentibus, cùm ipse radices tantùm & cortices arundinum apposuisset, illique paulò post rediissent, & caseos dactulósque attulisset, exclamavit hic Sanctus: Heu mihi! Barbari isti, parvi nostri beneficij memores referre gratiam munificè studuerunt; nos autem, qui quotidie fruimur bonis Creatoris, nullam ei vicissim studemus referre gratiam per mandatorum observationem.

*Engelgr. in Dom. 6. post Pentec.* IV. Frater Ægidius S. Francisci Discipulus cùm divitem quendam pro beneficiis acceptis ingratum vidisset, eum hoc argumento ingratitudinis convicit: Incidi, inquit, in hominem manibus & pedibus truncum, oculisque orbatum, eum cùm benignè percunctatus essem, quid reponere vellet, si manum, pedes & oculos ei aliquis restitueret? respondit: Servum me illi perpetuum consecrarem. Tum ad divitem conversus: Cùm ergo & tibi, inquit, DEUS oculos & manus, ac pedes, cæteráque corporis membra integra & illæsa tot annis servaverit, tu iis in contemptum abutêris?

*Damnum.*

*S. August. l. 21. de civ. c. 17.* V. De Adamo primo parente nostro sic loquitur S. Augustinus: Quantò magis homo fruebatur DEO, tantò majore impietate dereliquit DEUM, & factus est malo dignus æterno, qui hoc in se peremit bonum, quod posset esse æternum.

*S. Chryf. in 6. contra Iud.* VI. De Judæis quoque S. Chrysostomus: Vultis cognoscere, quanta Judæis fecit DEUS? & permanserunt semper ingrati. Septuaginta & quinque animæ ingressæ sunt Ægyptum, & factæ sunt sexcenta millia. Mortuus est Joseph, & surrexit Rex alius immemor Joseph, qui valdè illos afflixit clamaverunt ad Dominum, qui eduxit eos per Moysen ex Ægypto, & duxit in desertum. Et queruntur Moysi: Eduxisti nos in desertum, ut occideres, quasi non sint sepulchra in Ægypto. Cognosce ingratitudinem. Sed rem majorem vide. Quadraginta annis fuerunt in deserto, capillúsque illorum non crevit, neque unguis, neque vestis sordidata, nec calceus attritus, non seminaverunt, nec messuerunt, non pinsuerunt, nec coxerunt panes, sed panem de cœlo comederunt, & post tot beneficia dixerunt Aaroni: Da nobis DEUS, qui nos præcedant.

*S. Ambrof. l. 1. de Virg.* VII. De Juda S. Ambrosius ait: In proditore Dominus hoc gravissimum invenit, quo ejus condemnaret perfidiam, quòd gratiæ vicem non repræsentaverit, & conviciis amicitiæ venenum malitiæ miscuerit.

*S. Hier. in Isaiam l. 11.* VIII. Tradunt Hebræi, teste S. Hieronymo, ideo ægrotâsse Ezechiam, quòd post inauditam victoriam Judæorum & Assyrij Regis interitum non cecinerit laudes Domino, quas cecinit Moyses Pharaone submerso, & Debbora interfecto Sisara, & Anna genito Samuele.

IX. Jonas, quia non gratias DEO egerat ob hederam tam subitò productam, mox sub diluculum præparavit DEUS vermem, qui arrosit & arefecit illam. *Ion. 4.*

## §. V.

## EXEMPLA PROFANA.

*Qualitas.*

I. Athenienses à Philippo in bello capti, iterúmque dimissi, tam ingrati fuerunt, ut etiam vestes & stragulas à Macedonibus repeterent, eósque propterea in Jus vocarent. *Plutarch. in Apoph.*

II. Basilius Imper. cùm in venatione cervi cornibus per zonam arreptus in sublime ferretur, & quidam ex Famulis ejus liberandi causâ cingulum ense dissecuisset, pro munere, quod ei debebat, caput illi præcidi per summam ingratitudinem jussit, quò contra Imperatorem gladium strinxisset. *Baron. ann. 869.*

III. Athenienses, licet Socratem Apollinis judicio omnium sapientissimum declaratum, suámque juventutem præclarè ab eo institutam scirent, nihilominus tamen ob levem causam veneno oblato sustulerunt. *Sabellic. l. 7. c. 8.*

IV. Justinianus Imper. licet Belisarij Ducis sui auxilio, Persas in Oriente, Wandalos in Africa, & Gothos in Italia superâsset, horum tamen omnium immemor eum exoculari jussit, unde is postea stipem petens dicebat: Belisario nummum date, quem virtus extulit, & in imum invidia (& ingratitudo) præcipitavit. *Langius V. eodem in polyant. f. 574.*

V. Cæsar cùm inter eos, quorum manibus interemptus esset, etiam Brutum, quem tam paternè educaverat, & ad summos honores evexerat, vidisset, hoc solum quasi dolens dixit? Et tu Fili? *Beirl. in festo S. Matt. sem. 3.*

VI. Valerius Maximus meritò ingratum animum Popilij exaggerat, quòd à Cicerone priùs defensus, postea, cùm nemo Antonio in ejus cæde obtemperare vellet, ille solus tanti facinoris executionem susceperit. *Ibid.*

VII. Claudius Nero decrevit, ut, si Dominus quispiam servum ægrotantem non omni cura foveret, aut domo ejiceret, hoc ipso servus libertati restitutus foret. *Ibid.*

## §. VI.

## SIMILITUDINES.

*Qualitas.*

I. Sicut hedera arbores, quarum auxilio in altum assurgit, corrumpit, & destruit; ita ingrati suos benefactores pessumdant. *Plutarch. in Mor.*

II. Sicut dementissimè ageret, qui Tutorem Filio relinqueret pupillorum spoliatorem; ita pessimè beneficia collocat, qui ea ingratus confert. *Senec. l. 4. de ben. c. 17.*

III. Si-

*Idem in simil.* III. Sicut Siphnius lapis oleo excalfactus durescit, alioqui mollissimus; ita quosdam beneficiis reddas deteriores.

*Stapl. t. 5. in Dom. 13. post Pent.* IV. Sicut nubes solis virtute in altum subvectæ solem postea offuscant; ita ingrati à DEO exaltati gloriam ejus obscurant.

*Ibid.* V. Sicut mare omnes dulces aquas recipit, & salsas à se remittit; ita ingrati mala pro bonis reddunt.

*Ibid.* VI. Sicut mulus à matre lactatus calcibus illam ferit; ita ingrati à DEO impinguati recalcitrant.

*Ibid.* VII. Sicut Muscæ in tersissimis speculis reptantes labuntur, in asperis locis hærent; ita homines mulo beneficiorum immemores, injuriarum tenaces sunt.

*Damnum.*

*Stapl. text. 5 in Dom. 3 post Epiph.* VIII. Sicut si Rex quotannis mille aureos dari cuipiam juberet, ille verò eos omnes in venenum vel arma, quibus eum tolleret, impenderet, utique gravem iniquitatem commisisse, milléque mortes promeruisse censeretur; ita non minore pœnâ digni censendi sunt, qui DEI dona in occasionem peccandi vertunt.

*Thom. Kemp. l. 2. c. 10. n. 2.* X. Sicut mendicis gratias pro eleemosyna dicere negligentibus, nullam deinceps stipem porrigere solemus; ita non possunt in nobis dona gratiæ fluere, quia ingrati sumus Auctori, nec totum refundimus fontali origini, ut benè notavit pius Author.

## §. VII
## MOTIVA.

*Isaiæ c. 1.* I. QUia vitium hoc vehementer DEUS detestatur: hinc primum peccatum, quod Isaias à DEO populo Israëlitico exprobrare jussus erat, ingratitudo fuit, dum dixit: Audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam DEUS locutus est: Filios enutrivi, & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.

*Stapl. text. 5. in Dom. 13 post Pent.* II. Quia etiam *Natura* humana velut monstrum detestatur hoc vitium; sic enim naturale est amantem redamare, quia amori solus amor dignè repeditur; ita monstrosum est, amanti ac benefacienti gratum se non præbere.

III. Quia etiam *Bestiæ* hoc vitium oderunt: cùm tam ex variis historiis, quàm experientiâ quotidianâ constet, quantumvis feras bestias beneficiis collatis cicurari. Sed & memorabile est, quod Geminianus de Pelicano refert, quòd scilicet, dum ob effusum super pullos sanguinem, quem pro ipsis vivificandis rostro ex pectore excivit, ita debilitatur, ut à pullis ali debeat, diligenter attendat, quinam hoc officium majori sollicitudine præstent, & hos velut gratos foveat, reliquos velut ingratos & abortivos nido exturbet. Hinc

*S. Ambr. l. 6. in Hexam. c. 4.* meritò S. Ambrosius exclamavit: Quid de canibus loquar, quibus insitum est naturâ quâdam referre gratiam, & sollicitas excubias pro Dominorum salute prætendere? Quis non erubescat gratiam bene de se merentibus non referre, cùm videat etiam bestias refugere crimen ingrati? Et illæ, impertitæ alimoniæ servant memoriam, tu non servas salutis acceptæ?

IV. Quia summè *perniciosum* est hoc vitium: cùm non tantùm exsiccet fontem pietatis, rorem misericordiæ, & fluenta gratiæ, ut S. Bernardus dixit; sed etiam gravissimarum pœnarum reum faciat, cùm tantò majora ingratis supplicia sint constituta, quantò plura beneficia priùs sunt collata. *S. Bern. s. 51.*

## §. VIII.
## MEDIA.

I. SÆpe *considerare*, quantopere nobis doleat, si nobis pro minimis licet beneficiis debitæ gratiæ non agantur; hinc enim colligemus, quantopere DEO displiceat, si pro tot, támque magnis beneficiis ingrati existamus.

II. *Exempla brutorum quotidiana ponderare:* Quæ ob unum alterúmve bolum datori blandiuntur, aliáque gratitudinis signa exhibent.

III. *Desiderium cælestium donorum concipere*; sic enim incitabimur ad ingratitudinem, quæ talium donorum impetrationem impedit, totis viribus detestandam.

IV. *Beneficiorum DEI magnitudinem & multitudinem frequenter meditari*; ex hujus enim meditationis neglectu plerumque ingratitudo oritur.

V. *Beneficia potiora à DEO accepta annotare*, certáque tempora, quibus recolatur, sibi præscribere, maximè autem in primo puncto nocturni examinis ferventiùs se in gratiarum actione exercere.

## §. IX.
## ASCETICA.

I. TRia sunt præcipua, quæ circa hoc vitium ab Asceta observanda sunt. Primum est, ut benè advertat, quod S. Augustinus alicubi sapienter pronuntiavit, nimirum cultum DEI in hoc præcipuè constitutum esse, ut anima ei non sit ingrata; unde in ipso verissimo & singulari Sacrificio Domino DEO nostro gratias agere jubemur. DEUS enim bonorum nostrorum non indiget. *S. August. l. de spir. & lit.*

II. Secundum est, ut pariter bene apprehendat, nullum peonde vitium tantopere displicere DEO, ac subjectum ad divina dona accipienda ineptum reddere quàm ingratitudinem, ac proinde specialiter ab Asceta fugiendam esse, ne illud de Juda dictum audire cogatur: Tu verò homo unanimis, Dux meus & notus meus, qui semper mecum dulces capiebas cibos, &c. *Ps. 54. v. 14*

III. Tertium est, ut sciat, non modò pro secundis rebus, sed etiam pro adversis cavendam esse ingratitudinem; nam, teste S. Hieronymo,

Christianorum propria virtus est, etiam in his, quæ adversa putantur, referre gratias Creatori.

## §. X.

## CONCEPTUS PRÆDICABILES.

*Luc.17. v.17.* I. EX occasione thematis: *Non est inventus, qui rediret, & daret gloriam DEO*: Ingratorum hominum multitudo ostendi potest, seu, quod idem est, quàm commune hoc vitium sit omnibus hominibus, id quod facilè præstabitur, si tres gradus ad perfectam gratitudinem requisiti ob oculos habeantur, videlicet, ut beneficium magni æstimetur, ore deprædicetur, & facto compensetur; quæ sanè tria officia respectu DEI saltem à paucissimis observantur, cùm plerique donis DEI ad contemptum & offensam DEI abuti soleant. Vide Fabr. conc. 1. in Dom. 13. post Pentec.

*Coloss. 3. v.15.* II. Ex occasione thematis: *Qui reddit malum pro bonis, non recedet malum de domo ejus*: Possunt explicari mala, quæ obvenire plerumque solent ingratis. Nimirum 1. Malum *negatæ benedictionis* in rebus temporalibus, quia gratiarum cessat discursus, ubi recursus non fuerit. 2. Malum *infamiæ*, quam meritò incurrit ingratus apud DEUM & homines, utpote qui negligit officium, quod ipsa bruta tam sollicitè solent præstare.
*S. August. c.18. sol.* 3. Malum *culpæ*, cùm, teste S. Augustino, ingratitudo sit radix totius mali Spiritualis, & ventus omne bonum desiccans. 4. Ma-
*S. Chrysost. super Mat.* lum *pœnæ*: Quia quantò majora cuique beneficia sunt collata, tantò majora quoque ingrato supplicia sunt constituta, ut S. Chrysostomus dicere solebat. Vide Fabrum conc. 3. in Dom. 13. post Pent.

*Isaia 1. v.2* III. Ex occasione thematis: *Filios enutrivi, & exaltavi, & ipsi spreverunt me*: Ostendi potest, quàm justè hæc Verba DEUS etiam nostris temporibus usurpare possit, imò longè potiori titulo. 1. Quia longè majori sollicitudine enutrivit, alens cibo & potu longè præstantiori corporis scilicet & sanguinis sui, medicinam quoque pretiosiorem longè per Sacramentorum Institutionem offerens, & majorem Sapientiam communicans per clariorem sui, rerúmque cælestium cognitionem instillatam. 2. Quia etiam copiosiùs longè exaltavit, dum plura & efficaciora media suppeditavit ad virtutum, per quas solas verus honor & gloria obtinetur, perfectionem obtinendam, majorémque cum ipso Amicitiam, qui supremus dignitatis gradus est, comparandam. Ostendatur dein, quàm gravem oporteat esse contemptum eorum, qui post tot tantósque favores ac honores collatos, nihilominus adhuc ipsum odio prosequi & spernere ausi sunt, cùm tamen ipsa bruta ad noscendum à natura impelli solita, parvo quandoque cibo cicurentur, & ad beneficia potiùs, quàm damna inferenda pertrahantur. Juvabit hunc in finem illa Psalmistæ Verba: Si Inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, &c. cum sequentibus paulò fusiùs explicare. *Ps.51.v.14*

IV. Ex occasione thematis: *Pro eo, ut me diligerent, detrahebant mihi*: Ostendatur, quàm verè Ingratitudo *detractio* dicatur, tum respectu DEI, cujus beneficentia & amor erga Christianos minoris longè æstimatur apud Gentiles & alios Ecclesiæ hostes, si videant ipsos Christianos in æstimandis beneficiis specialibus à DEO collatis tam negligentes esse. Deinde pariter ostendatur, quàm gravis maledictio maneat ejusmodi ingratos Christianos, illa nimirum quam David in citato psalmo expressit dicens. 1. *Constitue super eum Peccatorem, & Diabolus stet à dextris ejus*, qui eum ab uno peccato in alterum præcipitet. 2. *Cùm judicatur*, (maximè in extremo judicio) *exeat condemnatus*. 3. *Oratio ejus fiat in peccatum*; quia locutus est adversùs me labiis dolosis, & sermonibus odij circumdedit me. 4. *Fiant dies ejus pauci* quia, cùm non agnoscat beneficia Conditoris & Conservatoris sui, non meretur illis diutiùs frui. 5. *Nutantes transferantur Filij ejus, & mendicent*: Quia ipse utentem super bona sua temporalia induxit. 6. *Diripiant alieni labores ejus*: Justo DEI judicio in digniores & magis gratos dispensantis. 7. *Non sit illi adjutor, nec sit, qui misereatur Pupillis ejus*: quia indignus est adjutorio, qui tam parvi illud æstimat. 8. *Dispereat de terra memoria ejus*: Quia æquum est, ut hominum oblivionem incurrat, qui tanti Benefactoris sui oblivisci ausus est. *Ps.108. v.4.*

## §. XI.

## MISCELLANEA.

### *Qualitas.*

I. INter plurima, maximáque vitia nullũ frequentiùs est, quàm ingrati animi, ut jam olim rectè advertit Seneca. *Senec.l.1. de benef. c.1.*

II. Diogenes quærenti, quid apud homines celeriùs senesceret? beneficium, inquit; dici enim vix potest, quanta beneficij accepti apud plerosque sit oblivio. *Stobaus apud Langium in Polyant.*

III. Themistocles Atheniensibus ipsum contumeliâ afficientibus, quid tumultuamini, inquit, adversus eos, à quibus sæpenumero commodis fuistis affecti? Ajebat autem se similem platanis, sub quarum umbra accurrunt homines afflicti tempestate, & easdem mox, ubi serenitas redit, vellunt, & lacerant. *f.572. Plutarch. in apoph.*

IV. Plato Aristotelem mulum vocare solebat, eò quòd, sicut mulus post lac à matre acceptum, eandem calce ferit; ita ille quoque post lac sapientiæ à Platone haustum peripateticam scholam contra ipsum instituerit. *Ælian.l.4. de var.hist.*

V. Al-

*Panorm. de rebus Alph.* V. Alphonsus Rex objurgatus, quòd in Alvarum Lunam hominem ingratissimum tot beneficia contulisset, quorum ipse ne meminisset quidem, respondit: an ignoratis, ingenti beneficio non nisi ingenti ingratitudine satisfieri.

*Lev. 7.* VI. In veteri lege holocaustum, quod offerebatur pro gratiarum actione, non erat in crastinum servandum, ut per hoc ostenderetur, gratiarum actiones non differendas esse.

*Ezech. 46. 9.* VII. Per Ezechielem præcepit DEUS, ut qui templum ingrediebatur, per aliam portam egrederetur, ne Propitiorio alioqui terga verteret; quo ritu docere voluit, non esse DEO beneficia conferenti per oblivionem terga vertenda.

*Guil. Par. l. 1. de Rhet. div. c. 4.* VIII. Guilielmus Parisiensis dixit, ingratitudinem esse magnum Diaboli miraculum, cùm sit vel maximè contra naturam.

IX. Fridericus Imperat. dicere solebat, ex iis, quos extulisset, quàm paucissimos gratos fuisse, idque muneribus suis actum esse, ut ex fidelibus infideles fierent.

### *Damnum.*

*Stapl. in Dom. 3 post Epiph. text. 5.* X. Seneca notavit, humanis legibus nullam Ingratitudini pœnam constitutam esse, quia tanta ejus est iniquitas, ut soli DEI Justitiæ rigidissimæ punienda relinquatur.

*Busaus in Panar.* XI. Publius Mimus dicere solebat: Dixeris maledicta cuncta, si ingratum dixeris.

*Cicero ad Attic. 8.* XII. Cicero quoque de ingratitudine dicebat: In ingratitudinis vitio nihil mali non inest.

XIII. Rectè cecinit nonnemo:

*Cornarius.* Pertusum vas est ingratus homuncio, semper
Omne, quod infundis, perfluit in nihilum.

*Langius in Pol. fol. 574.* XIV. Cerva quæpiam cùm fugiens Venatores sub vite se abscondisset, & iis prætergressis pampinos carpere cœpisset, Venatores strepitu excitati redierunt, & deprehensam armis suis occiderunt. Quæ moriens dixit: Meritò mihi hæc accidunt, quia violare servatricem meam non horrui.

### §. XII.

## AXIOMATA.

I. NOn malè cecinit Catullus: *Catullus.*
Omnia sunt ingrata, nihil fecisse benignum est.

II. Quod facis ingrato, certo perit undique facto. *Buchlerus.*

**Vndanckbarkeit hauet der Wolthat den Zapffen vom Faß ab. Verlähmet milde Hand.**

III. **Vor Wolthat wenig Danck/**
**Macht Vnwilln und bösen Gstanck.**

IV. Acerbum est, pro benefactis malorum messem metere. *Florileg. p. 1.*

Vndanckbarkeit ist hart zu verkochen.

V. Wer gspärig säet die Danckbarkeit/
Wird gspärig schneidn Freygebigkeit.

VI. Vndanckbarkeit ist ein Faß ohne Boden/ dardurch alle Gutthaten außfliessen.

VII. Die Gutthat schilt/ ders nit vergilt.

VIII. Wer mit gewischtem Maul vom Tisch geht/ kombt so bald nicht mehr hinzu.

IX. Vndanckbar Gmüth/ Gut übel hüt.

X. Gspäriges Dancken / macht gspäriges Empfangen

XI. In harte Erden ist übel zu säen.

### §. XIII.

## AVTHORES.

I. JOannes Busæus in Panario. V. eodem.
II. Josephus Langius in Polyanthæa. V. eodem.

III. Thomas Stapletonus in Promptuario text. 5. in Dom. 13. post Pent. & tex 5. in dom. Palm.

IV. Laurentius Berlinck. in Festo S. Matthiæ Apostoli. textu. 3.

V. Matthias Faber conc. 1. in Dom. 13. post Pent.



# TITVLVS XIII.

# INVIDIA.

## §. I.

## QUOAD ESSENTIAM.

### *Definitio.*

I.



S.Thom.2.2.q.36.a.1. EST tristitia de bono alterius, in quantum æstimatur diminuere gloriam propriam. Depingitur ut *Femina* (quia infirmi animi vitium est, & in Feminis maximè reperitur) *Annosa* (quia

Vide Marchant.tr.4. tuba Sac. lect.1. ab initio mundi ætas ejus) *vipereas carnes manducans* (quia non nisi alienis pascitur malis, & ut vipera detrahere gaudet famæ proximi) *macie & pallore confecta* (quia invidus perpetuis curis & tristitiis intabescit) *cor proprium edens* (quia suum proprium subjectum consumit) *oculos habens obscuros & lividos* (quia mentis oculum confundit, rectúmque judicium obnubilat.)

### *Divisio,*

S.Thom.l.c. II. Dividitur in eam, quæ tristatur de bono alieno, in quantum est *perniciosum* sibi vel alteri: & eam, quæ tristatur de bono alieno, *quatenus nobis deest:* & eam, quæ tristatur de bono alieno, *in quantum Possessor ejus indignus est:* & eam denique, quæ tristatur de bono alieno, *in quantum aliquem excedit alter in illo;* & hæc species propriè Invidiæ nomen meretur.

### *Actus.*

III. *Tristari & indignari de bono alterius:* Sicut Cain tristatus est, quòd DEUS Sacrificium Abelis respexerit.

S. Prosper l.3. de vit. cont.c.9. IV. *Lætari de malis alterius:* Uti S. Prosper his verbis expressit; De bonorum malis gaudent, de profectibus lugent, & inimicitiis gratuitis ardent.

V. *Bona aliorum silentio tegere:* nam sicut vultures per amœna & odorata prata volantes, eadespiciunt, & prætereunt; ita Invidi non nisi illa, quæ alteriùs gloriam imminuere possunt, observant.

S.Basil.in orat. de Invid. VI. *Manifestam aliorum virtutem calumniari;* nam ut S. Basilius rectè advertit, Fortitudinem audaciam potiùs appellant; modestum, sine sensu hominem; Justum, immitem; & nimiùm severum: Prudentem, astutum: Magnificum, vastum: liberalem, ut prodigum taxant; domesticè frugalem, avarum dicunt. Denique omnis virtutis species in vicina vitiorum nomina convertunt. Quæ omnia in Pharisæis Christi actiones observantibus & malè interpretantibus videre est; hinc illæ voces: Non est hic homo à DEO, qui Jo.9.v.16. Sabbatum non custodit. Quare cum Peccatoribus & Publicanis manducat Magister vester? In Beelzebub principe Dœmoniorum ejicit Dœmonia. Matth.9.v.11. Luc.11.v.15.

VII. *Aliorum bona opera impedire:* idque vel detractionibus eorum famam obscurando; vel propriis laboribus occasionem bene agendi illis præripiendo. Hinc Apostolus dicebat: Quidam propter invidiam & contentionem; quidam autem & propter bonam voluntatem Christum prædicant. Philipp.1.v.15.

## §. II.

## EX S. SCRIPTURA.

### *Qualitas.*

I. Cùm sit inter vos zelus & contentio, nónne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis? 1.Cor.3.v.3.

II. Invidiâ Diaboli mors introivit in orbem terrarum; imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius. Sap.2.v.24.

III. Circumveniamus justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Sap.2.v.12.

IV. Nequam est oculus Invidi, & avertens faciem suam, & despiciens animam suam. Eccl.14.v.8.

### *Fuga.*

V. Ne comedas cum homine invido, & ne desideres de cibis ejus, quoniam in similitudine arioli & conjectoris æstimat, quod ignorat. Comede & bibe, dicet tibi, & mens ejus non est tecum. Prov.23.v.6.

VI. Cùm ceciderit Inimicus tuus ne gaudeas, & in ruina ejus non exultet cor tuum, ne fortè videat Dominus, & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam. Prov.24.v.17.

VII. Deponentes igitur omnem malitiam & invidias, & omnes detractiones sicut modò geniti Infantes, rationabiles, & sine dolo lac concupiscite, ut in eo crescatis in salutem. 1.Petr.2.v.1.

VIII. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes. Gal.5.v.26.

IX. Neque cum invidiâ tabescente iter habebo, quoniam talis homo non erit particeps Sapientiæ. Sap.6.v.25.

Dam-

*Damnum.*

*Iud. v. 11. 1. Io. 3. v. 12.* X. Væ illis, qui in via Cain abierunt. Propter quid (enim) Cain occidit Abel? quia opera ejus erant maligna, Fratris autem ejus justa.

*Prov. 17. v. 5.* XI. Qui in ruina lætatur alterius, non erit impunitus.

*Iac. 3. v. 16.* XII. Ubi Zelus & contentio, ibi in constantia & omne opus pravum.

*Prov. 14. v. 30.* XIII. Vita carnium, sanitas cordis: putredo ossium invidia.

*Eccl. 14. v. 6.* XIV. Qui sibi invidet, nihil est illo nequius, & hæc est redditio malitiæ illius.

*Ps. 36. v. 1.* XV. Noli æmulari in malignantibus, neque zelaveris facientes iniquitatem; quoniam tanquam fœnum velociter arescent, & tanquam olera herbarum citò decident.

## §. III.

## EX SS. PATRIBUS.

*Qualitas.*

*S. Chrys. ho. 44. ad Pop. Antioch.* I. INvidi pejores sunt feris, Dœmonibus autem pares, & ferè deteriores; nam feræ escâ indigentes, vel à nobis irritatæ adversus nos armantur; Invidi verò etiam beneficiis allecti benemeritos maleficiis prosecuti sunt. Dœmones quoque licet contra nos bellum exerceant impacatum, consortibus tamen generis non insidiantur; Invidi verò neque Naturæ communionem reveriti sunt, neque sibi pepercerunt.

*S. Greg. Nazianz.* II. Invidia non solùm multos, sed & optimos tangit.

*S. Cyprian. apud Beyrl. in fest. S. Io. Bapt.* III. Quale malum est, quo Angelus cecidit? quo circumveniri & subverti alta illa sublimitas potuit? quo deceptus est, qui decipit?

*sent. 2. Salvianus l. 5 de provid.* IV. Prosperitas aliena illi (Invido) supplicium est; & parùm est, si ipse sit felix, nisi alter fuerit infelix.

*Fuga.*

*S. Cyprian. f. de zelo & livor.* V. Nihil magis Christiano cavendum, nihil cautiùs providendum, quàm ne quis invidiâ & livore capiatur; ne quis, dum Zelo in Fratris odia convertitur, gladio suo nescius ipse perimatur.

*S. Basil. ho. 11.* VI. Fugiamus intolerabile malum, serpentis id est præceptum, Diaboli inventum, Inimici satio, punitionis arrhabo, pietatis impedimentum, via ad gehennam, regni cælorum privatio; nam & ipso fatentur ore hoc vitium Invidi. Aspectus illis est aridus & obscurus, gena subtristis, supercilium demissum, anima ipso morbo suffusa, prudentiâ destituta.

*S. Aug. f. 3. de temp.* VII. Consideret unusquisque conscientiam suam, & si se videat de prosperitate Proximi sui invidiæ veneno percussum, evellat de pectore suo spinas & tribulos, ut in eo semen Domini quasi in fertili agro multiplicatâ segete luminis concipiatur, ut amaritudo invidiæ, Christi dulcedine leniatur.

*Damnum.*

*S. Hier. ad Demetr.* VIII. Oro te, quid Invido delectationis præstat invidia? quem secretis quibusdam conscientia ungulis livor ipse discerpit, & alienam felicitatem tormentum facit?

*S. Greg. l. 5. mor.* IX. Parvulus est, qui invidiâ occiditur, (teste Jobo) quia nisi ipse inferior existeret, de bono alterius non doleret.

*Ibid.* X. Quamvis per omne vitium, quod perpetratur, humano cordi antiqui Hostis virus infunditur, in hoc tamen nequitia sua tota viscera commovit serpens, & imprimendæ malitiæ pestem vomuit.

*S. Chrys. super Matt.* XI. O invidia, quæ semper sibi inimica est; nam qui invidet, sibi quidem ignominiam facit; illi autem, cui invidet, gloriam parit.

*S. Prosp. l. 3. de vit.* XII. Tantos invidus habet justæ pœnæ tortores, quantos invidiosus habet laudatores.

*S. Basil. hom. 11.* XIII. Invidia est interitus vitæ, pestis naturæ, adversa omnibus bonis ex DEO venientibus, demum ipsi DEO contraria.

*S. Cyprian. f. de Zelo & livor.* XIV. Invidia radix est malorum omnium, fons cladium, seminarium delictorum.

*S. Chrysost. ho. 44. ad pop. Antioch.* XV. Grave quid invidia, grave & simulatione plenum. Hoc mundum innumeris replevit malis. Ex hoc morbo litibus plena sunt tribunalia, ex hoc pecuniarum amor, ambitio & inanis gloria. Hinc urbes obsidentur, & mare Piratas habet. Hine per orbem cædes, hinc genus nostrum dissipatum est. Quodcunque malum videris, ex hac radice producitur. Jam enim & in Ecclesias bacchata est, & priùs innumera patravit mala.

*S. Isid. sol. 2.* XVI. Invidia sibi primùm nocet, primum Auctorem suum mordet, mentem officit, cor quasi pestis depascit, animum urit.

*S. Greg. l. 3. part. c. 11.* XVII. Hæc est hospes, qui apud suum Hospitem inhospitaliter hospitatus, sui Hospitis labefecit hospitium. Hæc est possessio suum possidens possessorem; quæ, dum alios detractionum latratibus vexat, sui possessoris animum intestino morsu profundiùs inquietat.

## § IV.

## E X E M P L A.

*Qualitas.*

*1. Reg. 18.* I. SAul, ubi audivit cantantes Mulieres: percussit Saul mille, & David decem millia. Iratus est nimis, & displicuit in oculis ejus sermo iste; nec rectis oculis aspiciebat David à die illa, & deinceps.

*S. Bern. s. 7. in Cant.* II. Lucifer, postquam intellexit, decretum esse à DEO, ut Filius DEI naturam humanam assumat, invidens ei talem dignitatem, rebellionem cum complicibus incepit.

*Genes. 27. v.* III. Esau odit semper Jacob pro benedictione, quâ benedixerat ei Pater dixitque in corde suo: Venient dies luctus Patris mei, & occidam Jacob fratrem meum.

*Gen. 26.* IV. Palæstini invidentes Isaac, quòd ita benediceretur à Domino, puteos ejus obstruxerunt.

Gen. 30. V. Filii Jacob invidebant Fratri suo, nec poterant ei quicquam pacificè loqui, quòd à Patre plùs aliis diligeretur.

*Damnum.*

Esther. 7. VI. Aman Agagites invidens gloriæ Mardochæi, quæsivit ab Asuero Rege deleri totum genus Judæorum, & ipsum Mardochæum in ligno præparato suspendi; Sed mediante Regina Esther versa est sententia contra eum, ut illo die suspenderetur in ligno ab eo præparato, & omne genus suum.

Sap. 2. VII. Invidiâ Diaboli primi Parentes seducti sunt, & mors in orbem terrarum introivit.

Gen. 4. VIII. Cain ob invidiam erga Abel conceptam perimum homicidium perpetravit.

Marc. 15. v. 10. IX. Propter invidiam Pontifices Christum tradiderunt, & morti adjudicari petiverunt.

Spec. Ex. dist. 2. ex. 212. X. Invidus quidam Monachus de psalterio furto sublato Paphnutium falsò accusans, à Dœmone sic obsessus est, ut à nullo alio (licet plures in illo conventu gratiam pellendi Dœmones haberent) expelli potuerit, quàm à Paphnutio.

Ib. dist. 9. ex. 133. XI. Aulicus quidam, cùm Æmulum suum apud Regem de Adulterio cum Regina commisso falsò accusâsset, eóque rem deduxisset, ut Rex mandatum Calcariis daret, ut primum Aulicum, qui ad ipsos venturus esset, in fornacem projicerent, justo DEI judicio, (quia æmulus ejus priùs ad Calcarios missus, interea ad Sacellum Missam auditurus diverterat) primus ad ipsos venit, & in fornacem conjectus periit.

S. Greg. l. 2. Dialog. c. 8. XII. Invidus Sacerdos Florentius quia S. Benedicto venenum dedit, & septem nudas puellas in ejus conspectu choreas ducere jussit, mox repentina morte interiit.

Padag. Christ. p. 2. c. 7. §. 5. ex Baronio to. 6. ann. 451. n. 50. XIII. Lugduni cùm Puella quædam Maritum quempiam turpiter deperiisset, eúmque in finem Uxorem ejus, feminam honestissimam in suspicionem commissi adulterii pertraxisset, occulto quopiam morbo gravissimè correpta est, nec citiùs mori potuit, quàm crimen ex invidia admissum fateretur.

*Fuga.*

Num. 11. XIV. Cùm duo Viri in castris prophetarent, Josuéque Moysi id nuncians rogaret, ut id prohiberet illis, respondit Moyses: Quia æmularis pro me? utinam omnes prophetent.

March. tr. 3. tub. fac. lect. 5. XV. S. Gregorius Nazianz. cùm videret Ecclesiam propter suos æmulos perturbatam, dixit: Absit à me, ut mei causâ unquam aliqua simultas inter DEI Sacerdotes oriatur. Illud Jonæ usurpabo: Si propter me orta est tempestas, mitte me in mare.

## §. V.

## EXEMPLA PROFANA.

*Qualitas.*

Sueton. in Imp. I. Caligula Cæsar pulchros & comatos, si quos obvios haberet, occipitio raso deturpatos præ invidia fieri curavit.

II. Theophilus Imper. jamjam moriturus, ne Theophobus, quem ex invidia in carcerem conjici jusserat, superesset, caput illius præcidi, sibíque offerri jussit; quod exangui manu apprehendens, & cum gaudio contemplans dixit: Ego posthac non ero Theophilus, nec tu Theophobus: & hoc dicto exspiravit. Engelg. Dom. 5. post Epiph. lec. 4.

III. Solymannus Turcarum Imper. Mustafam Filiorum natu maximum ob Persas devictos cum splendido triumpho à Byzantinis exceptum, & cum gaudio ad Patrem properantem, in suo conclavi strangulari jussit & cadaver ejus Militibus objici cum hoc dicto: Unus in terris DEUS, & unus Solimannus. Ibid.

IV. Alexander Magnus odit Perdicam, quia bellicosus erat: Lysimachum, quia militandi peritus: Seleucum, quia magni animi: Ptolemæum, quia omnia prosperè ei evenerunt. Ælian. l. 12. hist.

V. Cambyses Rex Persarum Fratrem interfecit, quia arcum validiùs, quàm ipse attraxerat. Suetonius.

VI. Belisarius Justiani Imperatoris Præfectus, subactis Vandalis, & triumphatis Persis oculo utroque orbatus, ad tugurium viæ regiæ adsitum confugiens, stipem à prætereuntibus hâc formulâ precabatur: Viator, da obolum Belisario, quem virtus extulit, invidia excæcavit. Bairl. in Festo. Nat. S. Io. Bapt. tent. 4.

VII. Gobrias Darii Regis Socer, ut inimicum à tergo se amplectentem interficeret, seipsum ense transfodit. Justinus.

VIII. Cùm Apollo à Jove ad explorandos eâ Hominum animos missus, in avarum & invidû incidisset jussissétq; quemvis aliquid petere, tamen conditione, ut alteri idipsum duplicatum daretur, avarus nihil petere voluit, invidus autem petiit, ut sibi unus, alteri uterque oculus erueretur. Langius in Polyanth. f. 394.

## §. VI.

## SIMILITUDINES.

*Qualitas.*

I. Sicut Sues lutosâ immunditiâ, & dœmones nostris damnis lætantur; sic Invidi calamitate Proximorum exultant, alienas jacturas suos quæstus existimant. Nónne igitur tales homines lapidibus perendi? nónne omni cruciatu torquendi? non aliter profectò, quàm rabidi canes, dœmonísque atroces Furiæ. S. Chrys. ho. 42. in Matt.

II. Sicut in sole ambulantes umbra sequitur; ita in honore & felicitate ambulantes Invidia; ubi nullum lumen, umbra nulla; sic ubi nulla felicitas, nulla invidia. Hinc illud Poëtæ: March. tr. 4. tub. sac. lect. 5.

Invidiosa meæ nempe umbra pedissequa vitæ
Ostendit rebus lumen inesse meis.

III. Sicut flammam primùm emicantem multus comitatur fumus, qui quidem evanescit; ubi ea convaluerit, plenèque se explicuerit; ita res egregias aggredientem initio multa premit Invidia, donec aucta gloria Invidiæ fumum discutiat; nam fumus gloriæ Invidia est. Plutarch. in Moral.

*Ibid.* IV. Sicut malus Consiliarius omnia depravat assidens; ita Invidia, nulla magis damnat, quàm quæ sunt optimè dicta.

*Staplet. text. 2. in Dom. 3. Quadrag.* V. Sicut ignis græcus in aquis magis inardescit, & Noctua luce mediâ magis caligat; sic Invidus in aquis gratiarum fortiùs exardescit, unde deberet extingui; & luce bonorum operum magis excæcatur, unde deberet illuminari.

*S. Epiph. hær. 40.* VI. Sicut Scarabæus Unguentum succi balsami, aut nardi, aut alium quemvis odorem bonum non sustinet, sed in stercore semper versatur; sic Invidia non nisi vitia aliorum notat, & eorum virtutes odit.

### *Fuga.*

*S.Chrys. ho. 14. in Matt.* VII. Sicut, cùm aliquem videris vinctum cervice, manibúsque ferratum, non invides, sed misericordiâ illius tangeris; ita & cùm videris divitem cunans omnino tebus circumdatum, noli propter ea illum putare locupletem, propter quæ debes eum infelicem vocare.

*Lipsius de constant. l. 2. c. 4.* VIII. Sicut si mendicum in Fabula vides, qui Regis Personam sustinet, auratum & Pulchrum vides sed non invides; Qui a latere sub auro illo scis scabiem; ita idem existimare debes de cunctis Magnatibus mundi malè viventibus.

### *Damnum.*

*Faber. conc. 6. in sept.* IX. Sicut Papiliones lucernam extingnere volentes, se ipsos amburunt; ita Invidi volentes aliis radios divinæ bonitatis eripere, sibi potius, quàm illis nocent.

*S. Basil. Orat. contra Invid.* X. Sicut Viperas dicunt abrupto Matris ventre nasci; Sic Invidia concipientem se animam corrodit ac tabefacit.

*Prov. 15. v. 20.* XI. Sicut tinea vestimento, & vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi.

*Laërt. l. 6. c. 1.* XII. Sicut ferrum absumitur rubigine; ita Invidi suo ipsorum vitio, etsi à nemine lædantur, contabescunt.

*S. Chrys. ho. 44. de livor.* XIII. Sicut furentes sæpe numero gladios in se convertunt; ita Invidi solam invisi perniciem intuentes propriam negligunt salutem.

*Erasmus Roterod. in Apoph. 832.* XIV. Sicut Apes possunt quidem infigere aculeum, sed eo relicto ipsæ etiam pereunt; ita Invidi, dum alios linguâ dolosâ lædunt, propriâ ipsi quoque malignitate contabescunt.

*Engelg. in Dom. 5. post Epiph. § 1.* XV. Sicut Navis incendiaria ad hoc constructa est, ut seipsam perdendo etiam alios perimat; ita Invidi ut malum alteri creent, seipsos perdere non verentur.

*Ibid. ex S. Hier.* XVI. Sicut Tigris musico concentu audito crudeliùs sævit, & dilaceratur; sic prosperο justi eventu peccator irascetur, & propriam dilacerabit animam.

## §. VII.

## MOTIVA.

I. QUia Vitium hoc màximè adversatur *Bonitati divinæ* utpote omnia sua bona summâ cum caritate communicanti.

II. Quia *statui beatorum* in cœlis repugnat; nam & hi de felicitate mutua gaudent, nec minor majori gloriam invidet suam.

III. Quia *Dæmonibus similem facit*: cujus invidiâ mors in mundum introivit; &, ut S. Cyprianus ait, ille Angelica Majestate subnixus, ille DEO acceptus & carus, postquam hominem ad imaginem DEI factum conspexit, in Zelum malevolo livore prorupit, non priùs alterum dejiciens instinctu Zeli, quàm ipse Zelo antè dejectus: captivus antè, quàm capiens: perditus antè, quàm perdens; dum stimulante livore homini gratiam datæ immortalitatis eripit ipse quoque, id, quod priùs fuerat, amisit. Imò, teste S. Chrysostomo, Invidus ipso Diabolo est magis Diabolus; nam Sathan invidet quidem hominibus, sed socio nemini; invidus verò homo cùm sit, etiam hominibus invidet. *S. Cypr. ho. 43. ad pop. Antioch.* *S. Chrys. ho. 4. in c. 21. Gen.*

IV. Quia, teste S. Chrysostomo, tale malum invidia est, quâ *nulla unquam malignitas pejor invenitur.* Id quod in specie magis declarans S. Cyprianus, non est, inquit, quòd aliquis existimet, malum istud una specie contineri, aut brevibus terminis, & angusto fine concludi. Latè patet Zeli multiplex & fecunda pernicies, radix est omnium malorum. Inde odium surgit, animositas inde procedit, avaritiam Zelus inflammat, dum quis non potest suo esse contentus, videns alterum ditiorem. Ambitionem Zelus excitat, DEI timor spernitur, Magisterium Christi negligitur, judicii dies non prævidetur. Inflat superbia, exacerbat sævitâ, perfidia prævaricatur, impatientia concutit, furit discordia, ira fervescit. Nec se potest jam cohibere, nec tegere, qui factus est potestatis alienæ; hinc dominicæ vinculum pacis rumpitur, hinc caritas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, unitas scinditur, ad hæreses ac schisma prosilitur, dum obtrectatur Sacerdotibus, Episcopis invidetur. *S. Chrys. ho. 46. in Gen.* *S. Cyprian. or. de Zelo.*

V. Quia hoc vitium *omni excusatione caret* apud EEUM, ut S. Chrysostomus sapienter advertit; nam Fornicator quidem concupiscentiam prætendere potest, Fur paupertatem, Homicida furorem; tu vero (o Invide) quam prætendes causam? nullam penitus, nisi tantùm intensam nequitiam. Hoc vitium fornicatione peius est & adulterio. Hoc enim in operato tantùm sistit, invidiæ verò vis totam subvertit Ecclesiam, & toti nocet terrarum orbi. *S. Chrys. ho. 44. ad pop. Antioch.*

VI. Quia vitium hoc *propemodum incurabile* est: Nam quemadmodum oculi difficulter curantur, quia teneri sunt & reconditi; ita & invidia tam fœdum malum est, ut Invidus ipse se prodere non audeat, sed potiùs gaudium simulet, & tacitè secum rumpatur. Ob quam causam nec mediū, nec medicinâ facilè invenit teste S. Basilio. Idem etiam Cassianus confirmans, usque adeò incurabilis, inquit, est ista pernicies, ut blandimentis exasperetur, infletur obsequiis, muneribus irritetur, quia, ut Salomon ait, nihil sustinet Zelus. Unde idem author de hoc vitio illud Jeremiæ Vaticinium dictum *S. Basil. or. de livor.* *Coll. 18. c. 17.*

ctum putat: Ecce ego mittam vobis serpentes regulos, quibus non est incantatio, & mordebunt vos.

S. Greg. Nazianz. apud Drex. in Ioseph. c. 2. §. 3. VII. Quia Invidus *ipse suus est carnifex*: nam, teste S. Gregorio Nazianzeno, invidia tabes est possessorum, virus ac rubigo eorum, qui eâ agitantur, sola æquissima simul & iniquissima.

S. Chrys. ho. 46. in Gen. VIII. Quia *stultum* est vitium; quippe per id obscuratio famæ Proximi quæritur, cùm tamen constet, plerumque per invidiam clariorem fieri eum, cui invidetur, Hinc D. Chrysostomus; ne ad principium eorum, quibus invidetur, sed ad finem respice, & attende, quia malitia invidentium eos, quibus invidet, clariores efficit.

S. Aug. s. 83. de temp. IX. Quia *tristissimum est* vitium; nam talibus non cibus lætus, non potus potest esse jucundus. Suspiratur semper & ingemiscitur, ac doletur diebus ac noctibus, pectus obsessum, sine intermissione laniatur. Hinc Hippias Philosophus dicebat, tales homines duplo magis, quàm cæteros calamitosos esse, cùm & propriis ex malis tristitiam capiant, & alienis.

S. Bern. s. de anim. fall. præf. vita. fol. 351. X. Quia etiam in altera vitâ *gravissimam pœnam meretur*, uti S. Bernardus insinuavit dicens: Considerate, obsecro, qualiter Invidos punitura sint mala sua, quos etiam bona punirunt aliena.

## §. VIII.

## MEDIA.

S. Greg. l. 3. mo. I. *Terrena bona contemnere*: nam, ut S. Gregorius dixit, tantò quisque plùs invidet, bona præsentia, quantò minùs ea ipse contempserit.

S. Greg l. 5. mor. c. 32. II. *Ad cælestia bona anhelare*: ita idem S. Gregorius suasit his verbis: Qui livoris peste carere desiderat, illam hæreditatem diligat, quam cohæredum numerus non angustat, quæ & omnibus una est, & singulis tota, tantò largior esse ostenditur, quantò ab hac percipientium multitudo dilatatur.

III. *Omnes proximos ut membra ejusdem corporis Mystici intueri*: sic enim, ut nullum membrum alteri de sua sanitate vel felicitate invidet, sed congaudet potiùs, ita & nos de Fratrum nostrorum felicitate gaudebimus potiùs, S. Greg. l. 3. past. adm. 11. quàm tristabimur; ita S. Gregorius iterum suasit dicens: Sic sunt universi consistentes in fide, sicut multa membra uno continentur in corpore, quæ per officium quidem diversa sunt, sed eo, quo sibi vicissim congruunt, unum fiunt. Unde fit, ut pes per oculum videat, & per pedes oculi gradiantur, ori auditus aurium serviat, & ad usum suum auribus oris lingua concurrat, suffragetur venter manibus, ventri operentur manus. Nimis itaque turpe est, non imitari, quod sumus.

S. Aug. de vero DEO. IV. *Radicem Invidiæ tollere*: nam, ut S. Aug. dixit, Invidia est Filia superbiæ; sed ista superbia nescit esse sterilis: ubi fuerit, continuò parit. Suffoca Matrem, & non erit Filia.

V. *Credere, se omnibus DEI donis indignum esse*; sic enim facilè tolerabitur, si alii in donis excellere videantur.

VI. *Perfectam voluntatis suæ cum divina conformitatem procurare.*

## §. XI.

## ASCETICA.

I. De hoc vitio tria præcipuè advertere debet Asceta. Primum est, ut firmiter sibi persuadeat, etiam perfectionis studiosis hoc vitium non parùm insidiari, id quod claris verbis S. Hieronymus docuit dicens: Ut soli DEO puram clementiam derelinqui, Filiorum Zebedæi consideremus exemplum, pro quibus cùm Mater mota pietatis affectu nimis grandia postulâsset, reliqui decem discipuli indignati sunt. Quòd etiam confirmavit S. Bernardus, dum dixit: Mementes nosmetipsos nobis, sentimus aliqui nostrûm pro nostri infirmitatis experientiâ, quàm rara sit virtus alienæ non invidere virtuti, necdùm gaudere ad illam, nedùm etiam tantò plùs, quàm ad propriam quemque gratulari, quantò se perpenderit in virtute superatum. S. Hier. ep. 146. ad Dam. S. Bern. s. 49. in Cant.

II. Alterum est, ut solidum sciat medium evitandi Invidiam; quale præ cæteris offert S. Bernardus, dum supra citatis verbis subjungit: Et quando, ais, ego proficere possum, qui Fratri invideo proficienti? Si doles, quòd invides, sentis, sed non consentis. Passio quandoque est sananda, non actio condemnanda. Tantùm non illic resideas, iniquitatem meditans in cubili tuo, qualiter videlicet foveas morbum, satisfacias pesti, persequaris insontem, benè ab illo gesta calumniando, deprimendo, pervertendo, atque impediendo gerenda. Non parùm etiam proderit, si benè ponderetur, quòd bonum, ob quod alteri invidendum incitamur, per fugam Invidiæ nostrum facere possimus, uti benè S. Augustinus advertit dicens: Tolle invidiam, & tuum est, quod habeo: tolle invidiam, & meum est, quod habes. Ibid. S. August. super Ioan.

III. Tertium est, ut, quoniam teste Salomone, calumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis illius, maximè si ab Invidia procedat, maturè se ad ejusmodi tela Invidiæ ab aliis sustinendæ præparet; quis enim unquam virtutis amicus exercitio hoc caruit, inquit rectè Petrarcha? percurre animo omnes terras, omnia secula, cunctas historias evolve, vix insignem virum hâc immunem peste reperies. Postea modum effugiendi docens sic loquitur: Tolle mali materiam, malum omne sustuleris. Nimiis opibus pone modum; quidquid eximiâ specie inflammare animos potest, abjice vel absconde. Si quid est, quo carere nolis, aut nequeas, modestè utere; invidiam, quam insolentia exasperat, humilitas lenit. Eccles. 7. v. 8. Petrarcha. Dial. 35.

## §. X.

## CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. Ex occasione thematis: *Qui invidet*, nihil Eccl. 14. v. 6.

nihil est illo nequius: potest explicari gravitas hujus vitii. 1. Quia *summè perniciosum est corpori* (quod sicut tinea corrodit, & sicut putredo ossium consumit) *Animæ* (quia sicut invidiâ Diaboli mors in orbem introivit, ita & in animam intrat, & velut radix omnium malorum, fons cladium, & seminarium delictorum, extremè calamitosum facit) *Famæ* (quia, ut supra ex S. Chrysostomo dictum est, ipsis feris & Dæmonibus deteriorem facit. 2. Quia *summè calamitosum* est vitium; nam, ut sapienter Card. Bellarminus advertit, nihil eo est miserius; cæteris enim vitiis aliqua vel utilitas (ut Furto) vel voluptas (ut Luxuriæ) vel honor (ut Ambitioni) comparatur; Sola Invidia nihil præter continuum acerrimùmque dolorem habet. 3. Quia *tenacissimum* est vitium: nam, ut S. Gregorius rectè dixit, mala cætera habent terminum, & quodcunque delinquitur, delicti consummatione finitur: in Latrone conquiescit scelus homicidii admissi, & prædoni rapacitatem statuit præda possessa, Invidia terminum non habet, permanens jugiter malum, & sine fine peccatum. Vide Henric. Engelgr. in Dom. 5. post Epiphan. to. 2.

*Bellarm. in Ps. 90. conc. 10.*

*S. Cypr. in Serm. de zelo.*

III. Ex occasione thematis: *Invidiâ Diaboli mors introivit in orbem terrarum*: ostendi potest, quàm commune sit hoc vitium, quámque adeò verè dixerit quispiam: Invidia in cælo concepta (per Luciferum) in Aulis nata (hinc enim ars prima Regum est, posse Invidiam pati) in Monasteriis educata (ubi vel maxima est occasio de Spiritualibus bonis invidendi) in Xenodochiis mortua est; quæ omnia fusiùs apud Engelg. l. c. §. 3. explicata vide.

*Sap. 2. v. 24.*

IV. Ex occasione thematis: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* potest dici rectè dictum esse à Siracide: Nequam est oculus (magis autem animus) lividi; atque adeò meritò illi applicari commune illud proverbium: Qui sibi nequam, cui bonus? Non enim 1. Bonus est *DEO*, cujus Providentiam taxat & calumniatur, dum ea Proximo invidet, & non data fuisse optat; imò ex DEI bonitate occasionē malitiæ sumit, quod signum est perditissimæ nequitiæ. Nec 2. bonus est *Proximo*: utpote cui bona invidet, minuit, calumniatur, eripere conatur; mala autem optat, & totis viribus procurat. Nec 3. bonus est *sibi*: quia, ut loc. cit. Siracides dixit, nequam est oculus Invidi, avertens faciem suam, & despiciens animam suam, quam in hac vita & altera gravissimis cruciatibus cruciari facit. Quæ omnia fusiùs explicata videri possunt apud Fabrum conc. 6. in Dom. Sept.

*Matth. 20. v. 15.*

VI. Ex occasione thematis: *Ne commedas cum Homine Invido*: possunt proponi remedia pro curando Invidiæ morbo, videlicet 1. *Contemptus omnium*, quæ homines in mundo æstimare solent; nam sic materia Invidiæ tollitur. 2. *Æstimatio rerum cœlestium*: facilè quippe aliis relinquit terrestria, qui meliorem sibi in cælo hæreditatem paratam esse novit. 3. *Amor proximi*: hic enim faciet, ut omnia aliorum bona communia judicentur, atque adeò proximo non invideantur. 4. *Amor DEI*: Sic enim voluntas ejus, quâ omnia sua dona cum summa Sapientia dividit sufficiet, ut nullum cuiquam bonum invideamus. Vide hæc omnia fusiùs apud Fabrum. conc. 7. in Septuag.

*Prov. 23. v. 6.*

VII. Ex occasione thematis: *Noli æmulari in malignantibus, neque Zelaveris facientes iniquitatem*: potest breve compendium omnium doctrinarum ad vitium Invidiæ pertinentium proponi. Et 1. quidem dici potest, munitionem Invidiæ in triangulo esse ædificatam, ex quorum uno angulo respicit altam civitatem; ex altero latissimam & fertilissimam planitiem; ex tertio profundam vallem; quia Invidus tres species hominum odit; Superiores, quia non est illis æqualis: Æquales, quia sunt æquales: inferiores, ne fiant æquales. 2. dici potest eam habere tres portas, quarum prima defendatur à Cain Duce eorum, qui alteri gratiam DEI invident: altera à Fratribus Josephi propugnetur, benedictionem rerum temporalium invidentibus: Tertia à Pontificibus Christum accusantibus possideatur, qui propter honores & dignitates alteri invident. 3. Dici potest, eam habere tres laterales muros ad tres Filias seu actus principales illius significandos, nempe odium, detractionem, & gaudium de malo alterius. 4. Dici potest arcem ipsam esse fœdissimam, & telis aranearum, quæ sunt Symbolum Invidorum, repletam. 5. Eam esse meritò totis viribus impugnandam, eò quòd per illam gravissima damna corpori, animæ, & bonis temporalibus inferantur. 6. optimum autem ad eam expugnandam medium esse, si ignis injiciatur geminæ caritatis, DEI scilicet & proximi. De quib⁹ vide fusiùs Marchantium in tuba Sacerd. tr. 3. lect. 6. 7. & 8.

*Ps. 36. v. 1.*

§. XI.

## MISCELLANEA.

### *Qualitas.*

I. Aristoteles interrogatus, quid sit Invidia? respondit, fortunatorum Antagonista.

*Marchant. tr. 3. tub. Sac. lect. 6. Ibid.*

II. Quòd illa, quæ proximi sunt, rudiores plerumque cum Invidiâ contemplari soleant, indicat notum distichon:

Fertilior seges est alienis semper in arvis,
Viciniúmque pecus grandius uber habet.

III. Ipsam Invidiam pulchrè Ovidius sic descripsit:

*Ovid. l. 2. metam.*

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto,
Nusquam recta acies, livent rubigine dentes,
Pectora felle vigēt, lingua est suffusa veneno,
Risus abest omnis, nisi quem fecēre dolores:
Nec fruitur somno, vigilantibus excita curis,
Sed videt ingratos, intabescitque videndo
Successus rerum, carpitque, & carpitur unà,
Suppliciúmque suum est.

IV. Themistocles adhuc adolescens dicebat, se nihil adhuc præclari fecisse, quòd Homines necdum sibi inviderent; nam sicut Cantarides vegetis maximè tritico innascuntur, & rosis pulchrè florentib⁹; sic Invidiâ præcipuè viros in sapientia & doctrina, at virture profectos invadere.

*Langius in Polyant. f. 591.*

V. Publius Mutium hominem invidū & imprimis malevolum conspicatus, aut Mutio, inquit,

*Ibid.*

quit, malum quodpiam obtigit, aut alteri cupiam bonum.

*Ibid. f. 593.* VI. Actius Sincerus, cùm in præsentia Regis Friderici quæstio orta esset: quid præcipuè ad oculorum aciem acuendam conferret? aliis alia sentientibus, pro invidia sententiam tulit, hanc enim præ reliquis rebus hanc vim habere, ut majora faciat videri bona, quæ aliis videmus obtingere.

*Ibid. f. 594.* VII. Canis quispiam cùm juxta præsepe bovum jacens latratu suo eos à pabulo arceret, eorum unus, quanta hæc, inquit, invidia est, non pani te, ut eo cibo vescamur, quem tu capere nec velis, nec possis. Quâ fabulâ rectè invidiæ malignitas designatur.

*Ælian. l. 8. anim. c. 1.* VIII. Canis Sophis Indorum Regis in certamen cum Leone admissus, fauces illius adeò tenaciter invasit, ut, licet ab initio cauda, dein crura ac postremò reliquum corpus à capite abscissum sit, ipsum tamen caput adhuc Leoni inhærens remanserit. Idem facit invidus perire malens, quàm ab alterius morsu abstinere.

*S. Petrus Chrys. f. 122.* IX. Dives Epulo dixit in Inferno: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum: de quo dicto sic loquitur B. Petrus Chrysologus: Ut video, quod agit dives, non est novelli doloris, sed livoris antiqui, & Zelo magis accenditur, quàm gehenna. Non se ad Lazarum duci postulat, sed ad se Lazarum vult deduci. O verè dura sicut infernus æmulatio!

*Fuga.*

*Sen. ep. 17.* X. De hac rectè dixit Seneca: Invidiam effugies, si te non ingesseris oculis; si bona tua non jactaveris; si scieris in sinu gaudere.

*Ibid* XI. Idem dixit: si non inviderís, major eris (fortè, quia habes id, quod tuum est: & simul, quod alterius est) nam qui invidet, minor est. Scito autem, quòd nulli invidet vir bonitate præditus.

*Damnum.*

*Hugo in c. 23. Prov. 6. Hier. in c. 33. Gal.* XII. Invidia est illa fera pessima, de qua dixit Jacob: fera pessima devoravit Joseph.

XIII. Rectè cecinit nonnemo:

Justius Invidiâ nihil est, quæ protinus ipsum
Authorem rodit, discruciatque suum.

*March. in tub. Sac. tr. 4. lect. 3.* XIV. Marchantius illa verba Jobi: Fiduciam habet, quòd Jordanis influet in os ejus: applicant Diabolo, aitque habere hunc sensum: Diabolus invidus sperat, quòd baptizati Christiani (hi enim per Jordanem, ubi baptismus suam originem sumpsit, significantur) ab ipso facilè sint per suas artes absorbendi.

*Horat. in epist.* XV. Rectè Horatius de Invidia cecinit:
Invidiâ Siculi non invenêre Tyranni
Tormentum majus.

*Drex. in Joseph. c. 2. §. 3.* XVI. Anacharsis Invidiam Animæ serram appellavit, utpote quæ eam miserimè in multas partes dividet, fœdèque laceret.

§. XII.

## AXIOMATA.

I. Figulus Figulo invidet, Faber Fabro.
Ein Bettler neydet den andern.

II. Una Domus non alit duos canes.
Zwey Hund nagen nit an einem Bain.

III. Obtat ephippia bos piger: optat arare caballus.
Keiner vergünt dem andern sein Glück.

IV. Aliena nobis, nostra plus aliis placent.
Auff anderer Leut Acker stehet der Saamen jederzeit am dickesten. Anderer Leut Kühe haben jederzeit bessere Eyter.

V. Ipsum me commedo ut Polypus. Quia Polypus non modò alios, sed etiam se fertur comedere.

VI. Christo annuente nil cui nocet livor.
Wem der HErr wohl will / kan des Knechts Neyd nicht schaden.

VII. Neydhart ist fleissiger Hauß-Vätter Nachbaur.

VIII. Vil Neyd / viel Leyd.

§. XIII.

## AUTHORES.

I. Joannes Busæus in Panario V. eodem.

II. Jacobus Marchantius tr. 4. Tubæ Sacerdotalis.

III. Hieremias Drexelius in Josepho c. 2.

IV. Josephus Langius V. eodem. in Polianthæa.

V. Petrus Canisius tomo. 3. de Justit. Christ. §. 6. fol. 81.

VI. Bernardinus Rosignolius l. 2. de disc. Christi. c. 22.

VII. Ludovicus Granatensis in Duce Pecc. c. 7. f. 648. & in Locis comm. f. 384.

XIII. Philippus D' Ontreman in Pœd. Christiano p. 1. c. 7. §. 5.

IX. Matthias Faber. conc. 6. & 7. in Dom. Septuag.

X. Henricus Engelg. in Dom. 5. post Epiph. to. post.

XI. Jacobus Alvarez. to. 2. l. 1. p. 1. c. 11. & seq.

XII. Thomas Stapletonus text. 2. in Dom. 3. Quadr.

XIII. Laurentius Beyrlinck. text. 2. in Festo Nativ. S. Jo. Bapt.

XIV. Joannes Dadræus in locis communibus similium. V. eodem f. 293.



TITU-

# TITVLVS XIV.

# IRACUNDIA.

## §. I.
## QUOAD ESSENTIAM.
### *Definitio.*
### I.

*S. Thomas. 2. 2. q. 46. a. 2. S. Aug. ep. 115. ad Nebridiũ.*



Est inordinatus vindictæ appetitus juxta S. Thomam. Vel, ut S. Augustinus definivit, turbulentus appetitus auferendi ea, quæ facilitatem actionis impediunt. Differunt autem inter se Indignatio, Ira, & Iracundia, quòd Indignatio sit stimulus quidam brevis ac subitus, acutúsque passionis vapor. Ira verò permanens ac diuturna tristitia, & veluti libido quædam se vindicandi. Iracundia denique habitus & consuetudo irascendi. Unde Antiqui eandem sub specie Martis, sive hominis furentis, in curru sedentis, galeam in capite gerentis, cum flagello in dextra, lupóque præcedente pingebant, teste Marchantio. Instar Martis quidem, quia Mars furibundus, DEUS belli dictus est, & stella illa, qui Mars appellatur, complexioni cholericæ dominatur, & ad iram movere dicitur. *In curru sedentis*: ad volubilitatem ejus significandam, nam propter complexionem cholericam & ignem prædominantem ab uno in aliud volutatur; hinc meritò Siracides de eo dixit: Præcordia Fatui quasi rota carri, quasi axis versatilis cogitatus illius. Rotæ illius (quæ sunt Inquietudo, Impetuositas, Præsumptio, Audacia) quasi impetus tempestatis. *Caput galeâ coopertum gerentis*: quia iratus judicium rationis obtectum & obnubilatum habet, ut notus ille versus indicat:

*Marchant. in tuba Sacr. tr. 6. lect. 1.*

*Eccl. 33. v. 5.*

Impedit ira animũ, ne possis cernere verum.

*Cum flagello in dextra*: Quia sicut flagellum est instrumentum percussionis livorem faciens, sic ira per vindictam percutit ac punit. Hinc Ecclesiasticus, Flagelli plaga, inquit, livorem facit, plaga autem linguæ comminuet ossa: *cum lupo præcedente*: quia iratus, sicut lupus, nemini parcit, omnes invadit, laniat, devorátque. Unde Ezechiel de ejusmodi furiosis Principibus ejus quasi lupi rapientes prædam. Et ideo jam olim etiam Marti lupus consecratus fingebatur à Poëtis.

*Eccl. 28. v. 21.*

*Ezech. 22. 27.*

### *Divisio.*

*S. Thom. 2. 2. q. 46. a. 8.*

II. Dividitur à S. Thoma in tres species, non quidem ratione objecti, sed subjecti, seu secundùm ea, quæ dant augmentum iræ. Nimirum 1. In *Fel* seu *Excandescentiam*, eò quòd hæc ira Cholericorum propria ob spirituum subtilitatem velociter exurgat, iterúmque abeat, unde ira brevis, & ejusmodi irati *acuti* ab Aristotele vocantur. 2. In *Maniam*, eò quòd ex tristitiâ præcedente causata, diu in memoria maneat, sibique & aliis sit permolesta & amara; unde tales iratos Aristoteles *amaros* appellat. 3. In *Furorem*, eò quòd non quiescat, donec vindictam exercuerit; hinc talis ira *inveterata*, & tali modo irati à Philosopho *difficiles & graves* vocantur, ut qui nec persuasionibus, nec temporis diuturnitate, sed solâ vindictâ mitigantur.

III. S. Gregorius alias Iracundiæ & Iracundorum species assignat. Nam 1. *Nonnulli*, inquit, *citiùs accenduntur, faciliùs deserunt*; & hi accensis calamis sunt similes, quia, dum vocibus obstrepunt, quasi quosdam accensionis suæ sonitus reddunt, & citius quidem flammam faciunt, sed protinus in favilla frigescunt. 2. *Alii tardiùs commoventur, sed diutiùs tenent iram*: Súntque lignis gravioribus humidísque non dispares, quæ tardiùs ac accensionem suscipiunt, attamen semel accensa diutiùs flammam fovent. 3. Alii (*quod est nequius*) *& citiùs Iracundiæ flammas concipiunt, & tardiùs deponunt*; lignis aridis ac durioribus assimilandi, quæ & accenduntur facilè, & diu ardent. 4. *Alii tardè irascuntur, & citò placantur*: humidis calamis similes, qui ob humorē tardiùs ignescunt, sed ob tenuitatem materiæ citò consumuntur.

*S. Greg. l. 5. mor. c. 32.*

### *Actus.*

IV. Primus actus iræ, quatenus est in corde juxta S. Thomam est *Indignatio*, per quam iratus eum, qui læsit, indignum reputat, ut talem læsionem ipsi procuraret.

*S. Thom. 2. 2. q. 158. a. 7.*

V. Secundus est *Tumor mentis*, per quem offensus varias vindictæ vias excogitat, & talibus cogitationibus mentem replet.

VI. Tertius, quatenus ira per os ostenditur, est *Clamor*, seu inordinata & confusa locutio, quam Christus in Evangelio per vocem *Racha* expressit.

VII. Quartus sunt *Verba injuriosa*, vel contra Deum (ut est blasphemia) vel contra homines prolata, & cum̃uniter *contumelia* nominantur.

VIII. Quintus, quatenus ira procedit ad factũ, sunt, injuriæ, per quas intelliguntur omnia nocumenta, quæ Iracundiâ impellente proximo inferuntur. Atque hi actus hoc ordine assignari etiam *Gradus* Iracundiæ dici possunt, quia, experientiâ teste, ira ab initio mente concipitur, dein voce proditur, & tandem facto ipso seu damno illato perficitur, & completur, ideóque Cœlo fulminanti non malè comparatur, quod primùm fulgurat, pòst tonat seu murmurat, & tandem omnino fulmine ferit.

## §. II.
## EX S. SCRIPTURA.
### *Qualitas.*

*Prov. 27. v. 4.*

I. IRa non habet misericordiam; nec erumpens furor; & impetum concitati spiritûs quis ferre poterit?

*Eccl.27. v.33.* II. Ira & furor utraque execrabilia sunt, & Vir peccator continens erit illorum.

*Prov. 17. v. 14.* III. Spiritum ad irascendum facilem quis poterit sustinere ?

*Prov.15. v.18.* IV. Vir iracundus provocat rixas: qui patiens est, mitigat suscitatas.

*Prov.21. v.19.* V. Melius est habitare in terra deserta, quàm cum muliere rixosa & iracunda.

*Iob.15. v.25.* VI. Tetendit (iratus) adversus DEUM manum suam, & contra omnipotentem roboratus est.

## *Fuga.*

*Eccl.28. v.8.* VII. Memorare timoris Domini, & non irascaris proximo.

*Eph.4.v.26* VIII. Sol non occidat super iracundiam vestram: nolite locum dare Diabolo.

*Iac. I.v.19* IX. Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. Ira enim viri Justitiam DEI non operatur.

*Prov.22. v.24.* X. Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso, ne fortè discas semitas ejus, & sumas scandalum animæ tuæ.

*Eccles. 7. v.10.* XI. Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit.

*Eph.4. v.31.* XII. Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia.

*Rom.12. v.19.* XIII. Non vosmetipsos defendentes carissimi, sed date locum iræ: Scriptum est enim: Mihi vindictam, & ego retribuam.

*Lev.19. v.17.* XIV. Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.

*Matth.5. v.39.* XV. Ego dico vobis, non resistere malo, sed si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram.

*Rom.12. v.17.* XVI. Nulli malum pro malo reddentes. Sed semper, quod bonum est, sectamini ad invicem, & in omnes.

*Ps.36. v.8.* XVII. Desine ab ira, & derelinque furorem: noli æmulari, ut maligneris.

## *Damnum.*

*Eccl.30. v.26* XVIII. Zelus & Iracundia minuent dies, & ante tempus senectam adducet cogitatus.

*Prov.29. v.22.* XIX. Vir iracundus provocat rixas, & qui ad indignandum facilis est, erit ad peccandum proclivior.

*Prov.27. v.3.* XX. Grave est saxum, & onerosa arena, sed ira stulti utroque gravior.

*Matth.5. v.22.* XXI. Ego autem dico vobis, quod omnis, qui irascitur Fratri suo, reus erit judicio.

*Iob.5.v.2.* XXII. Virum stultum interficit iracundia, & parvulum occidit invidia.

## §. III.

## EX SS. PATRIBUS.

### *Qualitas.*

*S.Greg. l.5. mor.* I. PLerumque per silentium clausa ira intra mentem vehementiùs æstuat, & clamosas tacita voces format. Verba sibi, quibus exasperetur, objicit, & quasi in causæ examine posita duriùs exasperata respondet.

II. Aliquando iracundus manus non exigit, sed in maledictionis jaculum linguam vertit. Fratris namque interitum precibus exposcit, & hoc DEUM perpetrare expetit. *Ibid.*

III. Nihil iracundo homine insuaviùs, nihil graviùs, nihil infestiùs, turpiùs nihil, sicut contra nihil iracundi nescio jucundiùs. Feræ potiùs, quàm iracundo homini cohabitandum est; nam illa, cùm semel mansuefacta fuerit, suam servat legem; hunc autem quoties mitigaverit, rursum efferatur. *S.Chrys. ho. 29. ad pop.*

IV. Noli æmulari, ut maligneris: æmulatur ut malignetur, qui sic irascitur peccato, ut irascatur & Fratri: Qui sic æmulatur legem, ut malignetur proximo. *Ps.36.v.8.*

V. Quando semel iræ perturbatio mentem præcipitans imperium animæ sumpserit, hominem penitus in feram convertit, nec hominem, qui rationis sit compos, esse sinit. *S.Basil. ho. 10. ex var.*

## *Fuga.*

VI. Resiste iræ, si potes; cede, si non potes. Si prævenerit, & præoccupaverit mentem tuam iracundia, & descenderit in te, non relinquas locum tuum: locus tuus patientia est. *S. Ambros. l.1. de offic.*

VII. Irasci hominis est, iram non perficere Christiani. *Salvian. ep 9.*

VIII. Ponamus, si placet, iram quoque esse bestiam quandam; quantùm igitur ab aliis erga mitigandum leonem studium commodatur, tantùm tu erga iracundiam impende curam, & effice hujusmodi cogitationem mansuetam ac mitem; siquidem & hæc fera unguibus sævissimis armatur & dentibus; & nisi illam sollicitè mansuefeceris; cuncta simul disperdet, & lacerabit. *S. Chrysost. ho. 4 in Matth.*

IX. Ne, Fratres dilectissimi, malum malo curate, nec contendite invicem calamitate mutua vincere. In rixa enim is inferior est, qui victor est, ac peccatis longè gravior discedit. *S.Basil. in hom. de ira.*

## *Damnum.*

X. Per iram sapientia perditur, ut quid, quòve ordine agendum sit, nesciatur. Per iram Justitia relinquitur, quia, dum perturbata mens judicium sine ratione exasperat, omne, quod furor suggerit, rectum putat. Per iram gratia vitæ socialis amittitur, quia, qui se ex humana ratione non temperat, necesse est, ut bestialiter vivat. Per iram mansuetudo amittitur, per iram concordia rumpitur, per iram lux veritatis amittitur, quia cùm menti iracundia confusionis tenebras incutit, huic DEUS radium suæ cognitionis abscondit. *S.Greg l.5. moral.*

XI. Janua vitiorum omnium Iracundia est, quâ clausâ Virtutibus intrinsecùs dabitur quies: apertâ verò ad omne facinus armabitur animus. *S.Hier. in Prov. l.3. c.29.*

XII. David personam in se infirmorum sumens ait: Turbatus est præ ira oculus meus. Atque ex ipsa perturbatione quid sequatur, adjunxit dicens: Inveteravi inter omnes inimicos meos. Ex ira quippe cùm turbatus fuerit oculus cordis inter inimicos nostros ad vetusta- *S. Gregor. l.8. Reg. c.51.*

tem

tem reducimur, quia inter malignos Spiritus ad vetusti hominis similitudinem revocamur.

*S. Chrysost. epist. 8.* XIII. Neque injurias illatas vindicare cupiamus, neque hostiliter in proximum affecti simus. Nihil enim omnium DEUS ita odit & aversatur, ut hominem ultionis avidum, & in animo suo perpetuas servantem inimicitias: Tantum enim ejus peccati damnum est, ut DEI misericordiam revocet, nec locum habere sinat.

*S. Chrysost. ho. 31. ad pop. Antioch.* XIV. Satiùs est, viperam vel anguem in corde tuo latere, quàm iram & rancorem. Illa namque nos repentè relinquunt; hæc autem semper remanet, dentes infigens, infundens venenum graves adducens cogitationes.

*Ibid.* XV. Quantum esse putas tormentum homini iracundo quotidie, qualiter inimicum ulciscatur, consideranti? Prorem semeopsum putit & castigat, intra semetipsum tumens, adversus se pugnans & exardescens.

## §. IV.

## EXEMPLA EXTERNA.

### *Qualitas.*

*Spec. Ex. dist. 1. ex. 116.* I. IRacundiæ deditus Frater, cùm putaret, per Fratres suos occasionem iræ sibi ministrari, in solitudinem fugit; sed cùm ibi etiam à Dæmone ter ei vas aquarum eversum esset, ideòque iratus ipse in terram illud allideret, demum videns, intùs in animo latere radicem iræ suæ, ad Monasterium redit, atque ad dictam radicem extirpandam animum applicavit.

*Ibid. dist. 8. ex 47* II. Iracunda quædam mulier, cùm propter hoc vitium omnibus esset insportabilis, & tandem à Filiis ad S. Macarium adducta, & suasu illius, peccata sua confessa fuisset (quod nunquam priùs se fecisse responderat) repentè tam mitis & mansueta evasit, ut nullis damnis aut contumeliis exasperari posset.

### *Fuga.*

*Lud. Blos. c. 4. monil. Spir.* III. Christus aliquando S. Birgittam propter iræ motum leniter reprehendens eidem dixit: Ego Creator & Sponsus tuus propter te sustinui verbera, tu verò impatiens adeò fuisti, ut verba portare non potueris. Ego stans ante Judicem tacui, & non aperui os meum; sed tu acerbiùs respondendo, & exprobrando vocem tuam nimis exultâsti: Tu debueras omnia patienter tolerare propter me, qui clavis affixus fui pro te: debueras per patientiam eum, qui erravit, ad meliora provocare. Sis ergo posthæc cautior, &, ubi ab aliquo ad iram provocata fueras, non facilè loquaris, donec ira ab animo tuo recedat. Transactâ autem animi commotione, & causâ ipsius commotionis diligenter pensatâ, poteris loqui cum mansuetudine. Quòd si loquendo nihil proficeres, & tacendo non peccares, melius faceres, & majus meritum acquireres, si sileres.

IV. Abbas Agathon dicere de se solebat: Nunquam litem habens cum aliquo dormivi, sed nec permisi aliquem mecum litem habentem dormire, quantùm ad virtutem meam pertinuit, nisi priùs cum illo in pacem redirem.

*Cassi. l. 5. instit. c. 27.* V. Cùm Joannes Abbas ab antiquo suo Sodale Pesio in eremo vastissima commorante quæreret, quid per quadraginta annos ibi egisset? illeque respondisset: Nunquam me sol reficientem vidit; subjecit: Nec me unquam iratum; licet magnæ Fratrum multitudini præfuisset.

*Surius in vita 11. Nov.* VI. De S. Martino scribit Severus Sulpitius: nemo unquam Martinum vidit iratum, nemo mœrentem, nemo ridentem: Unus idémque semper cœlestem lætitiam vultu præferens.

*Idem 14. Dec.* VII. Cùm S. Spiridioni ad aulam à Constantino Imper. vocato quidam eum in lacera veste incedentem conspicatus, alapam infregisset, ille consilium Christi secutus mox alteram quoque genam porrexit, itáque hoc facto cor percutientis permovit, ut illicò ad pedes procidens veniam peteret.

### *Damnum.*

*S. Greg. l. 4. Dial. c. 19.* VIII. Abbas Stephanus cùm totus ejus ager ad messem paratus ab improbo quodam vicino succensus esset, & alius, ut hoc nuntiaret, ad eum accurrens diceret: Væ, væ; Pater Stephane, totus ager tuus incendio absumptus est: respondit: Imò, mi Frater, væ illi, qui hoc fecit; me enim parvo, seipsum verò maximo damno affecit.

*Marchant. tub. Sac. tr. 6. lect. 2.* IX. Aleator quidam cùm omnem lusu pecuniam perdidisset, tanto furore correptus est, ut post gravissima convitia in collusores, ac horrendas blasphemias in DEUM, cœlitésque prolatas, ipsas denique in Sacello quopiam Christi crucifixi, B. Virginis, aliorúmque Sanctorum statuas aggressus, gladio in multas partes dissecuit. Ex quibus vulneribus cùm non aliter sanguis, ac si viva forent corpora, profluerent, ille attonitus, in loco tamdiu stetit, donec deprehensus in fragranti crimine, & paulò pòst in Urbe Moguntina exustus est.

*Cassian. col. 7. c. 27.* X. Abbas Moyses sanctitate famâ celebris, quia iracundiori verbo S. Macarium perstrinxerat, subitò à Dæmone possessus est.

*Thomas Cantipr. l. 2. apum. c. 18. p. 2.* XI. Cùm in Brabantia quondam Jacobo de Vittiaco Cardinale, expeditionem adversus Barbaros promulgante, quidam in publica concione veniam ab altero peteret, isque adhuc pertinaciter negaret, paulò post is eodem in loco in terram corruit, oculos horrendum in modum rotavit, óréque sanguinem tamdiu spumavit, donec à Cardinale accurrente, & cum populo in preces effuso, à terra levatus atque ad mentem revocatus, in collum Inimici ruit, & veniam petiit.

*S. Bernardinus S. 15. Quad.* XII. In monte Calvariæ cùm anno 1419. mulier quædam ab Adolescente quopiam per nimiam multitudinem truso, levi impulso ad terram prostrata fuisset, & illo veniam flexo poplite ac junctis manibus petente pertinaciter negâsset, toto populo inspectante, à Dæmone abrepta, & in puteum dejecta est.

*Ibid. V. ira. ex 1.* XIII. Cùm S. Franciscus in loco Portiunculæ quâdam vice orationi vacaret, vidit totum Monasterium à copioso Dœmonum Exercitu circumdatum, nec tamen ullum eorum intrare potuisse ob sanctitatem Fratrum, donec tandem à Fratre quopiam, qui vindictam & odium adversus alterum conceperat, ostium uni Diabolorum apertum est; qui tamen, ubi Frater ad S. Franciscum vocatus, culpámque fassus & deprecatus est, mox iterum aufugere debuit.

*Baronius ad annum 390.* XIV. Theodosius Imperator cùm in populari tumultu unus ex Aulicis illius occisus fuisset, adeo vindictæ cupidine exarsit, ut cives sub specie ludi spectaculi convocatos, quorum septem millia fuerant, inauditâ barbarie ad unum omnes occidi jusserit. Quam ob causam à S. Ambrosio communione Fidelium privatus, nec nisi post integrum ferè annum, publicámque pœnitentiam ac veniæ petitionem restitutus est.

## §. V.

## EXEMPLA DOMESTICA.

*Ribad. l. 5. Vit. c. 5.* I. SIgnatius ita iram suam perdomuerat, ut, cùm calidus naturâ, & constitutione biliosus esset, propter summam tamen lenitatem, quam in omni sermone, vitæque consuetudine adhibebat, frigidus ipsis medicis, lentúsque potiùs videretur.

*Hist. Soc. l. 11. n. 194.* II. Joannes Fernandius cùm Amanguzij ad Populum verba faciens, salivam à Japone quodam in os conjectam excepisset, nihil tanta injuriâ commotus est, sed solo strophiolo salivam absterfit, & dicere perrexit.

*Biblioth. Script. S. J.* III. P. Franciscus Suarez licet sæpe in publicis disputationibus occasionem haberet iram concipiendi, nullâ tamen unquam verborum acrimonia aut aculeo usus, nullum commoti animi signum dedit.

*Annal. Eborare. 1608.* IV. P. Ferdinandus Rebellus etsi sæpè asperis verbis intèr disputandum acriùs pungeretur, nunquam tamen vel licentiùs respondit, vel ullum irati animi signum dedit, ita ut ab Academicis alter Job diceretur.

*Hist. Soc. p. 2. l. 6. n. 95* V. P. Paschasius Broëttus cum Socio Lutetiæ propè messores transiens, cùm ab iisdem conviciis appeteretur, baculo suo innixus tamdiu perstitit, donec illi pudore & satietate abstracti conviciari desinerent; tum enim se erigens, suavissiméque illos intuens: DEUS benignè vobis faciat, Filii, ac benedicat; simúlque crucis signo facto eisdem benedixit.

## §. VI.

## EXEMPLA PROFANA.

### *Qualitas.*

*Marchant. tub fac. tr. 9. lect. 2.* I. AUgustus Cæsar cùm quondam in mari gravi tempestate jactatus, vitæ periculum vix evasisset, Neptunum maris DEUM ad certamen provocavit, eiúsque imaginem è Deorum numero auferri jussit.

*Ibid.* II. Cajus Caligula cum spectaculum populo exhibere decrevisset, & eo ipso tempore, quo institui debuerat, grandis in cælo tempestas exorta id disturbâsset, adeò exarsit, ut inprimis quidem ipse Jovem conviciis lacesseret, & ad duellum provocans diceret: aut tolle me, aut ego te; deinde verò etiam militibus suis præciperet, ut sagittas cælum versus ejacularentur, quæ tamen in populum recidentes, non paucos graviter læserunt.

*Ibid. lect. 5.* III. Cambyses Cyri Regis Filius cùm à quodam privatim moneretur, non esse decorum Regi, in quem alij velut speculum oculos conjiciunt, nimio potu, ut assolebat, se ingurgitare, tantopere exarsit, ut monitoris Filium adduci coram se jusserit, sumptóque arcu & sagittâ cor ejus transfixerit dicens: Vide, an Regis ebrij certa sit manus & oculus.

*Ibid.* IV. Judex quidam, cùm miles quispiam accusatus fuisset de morte commilitoni illata, eò quòd simul jussi fuissent iter conficere, & solus ipse reversus esset, mox eundem ad mortem damnavit. Cùm verò eo ad supplicium ducto alter miles compareret, idéoque Centurio, cui reus traditus fuerat, cum velut Innocentem ad Judicem cum commilitone reduceret, hic irâ accensus, omnes tres ad mortem damnavit, primum, quia jam condemnatus erat: Commilitonem, quia socio mortis causa erat: Centurionem, quia militem occidere jussus, id executus non fuerat.

### *Fuga.*

*Sen. l. 3. de ira. c. 12.* V. Architas Tarentinus Philosophus ad Villicum suum, qui ei indignationis occasionem præbuerat, dixit: O te felicem, quoniam egregiè te punirem, nisi iratus essem.

*Marchant. l. c. lect. 5.* VI. Alexander Magnus, cùm à Matre Olympiade vindictæ ardore incensâ ad condemnandum virum inoxium impelleretur, respondit: Pete aliud Mater; vita enim hominis nullâ aliâ re recompensari potest.

*Ravisius Textor. in offic. in. l. 5. c. c. 25.* VII. Cotys Rex Thracum, cùm ad iram proniorem se adverteret, acceptâ quondam dono vasa fictilia valde pretiosa confringi jussit, ne, si à Ministris frangerentur, ipse ad iram moveretur.

VIII. Quâ ratione Ausonius Poëta iram suppresserit, ipse sequenti distycho confessus est:

Irasci promptus properavi condere motum,
Atque mihi pœnas pro levitate dedi.

### *Damnum.*

*Nicetas Choniates in Annal.* IX. Isaacus Calo Joannis Imper. Constantinopolitani Filius imperio excidit, prælato ei Fratre Manuele natu minore tantùm ideo, quòd, ut Pater ipse moriens monuerat, ad iracundiam pronior esset, & quâvis de causâ effervescente bile moderari animo non posset.

X. Ju-

*Marchant. l.e.loch. a.* X. Julianus Apostata, quia nimiâ in Christianos irâ odióque flagrans, omnes tollere decreverat, jamque ideo bellum illis inferret, subitò sagittâ de cælo missâ vulneratus: inter illas voces: Vicisti, Galilæe, vicisti. Saturare, Nazarene, saturare: miserè expiravit.

*Matt. 2.* XI. Herodes Rex, cùm delusum se à magis videret, adeò exarsit, ut omnes Infantes à bimatu & infrà, in omnibus Urbibus Bethlehemiticis horrenda nece perimi jusserit.

## §. VII.

## SIMILITUDINES.

### *Qualitas.*

*S. Chrysost. ho. 31. ad pop.* I. Sicut humorum immoderatio stomachum vexans, ut plurimùm omnia ejicit; ita immodicus fervor animam vexans ea tegere, quæ tacere bonum est, non permittit.

*Eccl. 28. v. 12.* II. Sicut secundùm ligna silvæ exardescit ignis; sic homo secundùm virtutem & substantiam suam exaltabit iram suam.

*Arist. l. 4. Eth.* III. Sicut debilis stomachi est, duriorem cibum non posse concoquere; ita pusillanimi est, verbum duriusculum non posse sustinere.

*S. Chrys. ho. 31. ad pop.* IV. Sicut in maris tempestate tumultus multus, clamor magnus reperitur, nec ibi quis Philosophandi tempus habet; ita nec in ira.

*Stapl. t. 2. in Dom. 5. post Pent.* V. Sicut nec solis radius cernitur, cùm commotæ nubes cæli faciem obducunt; nec turbatus fons inspicientis imaginem reddit, quam tranquillus ostendit; sic animus irâ commotus nihil videt.

*Staplet. in Dom. Pass. t. 7.* VI. Sicut fur ad furandum noctem obscuram deligit: Lupus turbulentum tempus, quo gregem invadat, exspectat: Piscator fluvium quærit turbidum ad rete tendendum; ita Dæmon rapacissimus Prædo, vorax lupus, & Piscator astutus, iracundiæ tempus observat, ipseque interdum ad iracundiam movet, ut ejus occasione in mille mala hominem præcipitet.

*Ibid.* VII. Sicut arboris trunco commoto & agitato frondes & rami mira statim celeritate agitantur; sic corde per Iracundiam turbato, illicò omnia corporis membra celerrimam agitationem patiuntur; lingua garrit, oculi inflammantur, crura tremunt, manus & brachia ad ultionem armantur, saxa volant, furor arma ministrat.

*Ibid.* VIII. Sicut si sera interiores machinas laxatas turbatásque habet, nec aperiri, nec claudi potest; ita si præ iracundia interius animus conturbatur, neque ad ea, quæ rationi consentanea sunt, percipienda, neque ad verum ipsum discernendum aptus est.

*Ibid.* IX. Sicut superior pars mundi omni tumultu & tempestate caret: Inferior autem ventis agitatur, & fulgure feritur; sic sublimis animus semper sibi similis est; imbellis autem & ignavus Iracundiæ aliarúmque passionum motibus subjectus est.

X. Sicut naves egregriæ sunt, non quæ sereno cœlo navigant, sed quæ tempestati resistunt, & servantur; sic homines iræ resistentes magni & fortes censendi sunt. *Langius in Polyanth. f. 601.*

XI. Sicut olla ebulliens undique effundit aquam fervidam, nec facilè tangi se patitur; ita cor iracundiâ æstuans neminem admittit monitorem, & correctorem. Hinc sapiens ait; Os fatuorum ebullit stultitiam. *Prov. 15. v. 2.*

### *Fuga.*

XII. Sicut ad lapidem, ad quem quis impegit, non facilè aliquis, aut certè non sine cautela accedit; ita si quis ab Iracundo vel Iracundia læsum meminit, deinceps consuetudinem ejus, quantùm potest, declinat. Unde sapiens suadet: Noli esse amicus homini iracundo. *Prov. 22. v. 24.*

XIII Sicut si quis phyltro te ad insaniam redigere vellet, utique illud recusares; aut si inscius bibisses, mox per apta remedia expellere conareris; ita si injuriam tibi quis intulit, & per eam ad iram te perducere satagit, aut repellere, aut per oblivionem aliáque efficacia media ex corde rejicere debes; nam, teste Seneca, inter insanum & iratum nullum discrimen est; alter semper insanit, alter semper irascitur. *Senec. l. de ira.*

XIV. Sicut bestiam, cùm maximè effetatur, omnes fugimus: Nautæ, cùm vehemens ventus spirat, vela demittunt: Equi sessorem præcipientes, non retrahuntur, ne vires in cassùm exhauriat; igni fomes non præbetur; ita nec Iracundus animus magis efferandus, mutuísque injuriis magis accendendus est. *S. Chrys. ho. 31. ad pop.*

XV. Sicut Gubernator ventis in mari agitatus portum petit, ut à periculo liberetur; ita qui iracundiæ impetum sentit, ad rationis clavum & portum confugere debet, ne naufragium patiatur. *Idem ho. 7. de fide Annæ.*

XVI. Sicut Equis non in ipso cursu frenum injicimus, sed ante cursum; sic qui propensi sunt ad iram, priùs rationibus frenandi sunt, quàm ab ira abripiuntur. *Plutarch. in mor.*

XVII. Sicut non utimur aquâ turbatâ, nisi cùm constiterit; sic nec animo commoto utendum, nisi cùm ad se redierit. *Socrat. in mor.*

XVIII. Sicut flamma candelæ emunctorio compressa statim extinguitur; ita interior iræ commotio silentio & dissimulatione cohibita, paulatim elanguescit. *Jacob Alvar. l. 1. p. 2. c. 10. de extinct. vit.*

XIX. Sicut Nutrices dicunt pueris: ne plora, & accipies; ita dicendum animo commoto: ne clama, ne festina, ac meliùs quævis consequêris. *Aristot. apud Stobæum S. 18.*

### *Damnum.*

XX. Sicut Adamas, si confringitur, in minutissima dissilit frusta; ita arcta necessitudo, si quando contingat dirimi, in summam vertitur simultatem, & ex arctissimis fœderibus, si rumpantur, maxima nascuntur dissidia; nam supra modum incandescit semel victa lenitas. *Ibid.*

XXI.

*Stapl. text. 7. in Dom. Passion.* XXI. Sicut ruinæ cum eo, quod oppresserunt, pariter franguntur; sic iratus non tantùm alios, quibus irascitur, sed etiam seipsum lædit.

*Ibid.* XXII. Sicut vespa semel irritata, non tantùm in homines sed saxa etiam impingit, sed sibi potius, dum aculeum lædendo perdit, quàm aliis nocet; sic iratus cœco judicio furens obvios quosque invadit, sed majore suo, quàm illorum detrimento.

*Plut. trch. in moral.* XXIII. Sicut juxta Hippocratis sententiâ morbus est periculosissimus, in quo ægrotus subinde mutat oris habitum, ac sui dissimillimus redditur; ita nullus est animi morbus periculosior, quàm ira, quæ vultum, vocem, incessum sic immutat, ut idem alius esse videatur.

*Idem de cohib. ira.* XXIV. Sicut per nebulam corpora majora videntur, quàm reverà sint; ita per iram quoque omnes injuriæ majores apparent, quàm in sinceri judicij libra reperiantur.

*S. August. ep 88.* XXV. Sicut acetum corrumpit vas, si diutiùs ibi fuerit; sic ira corrumpit cor, si diu in eo asservetur.

*S. Chrysost. ho. 14. in Epist. ad Ephes.* XXVI. Sicut, si quod aëri nebulosum ac densum per noctem accessit, diurno calore sol nec dissolvere poterit, nec dissipare, causam ac materiam tempestatis exhibet; sic injuria, nisi per caritatem aut patientiam dissolvatur, grandem in corde tempestatem iracundiæ excitabit.

*Beyrlink. in prompt. in festo OO SS. text. 3* XXVII. Sicut torrentes ad loca curva decurrentes secum obvia quæque trahunt; sic & iratorum impetus violenti & instabiles omnia similiter percurrunt, ac obruunt.

## §. VIII.

## M O T I V A.

*S. Greg. l. 5 mor. c. 31.* I. QUia hoc vitium Iræ, *exuit hominem si militudine DEI*, qui eum tranquillitate judicat; dilaniat enim mentem, ut nec sibi metipsi congruat. *S. Chrysost. ho. 29. ad pop.* Hinc S. Chrysostomus dixit, feræ potiùs cohabitandum esse, quàm iraeundo homini; nam illa, cùm semel mansuefacta fuerit, servat suam legem; hunc autem quoties mitigaveris, rursum efferatur.

II. Quia *Christo dissimilem facit, & quasi ex Schola illius excludit*: *Matth. 11.* Utpote in qua non nisi mansuetudo & humilitas discitur. Si ergo tam probrosum censetur ex aliquo Gymnasio terrestri suâ culpâ excludi, quantum dedecus erit ex Schola & Gymnasio tanti Magistri ejici?

*S. Greg. l. c.* III. Quia per Iram, teste S. Gregorio, *S. Spiritûs splendor excutitur*: Quoniam Scriptum est: Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem & quietum? si ergo Ira quietem mentis subtrahit, suam Spiritui Sancto habitationem claudit.

*Ibid.* IV. Quia *gravissima Animæ damna infert*: Utpote cui Justitiam, Gratiam, Pacem aufert: Memoriam confundit, intellectum excœcat, voluntatem totam pervertit, & denique ipsam mortem affert; Unde S. Chrysostomus, ignis est vehemens ira, inquit, omnia devorans, nam & corpus perdit, & animam corrumpit. *S. Chrys. ho. 29. ad pop.*

V. Quia *Corpori quoque graviter nocet*: Nam, ut iterum S. Gregorius testatur, iræ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, & nequaquam recognoscuntur noti. *S. Greg. l. 5 mor. c. 31.* Imò etiam teste S. Basilio, ob Iram ensis acuitur, & mors homini ex homine venit. Membrorum mutilationes, vulnera, mortis præmium pugnæ ferunt. *S. Basil. ho. 10. de ira.*

VI. Quia *Societatis humanæ pestis est*: Utpote cujus summum bonum, & arctissimum vinculum, scilicet concordiam & socialem vitam tollit. Hinc Scriptum est: Quis potest habitare cum homine, cujus Spiritus facilis est ad irascendum. *Prov. 18. v. 14.*

VII. Quia, ut S. Chrysostomus rectè pronuntiavit, *nihil iracundo homine insuavius, nihil gravius, nihil infestius turpius nihil.* *S. Chrys. ho. 29. ad pop.* Quod clariùs explicans S. Basilius, Scriptura, inquit, tibi dicit: Vir iracundus turpis est? *S. Basil. ho. 21. de ira.* Quomodo turpis? Quia humanam quasi figuram amittit, feræ speciem indutus. Considera parumper iratum. Furit, debacchatur, immutantur oculi turbidi, sanguineique fiunt, cor accenditur, sanguis commovetur. Hunc videas ut aprum dentes acuentem. Hinc rectè Seneca infert: Qualem putas esse animum, cujus externa imago tam fœda est? *Senec. l. 2. de ira c. 35.*

## §. IX.

## M E D I A.

I. PPræmeditatio adversorum: Ita S. Gregorius suasit dicens: *S. Greg. l. 5. mor c. 33.* Solerter animus ante actionis suæ primordia, cuncta debet adversa meditari, ut semper hæc cogitans semper contra hæc thorace patientiæ muniatur, &, quidquid accident, providus superet; &, quidquid non accesserit, lucrum putet. Certè inexspectata, teste Seneca, plùs aggravant, novitas addit calamitatibus pondus; *Seneca de tranquill.* ideo nihil improvisum esse debet: in omnia præmittendus animus, cogitandúmque non quid soleat, sed quid possit accidere.

II. *Dilatio iræ*: Ita iterum S. Gregorius suasit his verbis: *S. Greg. l. c.* Quoties Ira animum invadit, mentem edoma, vince teipsum, differ tempus furoris. Cùm tranquilla mens fuerit, fac, quod placet. Quod confirmans S. Ambrosius, resiste iræ, inquit, si potes; cede si non potes, *S. Ambr. l. 1. offic. c. 21.* quia scriptum est: Date locum iræ. Ergo si prævenerit mentem tuam Iracundia, ne relinquas locum tuum. Locus tuus sapientia est: locus tuus ratio est: locus tuus sedatio indignationis est.

III. *Silentij usus*: Ut S. Isidorus monuit dicens: *S. Isid. l. 2. solil.* Si non potes iram vitare, tempera: si non potes furorem cavere, cohibe: tene silentium patientiæ, tacendo citiùs vincis. Scriptum quippe est: In silentio & spe erit fortitudo vestra. *Isaia.* Idem suasit S. Basilius his verbis: Si aliquid animo pateris, saltem in te conde tristitiam.

In

In me turbatum est cor meum, inquit Propheta, hoc est, non extra turbationem ostendi, sed veluti quandam intra littus abruptam undam retinui. Turbatus sum, & non sum locutus.

Eph. 4. v. 26. IV. *Matura suppressio*: Juxta Apostoli monitum: Sol non occidat super Iracundiam vestram. Nolite locum dare Diabolo. Nam, S. Ambros. ep. ibid. ut S. Ambrosius ait, Ira inveterascens fit odium, dum quasi justi doloris admixta dulcedo diutius eam in vase detinet, donec totum acescat, vásque corrumpat. Quapropter multò meliùs nec justè cuiquam irascimur, quàm velut justè irascendo in alicujus odium iræ occulta facilitate delabimur; in recipiendis enim hospitibus ignotis ista solemus dicere, multò meliùs esse, malum hominem perpeti, quàm forsitan per ignorantiam excludi bonum, dum cavemus, ne recipiatur malus. Sed in affectibus animi contra est; nam in comparabiliter salubrius est, etiam Iræ justæ pulsanti non aperire penetrale cordis, quàm admittere non facilè recessuram, & perventuram de surculo ad trabem. Audet enim impudenter crescere citiùs, quàm putatur, non erubescit enim in tenebris, cùm super eam sol occiderit.

S. Greg. l. 5. mor. V. *Propria infirmitatis consideratio*: Considerata quippe infirmitas propria, teste S. Gregorio, mala excusat aliena; patienter namque injuriam illatam tolerat, qui piè meminit, quod fortassè adhuc habeat, in quo debeat & ipse tolerari. Et quasi aquâ ignis extinguitur, cùm surgente furore animi, sua cuique ad mentem culpa revocatur, quia erubescit sibi Peccatori non parcere, qui vel DEO, vel proximo sæpe se recolit, parcendo peccâsse.

Senec. l. 2. de ira c. 36. VI. *Meditatio fœditatis*: Ita Seneca consuluit dicens; Quibusdam, ut ait Sextius, iratis profuit, aspexisse speculum; perturbavit S. Greg. orat. 9. illos tanta mutatio sui. Sicoim, ut S. Gregorius Nazianz. narrat, Dea illa cantu fistulæ delectari solita, ejusdem usum detestata est, dum deformitatem inflatione resultantem in fonte fortè conspexit, quidni idem ab Iracundo sperandum sit, si turpitudinem vitij sui consideret?

S. Chrys. ho. 3. de Dav. & Saul. VII. *Mansuetudo Christi, aliorúmque Sanctorum considerata*: nam, ut sapienter S. Chrysostomus advertit, quemadmodum qui laborant oculis, si spongias ac vestium cyaneo colore pannos tenentes, frequentet in ea intueantur, ex eo colore nonnullum capiunt morbi levamen; similiter & si tu Davidis (multò magis Christi) imaginem præ oculis habeas, & in hanc assiduè defigas oculos, etiamsi millies obtundat ira mentis oculos perturbans, ad hoc virtutis exemplar respiciens, perfectam consequêris sanitatem, puramque animi Philosophiam ac tranquillitatem. Hoc enim est, S. Basil. ho. 10. quod David ait (teste S. Basilio) Paratus sum, & non sum turbatus. Oportet itaque motus animi insanos ac præcipites exemplo Sanctorū ac beatorum præceptorum memoriâ cohibere. Hebr. 12. v. 3. Hinc & Apostolus suos Hebræos animansait: Recogitate eum, qui talem sustinuit adversus Peccatores in semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes.

## §. X.

## ASCETICA.

I. Quinque præcipuè doctrinas de hoc vitio Asceta bene nôsse & observare debet. Prima est, ut, quoniam duplex est Iracundia, Ps. 4. v. 5. bona scilicet & mala (uti S. David indicavit dicens: Irascimini, & nolite peccare; & clariùs S. Gregorius dicens: alia est ira, quam S. Greg. l. 5. mor. 31. Impatientia excitat; alia, quam zelus format; illa ex vitio, hæc ex virtute generatur) bene cognoscat, quandonam bona, licitáque sit ira; cujus quidem dignoscendæ generalem regulam assignat S. Gregorius, dum ait: Cùm per zelum animus movetur, curandum summopere S. Greg. l. c. est, ut nec hæc eadem, quæ pro virtutis instrumento assumitur, menti Ira dominetur, nec quasi Domina præeat, sed velut ancilla ad obsequium parata à rationis tergo nunquam recedat. Tunc autem non recedet, si vitiis hominis, non homini irascatur; nam, ut rectè dixit S. Isidorus, ira recta data est homini naturaliter, ad cohibendum vitia sua vel aliena, sine S. Isid. l. 3. de summo bono. mentis perturbatione, solâ caritatis intentione, ne homo serviat peccatis. Hinc rectè aliqui colligunt, tria esse, quæ iram inordinatam efficiunt, scilicet ferri vindice animo in innocentem, & à quo non sis offensus: Velle ulcisci propriâ authoritate: & vindicare non zelo justitiæ aut caritatis, sed odio & malevolentiâ limitésque vindictæ excedere.

II. Secunda doctrina est, ut bene cognoscat necessitatem & praxim Iracundiæ bonæ, quam quidem breviter, sed bene indicavit S. Chrysostomus, dum dixit: Si Ira non fuerit, nec doctrina perficit, nec Judicia stant, nec crimina compescuntur. Qui cum causâ non irascitur, peccat; patientia enim irrationabilis vitia seminat, negligentiam nutrit, & non solùm malos, sed & bonos ad malum quodammodo invitat. Hinc Salomon ait: Melior est ira risu, quia per tristitiam vultûs animus corrigitur delinquentis.

III. Tertia doctrina est, ut solidum sciat modum propriam irā compescendi, quem quidem pulchrè S. Ambrosius sequentibus verbis S. Ambr. precat. 2. ante missam. indicavit: Objice, Domine, contra tam amarissimum Iracundiæ malum, suavissimum Sapientiæ tuæ bonum, in quo specialiter animarum nostrarum salus collocatur, cùm nobis per Evangelium dicitur: In patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras. Quæ nimirum dum arcem & principatum in mente susceperit, omnes mox perturbationes compescit. Rixas & contumelias in exhortationem convertit, confusum clamorē sub ordinato silentio premit, indignationem, tumorémq; mentis mansuetudine vincit, blasphemias gratiarum actione repellit.

IV. Quarta est, ut, quoniam non modicè juvat, ad Iracundiam animo penitùs evellendam, si radices, ex quibus pullulare solet, evellantur, has ipsas bene cognoscere studeat. Discat

Stapl. text. 7. in Dom. Passion. XXI. Sicut ruinæ cum eo, quod oppresserunt, pariter franguntur; sic iratus non tantùm alios, quibus irascitur, sed etiam seipsum lædit.

ibid. XXII. Sicut vespa semel irritata, non tantùm in homines sed saxa etiam impingit, sed sibi potius, dum aculeum lædendo perdit, quàm aliis nocet; sic iratus cœco judicio furens obvios quosque invadit, sed majore suo, quàm illorum detrimento.

Plut. verb. in a. oral. XXIII. Sicut juxta Hippocratis sententiam morbus est periculosissimus, in quo ægrotus subinde mutat oris habitum, ac sui dissimillimus redditur; ita nullus est animi morbus periculosior, quàm ira, quæ vultum, vocem, incessum sic immutat, ut idem alius esse videatur.

Idem de cohib. ira. XXIV. Sicut per nebulam corpora majora videntur, quàm reverà sint; ita per iram quoque omnes injuriæ majores apparent, quàm in sinceri judicij libra reperiantur.

S. August. ep. 38. XXV. Sicut acetum corrumpit vas, si diutiùs ibi fuerit; sic ira corrumpit cor, si diu in eo asservetur.

S. Chrysost. ho. 14. in Epist. ad Ephes. XXVI. Sicut, si quod aëri nebulosum ac densum per noctem accessit, diurno calore sol nec dissolvere poterit, nec dissipare, causam ac materiam tempestatis exhibet; sic injuria, nisi per caritatem aut patientiam dissolvatur, grandem in corde tempestatem iracundiæ excitabit.

Beyrlink. in prompt. ... XXVII. Sicut torrentes ad loca curva decurrentes secum obvia quæque trahunt; sic & iratorum impetus violenti & instabiles omnia similiter percurrunt, ac obruunt.

## §. VIII.

## M O T I V A.

S. Greg. l. 5. mor. c. 31. I. QUia hoc vitium Iræ, *exuit hominem similitudine DEI*, qui cum tranquillitate judicat; dilaniat enim mentem, ut nec sibi metipsi congruat. Hinc S. Chrysostomus dixit, feræ potiùs cohabitandum esse, quàm iracundo homini; nam illa, cùm semel mansuefacta fuerit, servat suam legem; hunc autem quoties mitigaveris, rursum efferatur.

S. Chrysost. ho. 29. ad pop.

Matth. 11. II. Quia *Christo dissimilem facit, & quasi ex Schola illius excludit*: Utpote in qua non nisi mansuetudo & humilitas discitur. Si ergo tam probrosum censetur ex aliquo Gymnasio terrestri suâ culpâ excludi, quantum dedecus erit ex Schola & Gymnasio tanti Magistri ejici?

S. Greg. l. c. III. Quia per Iram, teste S. Gregorio, *S. Spiritûs splendor excutitur*: Quoniam Scriptum est: Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem & quietum? si ergo Ira quietem mentis subtrahit, suam Spiritui Sancto habitationem claudit.

ibid. IV. Quia *gravissima Animæ damna infert*: Utpote cui Justitiam, Gratiam, Pacem aufert: Memoriam confundit, intellectum excœcat, voluntatem totam pervertit, & denique ipsam mortem affert; Unde S. Chrysostomus, ignis est vehemens ira, inquit, omnia devorans, nam & corpus perdit, & animam corrumpit.

S. Chrys. ho. 29. ad pop.

V. Quia *Corpori quoque graviter nocet*: Nam, ut iterum S. Gregorius testatur, iræ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, & nequaquam recognoscuntur noti. Imò etiam teste S. Basilio, ob Iram ensis acuitur, & mors homini ex homine venit. Membrorum mutilationes, vulnera, mortis præmium pugnæ ferunt.

S. Greg. l. 5. mor. c. 31.

S. Basil. ho. 10. de ira.

VI. Quia *Societatis humanæ pestis est*: Utpote cujus summum bonum, & arctissimum vinculum, scilicet coocordiam & socialem vitam tollit. Hinc Scriptum est: Quis poteſt habitare cum homine, cujus Spiritus facilis est ad irascendum. Prov. 18. v. 14.

VII. Quia, ut S. Chrysostomus rectè pronuntiavit, *nihil iracundo homine insuavius, nihil gravius, nihil infestius turpius nihil.* Quod clarius explicans S. Basilius, Scriptura, inquit, tibi dicit: Vir iracundus turpis est? Quomodo turpis? Quia humanam quasi figuram amittit, feræ speciem indutus. Considera parumper iratum. Furit, debacchatur, immutantur oculi turbidi, sanguineique fiunt, cor accenditur, sanguis commovetur. Hunc videas ut aptum dentes acuentem. Hinc rectè Seneca infert: Qualem putas esse animum, cujus externa imago tam fœda est?

S. Chrys. ho. 29. ad pop.

S. Basil. ho. 21. de ira.

Senec. l. 2. de ira c. 35.

## §. IX.

## M E D I A.

S. Greg. l. 5. mor. c. 33. I. PRæmeditatio adversorum: Ita S. Gregorius suasit dicens: Solerter animus ante actionis suæ primordia, cuncta debet adversa meditari, ut semper hæc cogitans semper contra hæc thorace patientiæ muniatur, &, quidquid acciderit, providus superet; &, quidquid non accesserit, lucrum putet. Certè inexspectata, teste Seneca, plùs aggravant, novitas addit calamitatibus pondus; ideo nihil improvisum esse debet: in omnia præmittendus animus, cogitandúmque non quid soleat, sed quid possit accidere.

Seneca de tranquill.

S. Greg. l. c. II. Dilatio iræ: Ita iterum S. Gregorius suasit his verbis: Quoties Ira animum invadit, mentem edoma, vince teipsum, differ tempus furoris. Cùm tranquilla mens fuerit, fac, quod placet. Quod confirmans S. Ambrosius, resiste iræ, inquit, si potes; cede si non potes, quia scriptum est: Date locum iræ. Ergo si prævenerit mentem tuam Iracundia, ne relinquas locum tuum. Locus tuus sapientia est: locus tuus ratio est: locus tuus sedatio indignationis est.

S. Ambr. l. 1. offic. c. 21.

S. Isid. l. 1. solil. III. Silentij usus: Ut S. Isidorus monuit dicens: Si non potes iram vitare, tempera; si non potes furorem cavere, cohibe: tene silentium patientiæ, tacendo citiùs vincis. Scriptum quippe est: In silentio & spe erit fortitudo vestra. Idem suasit S. Basilius his verbis: Si aliquid animo pateris, saltem in te conde tristitiam.

Isaia.

In

In me turbatum est cor meum, inquit Propheta, hoc est, non extra turbationem ostendi, sed veluti quandam intra littus abruptam undam retinui. Turbatus sum, & non sum locutus.

*Eph. 4. v. 26.* IV. *Matura suppressio*: Juxta Apostoli monitum: Sol non occidat super Iracundiam vestram. Nolite locum dare Diabolo. Nam, *S. Ambros. ep. ibid.* ut S. Ambrosius ait, Ira inveterascens fit odium, dum quasi justi doloris admixta dulcedo diutius eam in vase detinet, donec totum acescat, vásque corrumpat. Quapropter multò meliùs nec justè cuiquam irascimur, quàm velut justè irascendo in alicujus odium iræ occulta facilitate delabimur; in recipiendis enim hospitibus ignotis ista solemus dicere, multò meliùs esse, malum hominem perpeti, quàm forsitan per ignorantiam excludi bonum, dum cavemus, ne recipiatur malus. Sed in affectibus animi contra est; nam in comparabiliter salubrius est, etiam Iræ justæ pulsanti non aperire penetrale cordis, quàm admittere non facilè recessuram, & perventuram de surculo ad trabem. Audet enim impudenter crescere citiùs, quàm putatur, non erubescit enim in tenebris, cùm super eam sol occiderit.

*S. Greg. l. 5. mor.* V. *Propriæ infirmitatis consideratio*: Considerata quippe infirmitas propria, teste S. Gregorio, mala excusat aliena; patienter namque injuriam illatam tolerat, qui piè meminit, quod fortassè adhuc habeat, in quo debeat & ipse tolerari. Et quasi aquâ ignis extinguitur, cùm surgente furore animi, sua cuique ad mentem culpa revocatur, quia erubescit sibi Peccator non parcere, qui vel DEO, vel proximo sæpe se recolit, parcendo peccâsse.

*Senec. l. 2. de ira. c. 36.* VI. *Meditatio fœditatis*: Ita Seneca consuluit dicens; Quibusdam, ut ait Sextius, iratis profuit, aspexisse speculum; perturbavit *S. Greg. orat. 4.* illos tanta mutatio sui. Si enim, ut S. Gregorius Nazianz. narrat, Dea illa cantu fistulæ delectari solita, ejusdem usum detestata est, dum deformitatem inflatione resultantem in fonte fortè conspexit, quidni idem ab Iracundo sperandum sit, si turpitudinem vitij sui consideret?

*S. Chrys. ho. 3. de Dav. & Saul.* VII. *Mansuetudo Christi, aliorúmque Sanctorum considerata*: nam, ut sapienter S. Chrysostomus advertit, quemadmodum qui laborant oculis, si spongias ac vestium cyaneo colore pannos tenentes, frequenter in ea intueantur, ex eo colore nonnullum capiunt morbi levamen; similiter & si tu Davidis (multò magis Christi) imaginem præ oculis habeas, & in hanc assiduè defigas oculos, etiamsi millies obtundat ira mentis oculos perturbans, ad hoc virtutis exemplar respiciens, perfectam consequêris sanitatem, parámque animi Philosophiam ac tranquillitatem. Hoc enim est, *S. Basil. ho. 20.* quod David ait (teste S. Basilio) Paratus sum, & non sum turbatus. Oportet itaque motus animi insanos ac præcipites exemplo Sanctorũ ac beatorum præceptorum memoriâ cohibere. *Hebr. 12. v. 3.* Hinc & Apostolus suos Hebræos animans ait: Recogitate eum, qui talem sustinuit adversus Peccatores in semetipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes.

## §. X.

## ASCETICA.

I. Quinque præcipuè doctrinas de hoc vitio Asceta bene nôsse & observare debet. Prima est, ut, quoniam duplex est Iracundia, *Ps. 4. v. 5.* bona scilicet & mala (uti S. David indicavit dicens: Irascimini, & nolite peccare: & clarius S. Gregorius dicens: alia est ira, quam *S. Greg. l. 5. mor. 31.* Impatientia excitat; alia, quam zelus format; illa ex vitio, hæc ex virtute generatur) bene cognoscat, quandonam bona, licitáque sit ira; cujus quidem dignoscendæ generalem regulam assignat S. Gregorius, dum ait: Cùm per zelum animus movetur, curandum summopere *S. Greg. l. c.* est, ut nec hæc eadem, quæ pro virtutis instrumento assumitur, menti Ira dominetur, nec quasi Domina præeat, sed velut ancilla ad obsequium parata à rationis tergo nunquam recedat. Tunc autem non recedet, si vitiis hominis, non homini irascatur; nam, ut rectè dixit S. Isidorus, ira recta data est homini naturaliter, ad cohibendum vitia sua vel aliena, sine *S. Isid. l. 3. de summo. bono.* mentis perturbatione, solâ caritatis intentione, ne homo serviat peccatis. Hinc rectè aliqui colligunt, tria esse, quæ iram inordinatam efficiunt, scilicet ferri vindice animo in innocentem, & à quo non sis offensus: Velle ulcisci propriâ authoritate: & vindicare non zelo justitiæ aut caritatis, sed odio & malevolentiâ limitésque vindictæ excedere.

II. Secunda doctrina est, ut bene cognoscat necessitatem & praxim Iracundiæ bonæ, quam quidem breviter, sed bene indicavit S. Chrysostomus, dum dixit: Si Ira non fuerit, nec doctrina perficit, nec Judicia stant, nec crimina compescuntur. Qui cum causâ non irascitur, peccat; patientia enim irrationabilis vitia seminat, negligentiam nutrit, & non solùm malos, sed & bonos ad malum quodammodo invitat. Hinc Salomon ait: Melior est ira risu, quia per tristitiam vultûs animus corrigitur delinquentis.

III. Tertia doctrina est, ut solidum sciat modum propriam irâ compescendi, quem quidem pulchrè S. Ambrosius sequentibus verbis *S. Ambr. precat. 2. ante missam.* indicavit: Objice, Domine, contra ram amarissimum Iracundiæ malum, suavissimum Sapientiæ tuæ bonum, in quo specialiter animarum nostrarum salus collocatur, cùm nobis per Evangelium dicitur: In patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras. Quæ nimirum dum arcem & principatum in mente susceperit, omnes mox perturbationes compescit. Rixas & contumelias in exhortationem convertit, confusum clamorē sub ordinato silentio premit, indignationem, tumorémq; mentis mansuetudine vincit, blasphemias gratiarum actione repellit.

IV. Quarta est, ut, quoniam non modicè juvat, ad Iracundiam animo penitùs evellendam, si radices, ex quibus pullulare solet, evellantur, has ipsas bene cognoscere studeat.

Discet autem easdem ex sene illo, qui dixit: Ira per hos quatuor actus exurgit. Propter cupiditatem avaritiæ dandi & recipiendi, resque alienas rapiendi: & si quis propriam sententiam amans defendit: & si quis vult, se honoribus dignum esse; & si quis Doctorem se esse vult, plùs omnibus sapientem esse se sperans.

*Vita PP. l.7.c.6.n.1.*

V. Quinta est, ut pariter noscat modum, alienam iram pacandi, qui quidem in duobus ferè consistit. 1. Ut consilium & exemplum Davidis quis sequatur dicentis: Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis. Posui ori meo custodiam, cùm consisteret Peccator adversum me. Sicut enim si duæ januæ adversæ in eodem cubiculo apertæ sint, vehementiùs furit ventus; qui tamen mox quiescit, si alterutra claudatur; ita iratus quoque citò placabitur, si alterum cedentem & silentem adverterit. Hinc rectè S. Basilius suasit: Contumeliam intulit iratus, vince, amovéq; silentio malum, & cogita periculum de te fieri, an DEO, per patientiam adhæreas, seu per iram in Adversarij partes declines. 2. Ut, si, loqui quis velit, pacificè loquatur & mansuetè; nam responsio mollis frangit iram, teste Salomone, sicut pellis bovina globo ignito superjecta vim ignis frangit, Hinc S. Paulus monet, ut si esurient Inimicus noster, cibemus illum, potum verò eidem, si sitiverit, demus; hoc enim facientes carbones congeremus, super caput ejus. Carbones namque, ut vult D. Augustinus, significant urentes pœnitentiæ gemitus, quibus superbia sanatur ejus, qui dolet se inimicum fuisse hominis, à quo ejus miseriæ subvenitur.

*Ps. 38.v.2. & 3.*

*S. Basil. ho.10. de ira.*

*Rom.12. v.20.*

*S. August. l.3. de doctrin. Christ.*

## §. XI.

## CONCEPTUS PRÆDICABILES.

*Ephes.4. v.26.*

I. EX occasione thematis: *Sol non occidat super Iracundiam vestram:* Potest ira ignitis globis, quibus in orbes conjectis Incolæ expugnari solent, comparari, atque adeò in prima parte ostendi, quàm meritò Ira ejusmodi globis comparetur, cùm ut illi ignem undique exspuat, magnâ vi omnia perrumpat & frangat, ingenti fragore terreat, omnia vastet, & in cineres redigat. In secunda parte ostendi potest, quomodo hi globi declinari possint, aut sine damno excipi, nimirum aut cedendo per silentium, aut pelle caritatis & mansuetudinis eosdem sopiendo, & obruendo. Vide Fabrum conc.5. in Dom.5. post Pent.

*Eccles. 28. v.8.*

II. Ex occasione thematis: *Memorare timoris Domini, & non irascaris proximo.* Possunt damna iræ per venenati poculi similitudinem explicari. & 1. Ostendi, quomodo, alteret hominem in corpore, cruciatus gravissimos creet, ad insaniam redigat, & demum omnino violentè perimat. 2. Qualis theriaca contra hoc venenum adhiberi debeat, scilicet Passio Christi cogitata, uti S. Elzearius Comes & plures alij suo exemplo docuerunt. Ostendatur ergo paulò fusiùs, quomodo hæc theriaca in praxi adhiberi debeat.

Vide Marchantium tub. Sac. tr.6. lect. 9.

*Iob.5.v.2.*

III. Ex occasione thematis: *Virum stultum interficit Iracundia:* Potest Iracundia triplici lanceæ comparari (quia corde, ore, & opere perficitur) quâ Joab Absalonem in arbore pendentem interfecit. Ostendatur proin, quomodo per iram perinde ut per illam triplicem lanceam triplex vulnus & mors, in bonis externis (putâ Famâ, divitiis, fundis) corporis, & animæ infligatur. Et quomodo se quisque contra hanc lanceam triplicem triplici ære seu loricâ, nempe consideratione *DEI* & longanimitatis, quâ injurias nostras tolerat: *Proximi*, qui aut à DEO pro instrumento ad nos paternè castigandos adhibetur: *Sui* & fragilitatis propriæ armare, ac defendere debeamus, Quæ fusiùs videri possunt apud Fabrum conc.cit.& March.tr.c. lect. 7.

*Ps.4.v.5.*

IV. Ex occasione thematis: *Irascimini, & nolite peccare:* Potest explicari modus legitimè irascendi, dicique, quòd peccatum quodvis duas habeat facies, scilicet offensam DEI, & lapsum Peccatoris, & secundùm priorem quidem detestandum sit non item secundùm posteriorem, sicut Pater castigat. Filium, non odit. Hoc est, quod David dixit: Perfecto odio oderam illos; hoc est, nec propter vitia homines odisse, nec propter vitia, homines diligere; sed quantò magis naturam hominis amas, tantò magis vitium odisse, quòd naturam à te sic adamatam fœdavit.

## §. XII.

## MISCELLANEA.

*Qualitas.*

*Senec. in Proverb.*
*S. Chrys. ho. 1. de David & Saule.*

I. IRacundiam, qui vincit, hostem superat maximum, inquit rectè Seneca. Hinc & S. Chrysostomus, quid esse possit, inquit, hoc Prophetâ beatius, qui brevi temporis momento sic hostem è furore ad sobrietatem composuit? & animum nactus cædis ac sanguinis sitientem repentè ad lamenta ac ejulatus composuit? Non perinde miror Moysem, quòd à saxo prærupto fontes eliciuerit aquarum, ut admiror Davidem, quòd ex oculis lapideis fontes eduxerit lacrymarum. Siquidem ille vicit naturam, at hic vicit animi decretum: ille virgâ percussit lapidem, hic sermone perculit cor, non ut contristaret, sed mansuetum redderet.

*Vita PP. de patient. & humil.*

II. Cùm aliquando Fratres quendam in præsentia S. Antonij collaudarent, hic autem eum probans, adverteret, injuriam sustinere non posse, dixit ei: Tu quidem, ô Frater, similis es ædificio, quod habet ingressum ornatum, per postica tamen à latronibus impugnatur.

*Ibid.*

III. Quidam Senex dixit: Si quis linguam suam non tenuerit in tempore iræ, nec passionem carnis suæ aliquando poterit continere.

*Faber conc.6. in*

IV. Henricus Comes Holsatiæ leoni cum rugitu & ferocia sibi obviâti interrit' dixit; quiesce

carnis

*Dom. 5. post Pent. n. 6.* canis ferox. Quâ voce consternatus Leo; ad pedes ejus se prostravit, & manu apprehensus in caveam ductus est.

*Ibid. conc. 5. n. 2.* V. Augustus semper in manu annulum gestabat, in quo cancer marinus, qui utráque manu Papilionem, præcipitantiæ typum, gerebat, sculptus erat, quo seipsum admoneret, ne in ira præceps esset.

*Plutarch. in apopht.* VI. Cato Priscus ajebat iratum ab insano non nisi tempore distare.

*S. Basil. in reg. fus. q. 176.* VII. S. Basilius interrogatus, cur maledici diligendi essent? respondit: Quia eorum operâ beatitudinem illam consequimur, de quâ Christus dixit: Beati estis, cùm maledixerint vobis homines mentientes propter me.

*Horat. l. 5. Ep. 7.* VIII. Rectè cecinit Horatius:

Ira furor brevis est, animum rege, qui nisi paret,
Imperat. Hunc frenis, hunc tu compesce catenâ.

*Laertius in Vita.* IX. Plato interrogatus, per quid cognoscatur sapiens? respondit: Sapiens, cùm vituperatur, non irascitur: cùm laudatur, non extollitur

*Damnum.*

*Senec. in Prov.* X. Quò minùs presseris iram, ait Seneca, eò magis ab illa premêris. Tunc enim incipimus aliis irasci, cùm nobis desinimus. Finis namque iræ, est initium pœnitentiæ.

*S. Ephrem in doctr. de perf.* XI. S. Ephrem suasit Monacho, ut potiùs optet gladio invadi, quàm iracundâ corripi.

*Langius in Polyanth. f. 604.* XII. Ictus ab apicula ursus, itâ incensus in apiarium irruit, & alvearia depopulatur. Tunc apes pleno agmine in ipsum irruunt, à quorum aculeis elapsus, quantò satius fuerat, inquit, unum pati apiculæ vulnus, quàm tantum in me exercitum irâ meâ concitare.

## §. XIII.

## A X I O M A T A.

*Buchler. V. eodem.*

I. Multùm deliras si pectore concipis iras.
Wer leicht im Hertz empfanget Zorn/
Hat all Verstand und Witz Verlohrn.

II. Res parient diras, nisi mox excluseris iras.
Wer gfaßten Zorn nicht bald außschliest/
Sein That mit grossem Schaden büßt.

III. Iræ dilatio, mentis pacatio.
Den Zorn auff andere Zeit verschieb/
Wann er das Hertz gemacht hat trüeb.

IV. Hora & mora sunt prima Iræ medicina.
Zeit und Weyl/ stillt den Zorn in Eyl.

Hinc Athenodorus Philosophus ex Cæsaris Augusti aula discessurus, eidem documentum petenti suasit, ut, ubi irâ inflammatum se sentiret, nihil statueret, vel imperaret, donec omnes Alphabeti literas percurrisset. Quam doctrinam tanti fecit Cæsar, ut Athenodorum dimittere noluerit, dicens, eum diutius sibi necessarium esse *Plutarch. in Vita August.*

V. Imbellium animorum est citò irasci.
Kleine Häfelein gehn bald über.

VI. Cupido & Ira pessimi sunt Consultores. *Sallustius in Iugurtha.*
Bey groß Begird und schnellen Zorn.
Ist aller guter Rath verlohrn.

VII. Ira ac præcipitantia *Bias apud Laert.*
Destruunt bona consilia.
Vnmässig Zorn/ und schnelle That.
Verhindern allen guten Rath.

VIII. Ubi multa Iracundia, multa quoque Insania. *Seneca de Ira.*
Erzürnter Mensch und alle Narren/
Zusammen ghörn auff einen Karn.

IX. Iratus nemini magis nocet, quàm sibi. *Floril. p. 2.*
Zorn und Vntreu trifft sich selbst.

X. Potissimus Iræ fructus Pœnitentia. *Ibid.*
Auff grossen Zorn folgt grosse Reu.

XI. Ira cedendo, non cædendo extinguitur.
Feuer muß man mit Wasser/ nicht mit Feur löschen.

## §. XIV.

## A V T H O R E S

I. Ioannes Busæsus in Panario V. eodem.
II. Jacobus Marchantius in Horto Pastorum. Tub. Sac. tr. 6.
III. Petrus Canisius to. 3. de Justitia Christ. §. 8.
IV. Bernardinus Rosignol. l. 2. de disc. Christ. perf. c. 17.
V. Philippus D' Outreman in Pædagogo Christiano p. 1. c. 7. §. 7.
VI. Jacobus Alvarez to. 2. de perfect. l. 1. p. 2. c. 9. & 10.
VII. Cassianus l. 8. de Justit. renunc.
VIII. Ludovicus Granat. in Duce Peccatorum l. 2. c. 9.
IX. Josephus Langius in Polyant. V. eod.
X. Franciscus Petrarcha l. 1. Dial. 107.
XI. Annæus Seneca lib. de Ira.
XII. Matthias Faber conc. 5. 6. & 7. in Dom.
XIII. Thomas Stapletonus text. 2. in Domin. 5. post Pent. & tex. 3. ac 7. in Domin. Pass.



# TITVLVS XV.

# JUDICIUM PERVERSUM.

## §. I.

## QUOAD ESSENTIAM.

*Definitio.*

I.



Staplet. tont. 2. in Dom. 1. post Pent. EST actus Intellectûs, quo alienos mores & facta sine legitima authoritate & causâ judicamus; nam si constet de facto, & ex officio incumbat, illius correctionem suscipere, non modò non peccatur illud judicando, sed laudabilis etiam Justitiæ & Caritatis fraternæ actus exercetur.

*Divisio.*

Ibid. II. Dividitur in *Temerarium* & *Usurpatum* à Stapletono. *Temerarium* est, quando ob leves conjecturas & indicia actio aliena mala ac peccaminosa judicatur; & ab aliquibus *Detractio interna* appellatur, eò quòd verè famam alterius in mente sinistrè judicantis imminuat; de qua Christus in Evangelio locu-
Jo. 7. v. 24. tus est, dum dixit: Nolite secundùm faciem judicare, sed rectum judicium judicate. *Usurpatum* vocat citatus Author, quando quis de crimine quidem comperto, sed sine legitima authoritate judicat; ut si quis actum alterius malum ex odio, fastu, libidine reprehendendi judicandum suscipiat; de quo S. Paulus locutus est, dum dixit: Tu quis es, qui alienum
Rom. 14. v. 4. servum judicas? De priore tamen, quoniam crebriùs ab hominibus exercetur, potissimùm deinceps sermo erit.

*Actus.*

III. Primus est, *ex sola externa facie actum criminosum judicare*; quo modo Socratem olim quis ebriosum temerè judicavit, eò quòd faciem solitò rubicundiorem haberet.

IV. Secundus est, *actionem de se indifferentem perverso fine factam interpretari*; Ut si quis Sacerdotem in domum suspectæ mulieris intrantem judicet ex intentione cum ea peccandi ingressum esse, cùm tamen is ad ejusdem confessionem excipiendam intrârit.

1. Reg. 1. V. Tertius, *de actione alterius apparenter bona & virtuosa sinistrum judicium ferre*; quemadmodum Heli olim Annam Samuelis Matrem ferventiùs orantem in Templo, merobibulam, vinóque ebriam judicavit.

VI. Quartus, *alienam actionem minùs, quàm censeri oporteret, bonam ac laudabilem judicare*; ut si quis aliquem eleemosynas dantem videns, judicet ex alieno marsupio dedisse.

VII. Quintus, *ex actu vitioso unico commisso proximum habitualiter talem esse judicare*; ut si quis alterum semel ebrium advertens, temerè judicet, ebriosum, vinóque multùm deditum esse.

VIII. Sextus est, *ex facto unius personæ vitioso totam aliquam communitatem vitiosam judicare*; ut si quis Religiosos certi Ordinis, avaros aut luxuriæ deditos judicet, eò quòd unum in simili crimine deprehensum audiat.

## §. II.

## EX S. SCRIPTURA.

*Qualitas.*

I. Si verè utique Justitiam loquimini, recta judicate Filij hominum. Psal. 57. v. 1.

II. Tu quis es, qui alienum judicas servum? Rom. 14.
Domino suo stat, aut cadit. v. 4.

III. Quid mihi de iis, quæ foris sunt, judicare? 1. Cor. 5. v. 12.

IV. In via stultus ambulans, cùm ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat. Eccl. 10. v. 3.

*Fuga.*

V. Nolite judicare, ut non judicemini; in Matt. 7.
quo enim judicio judicaveritis, judicabimini. v. 5.

VI. Nolite judicare secundùm faciem, sed Jo. 7. v. 24.
justum judicium judicate.

VII. Non ergo ampliùs invicem judicemus: Rom. 14.
Sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum vel scandalum Fratri. v. 4.

VIII. Nolite ante tempus judicare, donec 1. Cor. 4.
veniat Dominus, qui & illuminabit abscon- v. 5.
dita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.

IX. Propter quod inexcusabilis es, ô homo, Rom. 2. v. 1.
omnis, qui judicas; in quo enim judicas alterum, teipsum condemnas: eadem enim agis, quæ judicas.

X. Væ, qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras. Isaia 5. v. 20.

## §. III.

## EX SS. PATRIBVS.

*Qualitas.*

I. GRave est, de alio judicare. Unde etiam S. Ambros.
scriptum est: Nolite judicare, & non in Ps. 118.
judicabimini; cùm enim unusquisque sit suorum conscius peccatorum, quomodo potest de alterius judicare peccato? Judicet de alterius errore, qui non habet, quod in se ipso

ipso condemnet. Judicet ille, qui non agit eadem, quæ in altero putaverit punienda.

*Cassian. l. 5. c. 30.* II. Ob hoc judicare de aliis periculosum est, quòd ignorantes vel necessitatem, vel rationem, quâ illi hæc, in quibus offendimus, aut rectè coram DEO, aut venialiter agunt, invenimur eos temerè judicâsse, & per hoc admittimus non leve peccatum.

*S. Gregor. in mor.* III. Stulti tantò intensiùs de alieno judicant, quantò sua profundiùs ignorant.

*Idem. l. 14. mor. c. 1.* IV. Humanæ mentis est proprium, hoc sibi fieri suspicari, quod facit.

*S. Doroth. Serm. 6.* V. Comparavit [ Christus ] proximi peccatum festucæ, judicium verò trabi; usque adeò grave & insuave est, Proximum judicare, ut ferè omne peccatum excedat.

*S. August. S. 47. de temp.* VI. In Homine carnali tota regula intelligendi, est consuetudo cernendi.

*S. Greg. in mor.* VII. Sunt aliqui, qui de omnibus malè judicant. Dicunt enim, si quis studet humilitati, hypocrita est: si recreationi, gulosus est: si patientiæ, timidus est: si Justitiæ, impatiens est: si simplicitati, fatuus est: si prudentiæ, malitiosus est: si maturitati, phlegmancus est: si jucunditati, dissolutus est: si Religioni, singularis est: si societati, secularis est: si silentio & paci, dissimulator est: si aliorum correptioni, præsumptuosus est: si instat vigiliis & orationibus, indiscretus est: si dormitioni, somnolentus est: si prædicationi & aliorum saluti, appetitor laudis est: si desistat, negligens est: si habet gratiam hominum, adulator est: si adulari renuit, superbus est.

### *Fuga.*

*S. Greg. sup. Eccl. 7* VIII. Debet quisque proprias virtutes perpendere, & pro qualitate virium curam aliorum suscipere, ne, dum delectatur bono gloriæ, fiat subditis author ruinæ; & qui gravatur pondere suarum, velit fieri judex alienarum culparum; durum enim est, ut, qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, Judex fiat vitæ alienæ.

*S. Hier. epist. 39.* IX. Aliter hominum livor, aliter Christus judicat; non eadem est sententia tribunalis ejus, & anguli Susurronum. Multæ viæ videntur Hominibus justæ, quæ postea reperientur pravæ. Erin testaceis vasis aurum sæpe reconditur. Petrum ter negantem amaræ in suum locum restituêre lacrymæ. Cui plùs dimittitur, plùs amat.

*S. August. l. 2. c. 18.* X. Duo sunt, in quibus temerarium judicium cavere debemus; cùm incertum est, quo animo quidque factum fuerit: vel cùm incertum sit, qualis futurus sit, qui nunc vel bonus, vel malus apparet. Non ergo reprehendamus ea, quæ nescimus, quo animo fiant; neque ita reprehendamus, quæ manifesta sunt, ut desperemus sanitatem.

*S. Aug. sup. ps. 147.* XI. Quid perdo, si credo, quia bonus est? si incertum est, utrum sit malus, licet quidem, ut caveas, ne fortè verum sit, non tamen damnes, tanquam verum sit. Hoc pax jubet. Quære pacem, ait, & sequere eam.

### *Damnum.*

XII. Temerarium judicium plerumque nihil nocet ei, de quo temerè judicatur: ei autem, qui temerè judicat, ipsa temeritas necesse est, ut noceat. *S. Aug. l. 2. in S. Dom. in monte.*

XIII. Si malum est, propria peccata non cernere, duplex jam aut triplex peccatum est, judicare alios, & in suo oculo trabem absque dolore gestare: omni quippe trabe gravius est. *S. Chrys. ho. 24. in Matt.*

## §. IV.

## EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

### *Qualitas.*

I. IN judicando alios homo frustra laborat, sæpiùs errat, leviter peccat; seipsum verò judicando & discutiendo semper fructuosè laborat. *Lib. 1. c. 14. §. 1.*

II. Sicut nobis res cordi est, sic de ea frequenter judicamus; nam verum judicium propter privatum amorem faciliter perdimus. *Lib. 1. c. 14.*

### *Fuga.*

III. Ad teipsum oculos reflecte, & aliorum facta caveas judicare. *Ibid. §. 4.*

IV. Quid ad te? utrum ille sit talis vel talis? aut iste sic vel sic agit, vel loquitur? tu non indiges respondere pro aliis, sed pro teipso rationem reddes, quid ergo te implicas? *l. 3. c. 24. §. 1.*

## §. V.

## EXEMPLA.

### *Qualitas.*

I. HEli Sacerdos Annam Elcanæ Conjugem, dum Dominum in templo, toto corde deprecatur, ex labiorum motu temulentam judicans his verbis allocutus est: Usquequo ebria eris? digere paulisper vinum, quo mades. *1. Reg. 1. v. 13.*

II. Michol Filia Saulis Davidem Maritum suum saltantem coram arca conspiciens, despexit eum corde suo, & in occursum egrediens dixit: Quàm gloriosus fuit hodie Rex Israël, discoopenens se ante ancillas servorum suorum, & nudatus est, quasi nudetur unus de scurris. *2. Reg. 6. v. 20.*

III. Christus Judæis dixit: Venit Joannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum, & dicitis: Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans & bibens, & dicitis: Ecce homo devorator, & bibens vinum, amicus Publicanorum & peccatorum. *Luc. 7. v. 33.*

IV. Simon Pharisæus videns Christum permittere, ut Maria Magdalena procidat ad pedes ejus, eósque rigare lacrymis, capillis extergere, & osculari, dixit intra se: Hic si Propheta esset, sciret utique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est. *Luc. 7. v. 39.*

V. S. Catharina Senensis de seipsa testatá est *Dial. c. 108.*

est, se subjectam fuisse huic vitio, dum dixit: Tradidisti mihi medicinam obtabilem contra quandam occultam ægritudinem, quam ignorabam, nec illam agnoscebam, instruendo me, ne ullatenus ego judicare præsumam aliquam rationalem creaturam, & præcipuè servos tuos de quibus aliquando velut ex cæcitate, & ignorans, hâc eram infirmitate corrupta; quia sub colorata specie tui honoris, atque salutis animarum, temerè judicabam.

*S. Greg. l. 3. Dial. c. 6.* VI. Rex Totila cùm Cassium Narviensem Episcopû facie rubicundâ præditum conspexisset, ideóque ut potui assiduo deditum contempsisset, malignus Spiritus Spatharium illius invasit, nec antè vexare destitit, donec ad S. Cassium adductus, ab eo liberatus est.

*Fuga.*

VII. Christus, etsi peccata Inimicorum suorum intimè perspecta haberet, nihilominus tamen ea excusans ad Patrem dixit: Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt. *Luc. 23. v. 34.*

*Matt. 1.* VIII. Joseph videns uterum Sponsæ suæ intumescere, neutiquam tamen judicavit eam adulteram esse, sed maluit suspendere judicium, & miraculosè conceptam prolem suspicari.

*Vi. 3. Cepar. in Vita c. 24.* IX. S. Maria Magdalena de Pazis vidit quandam Monialem per sedecim dies fuisse purgatam, sed eas pœnas ob tres virtutes non modicè fuisse imminutas. 1. Ob sollicitam curam, quam semper habuit puritatem & simplicitatem suæ Religionis conservandi. 2. Ob magnam caritatem, quam omnibus Monialibus exhibebat, 3. Quia semper omnia in bonam partem trahebat, & bene interpretabatur.

*Baronius anno 599.* X. Monachus quidam cùm post vitam suam in otio aliisque vitiis malè traductam, nihilominus in morte perquam lætus esset, quæsitus, quæ causa esset hujus lætitiæ? respondit, paulò antè Angelum sibi adfuisse, omniàque sua peccata, quæ in tabula decripta habebat, spongiâ delevisse, eò quòd per totam vitam neminem judicâsset, adeóque verificari meruisset promissum Christi: Nolite judicare, & non judicabimini.

*Vita apud Rosvveyd. c. 46.* XI. S. Joannes Eleemosynarius cùm aliqui in præsentia illius de raptu Monialis ab adolescente quopiam facto murmurarent; compescuit illos dixitque: Nolite, Filii, nolite sic agere, nam ostendam vobis, quia & vos duo peccata facitis, unum, quia transgredimini mandatum dicens: Nolite judicare, & non judicabimini. Deinde, quia nescitis certò, si usque hodie peccent, & non pœniteant. Multories enim peccatum fornicationis vidimus, pœnitentiam verò ejus, quàm fecit occultè, non aspeximus.

*Vita Patrum. p. 2.* XII. Abbas Moyses accersitus, ut sententiam in Fratrem lapsum diceret, advenit sacco arenâ pleno onustus, rogatúsque, quid ferret? respondit, peccata mea; quæ quoniam vix portare valeo, multò minùs aliena portare possum.

*Ibid.* XIII. Abbas Pastor interrogatus, quâ ratione quietem in hoc Seculo & futuro obtinere quis posset? respondit: Si in omni causâ diceret: quis sum ego? & non judicet quemquam.

XIV. Anachoreta quidam, si aliquando Fratris cujuspiam sui lapsum cognovit, cum gemitu dixit: Heu mihi! ille hodie, ego cras. *S. Dorothe-us doctr. 6.*

*Damnum.*

XV. Maria Soror Moysis, quia temere Fratrem suum propter uxorem Æthiopissam judicaverat, mox lepræ supplicio castigata est. *Num. 12.*

XVI. Abbas Isaac, quia Fratrem quendam temerè judicârat, regressus ad Eremum, ab Angelo aditu cellæ prohibitus est. cùmque intellectâ hâc causâ, Angelo supplex factus veniam peteret, respondit Angelus: Surge, ignoscit tibi DEUS, sed deinceps ne judices quemquam antè, quàm sit judicatus à DEO. *Vita Patrū p. 2.*

XVII. Abbas Machetes fassus est, tria fuisse, in quibus alios judicât & ac reprehenderit, sed in omnia tria paulò pòst ipsummet incidisse. Unde hortabatur unumquemque seipsum tantummodo judicare, non autem aliorum vitam discutere, eò quòd manifestum sit, iisdem vitiis obligari Monachum, in quibus de aliis judicare præsumpserit. *Cassian. l. 5. c. 30.*

XVIII. Senex quidam cùm à Juvene ipsum visitante de Fratre quodam sinistræ famæ interrogaret, an necdum ab ea liberatus esset? eóque negante, Os exclamâsset, visus est statim in Ecstasi coram Christo in monte Calvariæ in medio Latronum pendente consistere, cùmque accedere ad adorandum Christum vellet, hanc ab Angelo vocem audire: Ejicite illum foras, quia Antichristus mihi est; priusquam enim ego judicem, ipse Fratrem suum judicavit. Itaque cùm ejiceretur, pallium ejus in janua hæsit, statimque ex somno & ecstasi evigilans narravit omnia Fratri, adjecitque, hoc pallium divinam protectionem significare, quâ ob judicatum Fratrem privatus fuit. Quare septem integris annis à consortio humano, pane, & tecto abstinens, orationi vacavit, donec iterum Christum in monte Calvariæ vidit, palliúmque recepit. *Lans. opusc. 29. c. 1. n. 4.*

## §. VI.

## EXEMPLA DOMESTICA.

I. S. Ignatius, si quod alicui Sociorum alienum vitium in communi sermone excidisset, vel elevabat factum, vel excusabat animum & voluntatem. Quòd si rei atrocitas excusandi, minuendique omnes aditus præcluderet, eò perfugiebat: Nolite ante tempus judicare. DEUS solus intuetur cor. Domino suo quisque stat, aut cadit. Cùm gravissimè: ego quidem certè hoc non fecissem. Ut illud Domini præceptum penitus in ejus animo insedisse videretur: Nolite judicare, & non judicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini Hinc ob consuetudinem hanc *Ribad. l. 5. vit. c. 6.*

S. Pa-

*Lancic. ep. 10. n. 40. n. 140.* S. Patris sui natum Domi nostræ proverbium fuit, ut, si quid vel simpliciter dictum aut factum credebatur, *Interpretationes Patris* vocarentur, quemadmodum Ludovicus Consalvus apud Lancizium testatur.

*Idem opusc. 13. n. 165.* II. De B. Aloysio ad probandam ejus sanctitatem Auditores Rotæ Romanæ inter alia etiam hoc afferunt pag. 31. quòd aliorum dicta vel facta in meliorem partem excusaret, vel interpretaretur.

## §. VII.

## EXEMPLA PROFANA.

*Laërt. l. 6.* I. Socrates, si occasio se offerebat, de rebus ad se non pertinentibus judicandi, dicere solebat: Quæ supra nos, nihil ad nos.

*Ælian. l. 2. hist.* II. Hippomachus pugilandi Magister, cùm quidam ex ejus Discipulis specimen artis exhiberet, ideòque Populus ei applauderet, virgâ eum percussit dicens: Si benè te gessisses, non hi te collaudarent; quo dicto innuere voluit, eos, qui benè aliquid gerere, ideòque laudari cupiunt id non à plebe, sed à Magistris illius artis expectare debere.

*Langius in Polyant. f. 617.* III. Appelles tabulas à se pictas ante domum exponere, hominúmque de iis judicia audire solitus, cùm aliquando Sutor quispiam crepidas non ritè factas diceret, patienter tulit. Ubi verò etiam de crure, aliisque membris judicium ferre cœpit, indignatus prospexit, dixitque: Sutor, ne ultra crepidam.

## §. VIII.

## SIMILITUDINES.

### *Qualitas.*

*S. Chrys. l. 1. super Matt.* I. Sicut difficilè aliquem suspicatur malum, qui bonus est; sic difficilè aliquem suspicatur bonum, qui malus est.

*S. Climacus gradu 10.* II. Sicut bonus & probus Uvæ lector matura acina commedens, acerba legere nunquam patietur; sic grati & probati viri animus quotquot in aliis virtutes inspexerit, studiosissimè notabit; insipiens verò querelas defectúsque perscrutabitur.

*S. Chrys. ho. 38. ad pop.* III. Sicut columna in templo si steterit recta, accepto pondere ampliùs confirmatur; si autem modicè obliqua fuerit, accepto pondere non solùm non confirmatur, sed ampliùs vadit ad latus; sic & cor hominis, si rectum fuerit, videns opera viri alicujus justi, aut audiens, per doctrinam Sapientiæ ejus amplius confirmatur; si autem fuerit perversum cor, videns opera viri alicujus justi, aut audiens, non solùm non confirmatur, sed magis ad invidiam excitatur, & magis pervertitur.

*S. Doroth. doct. 16.* IV. Sicut corpora mali humoris, quidquid cibi sumpserint, quodammodo perimunt; sic animæ malè dispositæ unaquæque res quamvis bona & utilis, suo vitio nocet.

*Seneca ep. 47.* V. Sicut stultus est, qui equum empturus non ipsum inspicit, sed stratum ejus & frena; sic stultissimus est, qui hominem aut ex veste, aut ex conditione, quæ vestis modo nobis circumdata est, æstimat.

*Engelg. to. 1. Dom. 1. post Pent. §. 2.* VI. Sicut Phantasia in cælo Leonem, Scorpionem, variáque spectra effinxit, cùm sint lucidissimæ constellationes; ita plerumque homines, sceleratissimos judicant eos, qui lucent tanquam stellæ firmamenti.

*Idem §. 3.* VII. Sicut per vitrum rubrum aut flavum prospiciens, omnia judicat rubra aut aurea; ita pro affectione animi de aliis judicamus.

*Stapl. in Dom. 1. post Pent. t. 2.* VIII. Sicut Cucurbitæ, quod in carne deterrimum est, ad se trahunt; sic improborum animi deterrima quæque cogitando & suspicando ad se trahunt.

*Ibid.* IX. Sicut, qui impetigine laborat, perpetuò affrictum desiderat; sic quovis pravo desiderio affectus idem alteri affricare cupit, ut vel aliorum malis quasi similibus se oblectet; vel sua mala ex aliorum comparatione justificet, aut communione alleviet.

*Ibid.* X. Sicut algent viscera, cùm naturalis calor ad externa corporis mebra diffunditur; sic circa alienos defectus notandos ideo solliciti sumus, quia nostra negligimus.

*Ibid.* XI. Sicut ii, quibus domi nullum est negotium, in foro obambulant; sic qui in exploranda vita sua negligentes sunt, in aliena judicandâ curiosi sunt.

*Ibid.* XII. Sicut venti illi omnium sunt molestissimi, qui pallia nobis avellunt; sic illi quoque homines, qui temerè judicant, & secretissima violenter expandunt, meritò præ cæteris odio habentur.

### *Damnum*

*S. Chrys. ho. 88.* XIII. Sicut, si quis solem, authorem tenebrarum existimat, sibi, non illi detrahit; ita, qui bonos homines, pravos judicat, sibi, non illis nocet.

*S. Doroth. doct. 16.* XIV. Sicut modicum fellis aut absynthii totum vasculum melle plenum corrumpit; ita modica amaritudo mentis, quâ judicamus Proximum pro statu mentis nostræ, totum proximi bonum corrumpit.

*Senec. l. 5. de benef.* XV. Sicut Stomachus morbo vitiatus, & bilem colligens, quoscunque accipit, cibos immutat, & omne alimentum in causam doloris trahit; ita animus cæcus, quidquid illi commiseris, ad onus suum & perniciem, & occasionem miseriæ facit.

## §. IX.

## MOTIVA.

I. *Quia præcepto caritatis proximi est summè contrarium*: cùm enim hoc exigat, ut proximum sicut nos ipsos diligamus; nos autem nihil magis optemus, quàm ut omnes de nobis benè sentiant, & loquantur, rectè colligitur, graviter hoc præceptum violari ab eo, qui proximi actiones sinistrè interpretari præsumit.

II. *Quia & ipsi Authori graviter perniciosum est hoc vitium*: nam inprimus justo DEI judi-

*S. Mecht. l. 5. c. 7.* judicio plerumque contingit, ut, qui alios judicant, in eosdem defectus, quos aliis imputârunt, cadant. Deinde verò, etiamsi in illos non cadant, tamen eâdem pœnâ digni sunt, uti Christus S. Mechtildi revelavit, dum eidem dixit, magni esse criminis, cùm homo judicat proximum suum, quem si injustè judicaverit, reus erit tanti sceleris, quanti esset is, qui fecisset hoc malum, quod de alio judicatur. Quòd si homo etiam fecit id, quod de eo dicitur; tamen qui nesciens intentionem facientis secundùm eorsuum & sensum eum judicat, tam reus erit ex ipso judicio, quàm ille, qui rem ipsam perpetravit; & nisi pœnitendo diluat, simili pœnæ, quam ille promeruit, qui hoc malum fecit, & ille subjacebit.

## §. X.

## MEDIA.

*S. August. de serm. Dom. in monte.* I. R*Adicem tollere*: quam quidem sat clarè S. Augustinus indicavit, dum dixit: maximè hi temerè judicant, qui merita aliorum facilè reprehendunt; quique magis amant vituperare, & damnare, quàm emendare & corrigere; quod vitium est superbiæ vel invidiæ.

*Matt. 7. v. 3.* II. *Propria peccata considerare*. Sic enim Christus ipse suasit, dum dixit. Quid vides festucam in oculo Fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Hypocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo. Et meritò, nam, ut Sapienter S. Gregorius dixit, qui semetipsum prius non judicat, quod in alio rectum judicet, *S. Greg. l. 14. mor. c. 15.* ignorat. Et si novit fortè per auditum, quòd rectè judicare debeat, rectè tamen judicare aliena merita non valet, cui conscientia Innocentiæ propriæ nullam Judicis regulam præbet. Hinc est enim, quòd insidiantibus quibusdam, & puniendam Adulteram deducentibus dicitur: *Jo. 8. v. 7.* Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Ad aliena quippe peccata punienda ibant, & sua reliquerant. Quod ipsum egregiè confirmavit Senex ille, qui à Fratre rogatus, quæ causa esset, cur assiduè judicaret Fratres Monachos? respondit: Quia necdum teipsum cognovisti; nam qui seipsum novit, Fratrum vitia non aspicit.

*S. Bern. f. 40. in Cant.* III. *Assuescere, omnia proximi opera bene interpretari*: juxta illud S. Bernardi consilium: Excusa intentionem, si opus non potes; puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Et *1. Cor. 5. v. 12.* monitum Apostoli dicentis: nonne de iis, qui intus sunt, vos judicatis?

*S. August. tr. 30. in. Staplet. in Dom. 3. post. Pent. f. 2.* IV. *Proximum sincerè diligere*: nam, ut S. Augustinus verissimè dixit, non judicat personaliter, qui diligit æqualiter. Et ut bene discurrit Stapletonus, ubi caritas & misericordia habitant, ibi Frater non judicatur. Lex Fidelium Mercatorum est, ut Socii sint non minùs in damno, quàm lucro. Hoc fit in tota Fidelium Societate. Sicut enim caritas aliena bona facit sua juxta illud: Particeps ego sum o- *Ps. 118. v. 63.* mnium timentium te; atque ita multùm lucratur? ita misericordia aliena facit, Fratribus compatiendo juxta illud: gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Quod alibi apposita similitudine confirmat, dum ait: Sicut Fluvius magnus & altè patens omnes rivulos ad se venientes sinu suo excipit, & complectitur; & *Dom. 3. in quadr. text. 2.* sicut ignis omnia comburit, & in se convertit; ita Caritas dilatata omnes aliorum actiones in bonam partem accipit, &, ubi factum non potest, intentionem excusat.

## §. XI.

## ASCETICA.

I. QUinque sunt potissimùm, quæ Asceta circa hoc vitium specialiter observare debet. Primum est, ut bene cognoscat primarium fundamentum, & rationem, ob quam neminem judicare temerè oportet, quam quidem S. Hieronymus sequentibus verbis indica- *S. Hier. in ep. 5.* vit: Non enim conscientiæ latebras hominibus scire, aut nudare permissum est, dicente Scriptura: Homo in facie videt, DEUS solus intima & secreta circumspicit, sed manifesta est vox Domini monentis: à fructibus eorum cognoscetis eos.

II. Secundum est, ut bene cognoscat, quando judicium verè fit temerarium, tum scilicet, quando non ex certæ rationis dictamine, sed ex affectu & corrupta passione Proximus judicatur.

III. Tertium est, ut pariter bene cogno- *Vita l. 3. c. 23.* scat quantopere hoc vitium specialiter ab Asceta perfectionis studioso sit fugiendum; id quod à S. Raymundo discet, qui, cùm plura alia monita vice testamenti suis filiis & filiabus spiritualibus reliquisset, inter alia specialiter hortatus est, ne quem unquam judicarent, dixitque, hoc esse necessarium ad veram mentis puritatem, ut in omnibus DEI voluntati attenderetur, qui omnia permittit ad bonum finem.

IV. Quartum est, ut solidum & efficax me- *S. Climac. grad. 10.* dium quoque cognoscat, hoc vitium effugiendi, quale quidem S. Climacus sequentibus verbis peraptè assignavit: Qui celeres, nimiùmque diligentes Proximi delictorum Iudices sunt, hoc idcirco patiuntur, quia nondum suorum peccatorum fixam atque perfectam memoriam, curámque susceperunt. Nam si quis amoto proprii amoris velamine, mala sua diligenter inspiciat, nullius jam rei alterius in hac vita curam geret, id apud se reputans, tempus sibi sufficere non posse, quo seipsum lugeat, etiamsi centum annos vixerit; etiamsi Jordanem fluvium in lacrymas conversum ex oculis manare conspexerit.

V. Quintum est, ut non modò ipse similia judicia non ferat, sed & aliorum judicia fortiter spernere addiscat, dicátque cum S. Paulo: Mi- *1. Cor. 4. v. 3.* hi autem pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die. Hinc rectè S. Gregorius Na- *S. Greg. Nazianz. in orat. pro se ipso.* zianzenus dixit: Quid meâ interest, qui rei veritatem magis curo, imò solùm curo? hoc enim me vel condemnaverit, vel absolverit: hoc miserum vel beatum reddiderit. At quid alius vide-

videretur nihil ad vos, quemadmodum nec alienum somnium. Non ita aliis videtur, ais. Quid vero? an iis, qui vertigine correpti sunt, terra fixa & stabilis esse videtur? Quocirca fac priùs fidem, sanos eos esse, qui de nobis ita sentiunt, & tum nos admone, ut meliorem mentem induamus. Rectè ergo S. Hieronymus concludit: Spernentes hominum judicia, nec laudibus eorum extollamur; nec obtrectationibus contristemur, sed ingrediamur rectam viam, & tritas à S. Prophetis semitas.

*S. Hier. l. 2. c. 3. in Isaiam.*

## §. XII.

## CONCEPTUS PRÆDICABILES.

*S. Doroth. f. 6.*

I. Ex occasione thematis: *Nolite judicare, & non judicabimini:* possunt explicari causæ, ob quas judicia temeraria vitari debeant: Nimirum 1. Quia *gravis* per tale judicium committitur *stultitia*; nam stultorum proprium est, teste Siracide, cor in sinistra manu habere, id est, omnia sinistrè interpretari. 2. Quia *gravis* etiam per illud contrahitur *culpa*: nam ut S. Dorotheus ait; omne feré peccatum excedit, ideòque trabi à Christo comparatur. 3. Quia etiam *pœna* per illud *gravissima* incurritur, ut scilicet in eosdem labatur defectus & peccata, qui judicat; quæ pœna meritò gravissima judicari debet. Accedit, quòd in judicio coram DEO sit inexcusabilis, ut qui eadem agit, quæ in altero condemnat. Vide Fabrum conc. 4. in Dom. 18. post Pentec.

*1. Cor. 4. v. 5.*

II. Ex occasione thematis: nolite ante tempus judicare: afferri possunt aliæ rationes, ob quas vitandum sit judicium temerarium; nimirum 1. quia *non licet*; cùm hæc potestas soli DEO sit reservata. 2. Quia *non decet*: cùm indecens sit, ut judicium ferat is, qui omnes rei judicandæ circumstantias necdum cognovit; intentionem autem, quæ potissima est actionum nostrarum judicandarum regula, nemo cognoscere queat. 3. Quia *non expedit*: cùm ipsi plurimis vitiis obnoxii simus, atque adeò nos ipsos potiùs, quàm alios judicare debeamus. Vide Fabrum loc. cit.

*Jac. 4. v. 13.*

III. Ex occasione thematis: *Tu quis es, qui judicas Proximum*: possunt afferri causæ, quæ ex parte solis Judicantis se habent. Itaque quæratur, Tu quis es? & respondeatur 1. *Homo reus*: ergo ipse judicandus, atque adeò non nisi cum magna temeritate ac impudentiâ assumpturus Judicis officium. 2. *Homo cæcus*: ideòque ineptus ad judicium de coloribus alienorum factorum ferendum. 3. *Homo fragilis*: cui proinde meritò dicatur illud pij Ascetæ: Stude patiens esse in tolerando aliorum defectus, quia & tu multa habes, quæ oportet ab aliis tolerari. Vide iterum Fabrum l. c. n. 1. 2. 3.

*Jo. 7. v. 24.*

IV. Ex occasione thematis: *Nolite judicare secundùm faciem, sed justum judicium judicate*: possunt proponi aliquot media ad temerarium judicium vitandum, & quidem ex DEO desumpta. Et 1. quidem *ob ejus potentiam*: ratione cujus illi soli convenit judiciaria potestas; hinc S. Paulus dixit: Tu quis es, qui alienum judicas servum? Domino suo stat, aut cadit. 2. *ob ejus sapientiam*: ob quam de eo dictum est: Tu nôsti solus cor omnium; unde homo non nisi ut cæcus de coloribus judicat, si actiones humanas dijudicare præsumit. 3. *Ob ejus bonitatem*: quâ Hominum omnium peccata dissimulat, & supportat; quidni ergo homines ipsi simili eum caritate & patientia mutuos defectus supportent?

*Rom. 14. v. 4.*
*3. Reg. 8. v. 39.*

*Rom. 14.*

V. Ex occasione thematis: *Non ergò ampliùs invicem judicemus.* Possunt alia remedia ex parte hominis judicantis se tenentia proponi. Nimirum 1. *Consideratio Naturæ propriæ*: ob quam quisque est comembrum alterius hominis, atque adeò tegere potiùs & occultare deberet alterius nuditatem, quàm revelare. 2. *Consideratione propriæ fragilitatis*: ob quam decet aliorum onera & peccata leviora patienti animo tolerare, eò quòd graviora longè in nobis ipsi supportare debeant. 3. *Consideratio Justitiæ divinæ*, tum opera prava punientis, tum actiones bonas præmiantis, quam conciliate nobis faciliùs non possumus, quàm si ab aliis judicandis abstineamus.

*1. Cor. 4. v. 3.*

VI. Ex occasione thematis: *Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die*: potest ostendi, cur, & quomodo judicia humana contemni debeant. 1. Quia *impossibile* est, omnibus placere; cùm nec ipse Christus id potuerit. 2. Quia *vanum* est humana judicia timere; cùm quis non fit sanctior, si laudatur: nec deterior, si vituperatur. 3. Quia *noxium* est, ob sinistra aliorum de nobis judicia turbari; quia sic multa inordinatè & imperfectè fient, aut omnino omittentur, quemadmodum quotidiana experientia docet. Vide Panarium Busæi fol. 257.

## §. XIII.

## MISCELLANEA.

### Qualitas.

I. Rectè in temerarios Judices invectus Horatius cecinit:

Cùm tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius?

*Horat. Serm. l. 1. sat. 3.*

II. Dixit quidam ex Senioribus: Si videris aliquem peccantem, ne mittas culpam in eum, sed in eum, qui impugnat ipsum & dicito: Væ mihi, quia iste nolens victus est, sicut & ego: & plange, & inquire DEI solatium, quia omnes decipimur.

*Vitæ PP. l. 5. n. 199.*

III. Aliena vitia in oculis habemus, à tergo nostra sunt; ut rectè dixit Seneca:

*Senec. l. 2. de ira c. 28.*

IV. DEUS Pater olim S. Catharinæ Senensi dixit: Miser homo semetipsum ignorando, vult agnoscere pariter & judicare cor, & affectum proximorum: & ex quadam operatione sive minimo verbo statim incon-

*Dial. c. 93.*



fulta

sultè damnabiliter judicat ea, quæ sunt hominibus occulta; Sed amici mei semper judicant in bonum, quia fundati sunt in me summo bono. Hujusmodi verò miseri semper judicant in malum, quia fundati sunt in miserabili malo.

*Horatius l. 1. sat. 3.* V. Non malè iterum Horatius cecinit:
Quàm temerè in nosmet legê sancimus iniquâ,
Nam vitiis nemo sine nascitur: optimus ille,
Qui minimis urgetur.

*Erasmus l. 6. apopht.* VI. Stratonicus Ptolemæo Rege secum de Musica disceptante, aliud est, inquit, ô Rex, Sceptrum, aliud plectrum; Significans, non esse regium cum Musico de Musica disputare.

*Granat. in loc. com. f. 391.* VII. Æsopus dicebat, unumquemque duas peras secum ferre, unam antè, alteram à tergo; & in anteriore quidem aliorum peccata reponere, in posteriore verò nostra.

*Fuga.*

*Dial. c. 100.* VIII. DEUS S. Catharinæ Senensi dixit: ut attingere possis ad unionem ac puritatem istam, nunquam judices in re aliqua, quam videris ab aliquo fieri sive dici contra te, sive contra alium. Etsi videres etiam peccatum expressum, extrahes ab ista spina rosam odoriferam, videlicet eos offerendo coram me pervesam & fraternam compassionem, & isto modo pervenies ad puritatem perfectam.

*Erasmus l. 6. apopht.* IX. Stratonicus Minnaco Fabro de Musica secum disputanti dixit: non advertis te supra malleum loqui?

§. IV.

A X I O M A T A.

*S. Hier. ep. 26.* I. Prima virtus Monachi est, hominum de se judicia contemnere.

Wer menschlich Urthell nit hoch acht/
Vor Freud und Fried im Hertzen lacht.

II. Quæ supra te, nihil ad te.

Waß dich nit brendt das blase nit/
Sonst bist nie ohne Zanck und Streit.

III. Cæcus de colore non judicat.

Blinder urtheilet nit von der Farb.

IV. Quod tuâ non refert, percontari desinas.

Waß dich nicht angeht/ daß sorge nit.

V. Medice, cura teipsum.

Ein jeder kehre vor seiner Thür.

§. XV.

AUTHORES.

I. Joannes Busæus in Panario. V. eodem.
II. Nicolaus Lancizius opusc. 19. toto.
III. Jeremias Drexelius in Amussi l. 2. c. 7. Consecut. 5.
IV. Ludovicus Granatensis in locis communibus fol. 389.
V. Henricus Engelgrave in p. 1. Lucis Evang. emblem. 29.
VI. Matthias Faber conc. 4. in Domin. 18. post Pentec.
VII. Thomas Stapletonus text. 2. in Dom. 3. Quadr. & Dom. 1. post Pent.
VIII. Josephus Langius in Polyanthæa V. eodem. fol. 616.

# TITVLVS XVI.


# JVRAMENTVM.

§. I.

## QUOAD ESSENTIAM.

*Definitio.*

I.

*Busenb. l. 3. tr. 2. c. 2. ex S. Thom. 2. 2. q. 89. a. 1.* St tacita vel expressa DEI, tanquam primæ & infallibis veritatis, in testem alicujus rei vitosa invocatio. Et consistit in eo, quòd jurans, sine legitima causa, quantùm est in se, cupiat, ac velit, DEUM id, quod jurat, testari (sive in hac, sive in altera vita) & manifestare, tanquam quod ab ipso sit cognitum ac verum.

*Divisio.*

*Ibid.* II. Dividitur 1. in *Invocatorium* seu *Contestatorium*, & *Execratorium* seu *Imprecatorium*. Illud est, quo DEUS simpliciter in testem invocatur; istud est, quo non solùm ut testis, sed etiam ut Vindex vocatur, cùm scilicet jurans aliud quidpiam DEO puniendum subjicit, si aliter se res habet, quàm ipse affirmaverit, vel negaverit. Dividitur 2. in *Assertorium* & *Promissorium*: Illud est, quo præterita vel præsentia simpliciter affirmantur, aut negantur; hoc autem, quo aliquid futurum promittitur. Dividitur. 3. in *Temerarium*, quando sine judicio, id est, necessitate aut utilitate juratur: *Injustum*: quo res illicita juramento confirmatur: & *Perjurium*, quo DEUS in testem rei falsæ invocatur.

*Actus & Gradus.*

III. Primus est, *solis verbis simpliciter prolatis DEUM in testem invocare*; uti facere solent, qui per Animam jurant.

IV. Secundus est *etiam corporale signum in contestationem sui Juramenti adhibere*; ut cum quis digitis binis erectis, aut super Evangelium positis jurat.

V. Tertius est, *etiam pœna cujuspiam imprecationem adjicere*; ut cùm quis ait,

se

se cupere, ut DEUS æternæ damnationi eum adjudicet, si falsum dixerit.

## § II.

## EX S. SCRIPTURA.

### *Qualitas.*

*Isaia.65. v.16.* I. QUi jurat in terra, jurabit in DEO Amen:

*Ier.4.v.2.* II. Et jurabis. Vivit Dominus in veritate, & justitia, & judicio.

*Hebr.6. v.16.* III. Homines per majorem sui jurant, & omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum.

IV. Non est scientia DEI in terra, mendacium, furtum, perjurium inundaverunt.

### *Fuga.*

*Exod.20. v.7.* V. Non assumes nomen Domini DEI tui in vanum; nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini DEI sui frustra.

*Levit.19. v.12.* VI. Non perjurabis in nomine meo, ut nec polluas nomen DEI tui.

*Deut.5. v.11.* VII. Non usurpabis nomen DEI tui frustra; quia non erit impunitus, qui super re vana nomen ejus assumpserit.

*Matt.5. v.33.* VIII. Audistis, quia dictum est antiquis: Non perjurabis; reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cœlum, quia thronus DEI est; neque per terram, quia Scabellum est pedum ejus.

*Iac.5.v.12.* IX. Ante omnia, Fratres mei, nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque juramentum. Sit autem sermo vester, est, est: non, non, ut non sub judicio decidatis.

### *Damnum.*

*Eccl.23. v.9.* X. Jurationi non assuescat os tuum; multi enim casus in illa. Nominatio verò DEI non sit assidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admisceaaris, quoniam non eris immunis ab eis.

*Ibid.* XI. Vir multùm jurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo ipsius plaga.

*Eccl.27. v.15.* XII. Loquela multùm jurans, horripilationem capiti statuet, & irreverentia ipsius obturatio aurium.

*Zach.5. v.3.* XIII. Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem terræ, quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur; & omnis jurans ex hoc similiter judicabitur.

## § III.

## EX SS. PATRIBUS.

### *Qualitas.*

I. AGe dic, ob quam causam introductum est juramentum? Fecit olim pacta Abraham, & immolavit victimas, & nondum erat juramentum. Unde igitur ingressum est? quando mala creverunt, quando omnia simul sursum ac deorsum confusa sunt, quando ad idololatriam inclinârunt, tunc sanè quando infideles apparuerunt, invocabant DEUM testem quasi fidejussorem dantes dictis satisfacturum. Juramentum enim est fidejussio, ubi mores fidem non habent. *S. Chrys.h. hom.9. in acta Apost.*

II. Si jurare cogeris, scias de necessitate venire infirmitatis eorum, quibus aliquid suades. Quæ infirmitas utique malum, unde nos quotidie liberari deprecamur, cùm dicimus: Libera nos à malo. Sed nemo novit, nisi qui expertus est, quàm difficile sit, consuetudinem jurandi extinguere, & nunquam temerè facere, quod nonnunquam facere necessitas cogit. *S. Aug. l.2. de serm. Dom. in monte. c. 30.*

III. Bene prohibetur homo jurare, ne consuetudine jurandi, quia potest homo falli, etiam in perjurium prolabatur. DEUS solus securus jurat, quia falli non potest. *S. Aug. in ps. 88.*

IV. Qui contemnit Juramentum, illum despicit, per quem juravit; illique facit injuriam, cujus nomine credidit Adversarius. *S. Hieron. in Ezech. l.5. c.17.*

V. Jurare per execrationem gravissimum Jurisjurandi genus est. *S. Aug. in Psalm. 7.*

### *Fuga.*

VI. Si simpliciter nominare DEUM, non omnibus (Hebræis olim) fas erat, hoc certè quòd in testimonium vocatur, quantæ audaciæ, dic, oro, quantæ insaniæ? quomodo enim non absurdum, servum quidem non audere Dominum nominarim, & sine honoris præfatione appellare, Angelorum verò Dominum temerè & contemptim ubique contemptim jactare? *S. Chrysost. ho. 9. in acta.*

VII. Laborare debetis, & confligere adversus consuetudinem vestram malam, malam, malam, valdè malam, & tollere jurationem de oribus vestris. Cavere à falsa juratione, cavete à temeraria juratione. Ab his duobus malis securissimè cavebitis, si consuetudinem jurandi à vobis abstulentis. *S. Aug. s. 11. de decollat. S. Io. Bapt.*

VIII. Vis longè esse à perjurio? jurare noli. Falsa juratio exitiosa est: vera jurano periculosa est: nulla juratio secura est. *Idem s. 28. de verbis B. Iacob.*

IX. Mentiri & jurare lingua tua prorsus ignoret, tantúsque in te sit veri amor, ut, quidquid dixeris, juratum putes. *S. Hier. ad Celant.*

X. Multò tutiùs nunquam juratur, non quia peccatum est verum jurare, sed quia gravissimum peccatum est falsum jurare, quo cibus cadit, qui consuevit jurare. *S. Ambr. s. 14. in Ps 118.*

### *Damnum.*

XI. Si Jurisjurandi vis tanta fuit, ut ab Esau potuerit auferre primogenita; cùm enim jurâsset solùm, noluit, perjurii notam incurrere; quibus tradentur supplicus, qui non solùm jurejurando se obstringunt; sed etiam perjuriis jusjurandum violant? Si Esau ab iis, quæ cum damno suo pepigerat, recedere noluit; quomodo tu pacta, quæ pro salute tua fecisti; rumpere audebis. *S. Ephrem de morbo linguæ.*

XII. Tantùm mali habet juratio, ut, qui lapides colunt, timeant falsum jurare per lapides. Tu non times DEUM præsentem, DEUM viventem, DEUM scientem, DEUM manentem, DEUM in contemptores vindicantem? *S. Aug. s. 30. de verb. Dom.*



XIII. Non

Discet autem easdem ex sene illo, qui dixit: Ira per hos quatuor actus exurgit. Propter cupiditatem avaritiæ dandi & recipiendi, résque alienas rapiendi: & si quis propriam sententiam amans defendit: & si quis vult, se honoribus dignum esse; & si quis Doctorem se esse vult, plùs omnibus sapientem esse se sperans. *Vita PP. l. 7. c. 6. n. 1.*

V. Quinta est, ut pariter noscat modum, alienam iram pacandi, qui quidem in duobus ferè consistit. 1. Ut consilium & exemplum Davidis quis sequatur dicentis: Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis. Posui ori meo custodiam, cùm consisteret Peccator adversum me. Sicut enim si duæ januæ adversæ in eodem cubiculo apertæ sint, vehementiùs furit ventus; qui tamen mox quiescit, si alterutra claudatur; ita iratus quoque citò placabitur, si alterum cedentem & silentem advertetit. Hinc rectè S. Basilius suasit: Contumeliam intulit iratus, vince, amoveq; silentio malum, & cogita periculum de te fieri, an DEO, per patientiam adhæreas, seu per iram in Adversarij partes declines. 2. Ut, si loqui quis velit, pacificè loquatur & mansuetè; nam responsio mollis frangit iram, teste Salomone, sicut pellis bovina globo ignito superjecta vim ignis frangit, Hinc S. Paulus monet, ut si esurient Inimicus noster, cibemus illum, potum verò eidem, si sitiverit, demus; hoc enim facientes carbones congeremus, super caput ejus. Carbones namque, ut vult D. Augustinus, significant urentes pœnitentiæ gemitus, quibus superbia sanatur ejus, qui dolet se inimicum fuisse hominis, à quo ejus miseriæ subvenitur. *Ps. 38. v. 2. & 3.* *S. Basil. ho. 10. de ira.* *Rom. 12. v. 20.* *S. August. l. 3. de doctrin. Christ.*

## §. XI.

## CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. Ex occasione thematis: *Sol non occidat super Iracundiam vestram:* Potest iraigni tis globis, quibus in orbes conjectis Incolæ expugnari solent, comparari, atque adeò in prima parte ostendi, quàm meritò Ira ejusmodi globis comparetur, cùm ut illi ignem undique exspuat, magnâ vi omnia perrumpat & frangat, ingenti fragore terreat, omnia vastet, & in cineres redigat. In secunda parte ostendi potest, quomodo hi globi declinari possint, aut sine damno excipi, nimirum aut cedendo per silentium, aut pelle caritatis & mansuetudinis eosdem sopiendo, & obruendo. Vide Fabrum conc. 5. in Dom. 5. post Pent. *Ephes. 4. v. 26.*

II. Ex occasione thematis: *Memorare timoris Domini, & non irascaris proximo.* Possunt damna iræ per venenati poculi similitudinem explicari. & 1. Ostendi, quomodo, alteret hominem in corpore, cruciatus gravissimos creet, ad insaniam redigat, & demum omnino violentè perimat. 2. Qualis theriaca contra hoc venenum adhiberi debeat, scilicet Passio Christi cogitata, uti S. Elzearius Comes & plures alij suo exemplo docuerunt. Ostendatur ergo paulò fusiùs, quomodo hæc theriaca in praxi adhiberi debeat. *Eccles. 28. v. 8.*

Vide Marchantium tub. Sac. tr. 6. lect. 9.

III. Ex occasione thematis: *Virum stultum interficit Iracundia:* Potest Iracundia triplici lanceæ comparari (quia corde, ore, & opere perficitur) quâ Joab Absalonem in arbore pendentem interfecit. Ostendatur proin, quómodo per iram perinde ut per illam triplicem lanceam triplex vulnus & mors, in bonis externis (putâ Famâ, divitiis, fundis) corporis, & animæ infligatur. Et quomodo se quisque contra hanc lanceam triplicem triplici ære seu loricâ, nempe consideratione DEI & longanimitatis, quâ injurias nostras tolerat: *Proximi*, qui aut à DEO pro instrumento ad nos paternè castigandos adhibetur: *Sui* & fragilitatis propriæ armare, ac defendere debeamus, Quæ fusiùs videri possunt apud Fabrum conc. cit. & March. tr. c. lect. 7. *Iob. 5. v. 2.*

IV. Ex occasione thematis: *Irascimini, & nolite peccare:* Potest explicari modus legitimè irascendi, dicique, quòd peccatum quodvis duas habeat facies, scilicet offensam DEI, & lapsum Peccatoris, & secundùm priorem quidem detestandum sit non item secundùm posteriorem, sicut Pater castigat. Filium, non odit. Hoc est, quod David dixit: Perfecto odio oderam illos; hoc est, nec propter vitia homines odisse, nec propter vitia, homines diligere; sed quantò magis naturam hominis amas, tantò magis vitium odisse, quòd naturam à te sic adamatam fœdavit. *Ps. 4. v. 5.*

## §. XII.

## MISCELLANEA.

*Qualitas.*

I. Iracundiam, qui vincit, hostem superat maximum, inquit rectè Seneca. Hinc & S. Chrysostomus, quid esse possit, inquit, hoc Prophetâ beatius, qui brevi temporis momento sic hostem è furore ad sobrietatem composuit? & animum nactus cædis ac sanguinis sitientem repentè ad lamenta ac ejulatus composuit? Non perinde miror Moysem, quòd à saxo prærupto fontes elicuerit aquarum, ut admiror Davidem, quòd ex oculis lapideis fontes eduxerit lacrymarum. Siquidem ille vicit naturam, at hic vicit animi decretum: ille virgâ percussit lapidem, hic sermone perculit cor, non ut contristaret, sed mansuetum redderet. *Senec. in Proverb.* *S. Chrys. ho. 1. de David & Saule.*

II. Cùm aliquando Fratres quendam in præsentia S. Antonij collaudarent, hic autem eum probans, adverteret, injuriam sustinere non posse, dixit ei: Tu quidem, ô Frater, similis es ædificio, quod habet ingressum ornatum, per postica tamen à latronibus impugnatur. *Vita PP. de patient. & humil.*

III. Quidam Senex dixit: Si quis linguam suam non tenuerit in tempore iræ, nec passionem carnis suæ aliquando poterit continere. *Ibid.*

IV. Henricus Comes Holsatiæ leoni cum rugitu & ferocia sibi obviâti interrit' dixit: quiesce canis *Faber conc. 6. in*

*Dom. 5. post Pent. n. 6.* canis ferox. Quâ voce consternatus Leo; ad pedes ejus se prostravit, & manu apprehensus in caveam ductus est.

*Ibid. conc. 5. n. 2.* V. Augustus semper in manu annulum gestabat, in quo cancer marinus, qui utrâque manu Papilionem, præcipitantiæ typum, gerebat, sculptus erat, quo seipsum admoneret, ne in ira præceps esset.

*Plutarch. in apopht.* VI. Cato Priscus ajebat iratum ab insano non nisi tempore distare.

*S. Basil. in reg. fus. q. 176.* VII. S. Basilius interrogatus, cur maledici diligendi essent? respondit: Quia eorum operâ beatitudinem illam consequimur, de quâ Christus dixit: Beati estis, cùm maledixerint vobis homines mentientes propter me.

*Horat. l. 3. Ep. 7.* VIII. Rectè cecinit Horatius:

Ira furor brevis est, animum rege, qui nisi paret,
Imperat. Hunc frenis, hunc tu compesce catenâ.

*Laertius in Vita.* IX. Plato interrogatus, per quid cognoscatur sapiens? respondit: Sapiens, cùm vituperatur, non irascitur: cùm laudatur, non extollitur

*Damnum.*

*Senec. in Prov.* X. Quò minùs presseris iram, ait Seneca, eò magis ab illa premêris. Tunc enim incipimus aliis irasci, cùm nobis desinimus. Finis namque iræ, est initium pœnitentiæ.

*S. Ephrem in doctr. de perf.* XI. S. Ephrem suasit Monacho, ut potiùs optet gladio invadi, quàm iracundâ corripi.

*Langius in Polyanth. f. 604.* XII. Ictus ab apicula ursus, irâ incensus in apiarium irruit, & alvearia depopulatur. Tunc apes pleno agmine in ipsum irruunt, à quorum aculeis elapsus, quantò satius fuerat, inquit, unum pati apiculæ vulnus, quàm tantum in me exercitum irâ meâ concitare.

## §. XIII.

## AXIOMATA.

*Buchler. V. eodem.* I. Multùm deliras si pectore concipis iras.
Wer leicht im Hertz empfanget Zorn/
Hat all Verstand und Witz Verlohrn.

II. Res parient diras, nisi mox excluseris iras.
Wer gfaßten Zorn nicht bald außschließt/
Sein That mit grossem Schaden büßt.

III. Iræ dilatio, mentis pacatio.
Den Zorn auff andere Zeit verschieb/
Wann er das Hertz gemacht hat trüeb.

IV. Hora & mora sunt prima Iræ medicina.
Zeit und Weyl/ stille den Zorn in Eyl.

*Plutarch. in Vita August.* Hinc Athenodorus Philosophus ex Cæsaris Augusti aula discessurus, eidem documentum petenti suasit, ut, ubi irâ inflammatum se sentiret, nihil statueret, vel imperaret, donec omnes Alphabeti literas percurrisset. Quam doctrinam tanti fecit Cæsar, ut Athenodorum dimittere noluerit, dicens, eum diutius sibi necessarium esse

V. Imbellium animorum est citò irasci.
Kleine Häfelein gehn bald über.

*Sallustius in Iugurtha.* VI. Cupido & Ira pessimi sunt Consultores.
Bey groß Begird und schnellen Zorn.
Ist aller guter Rath verlohrn.

*Bias apud Laert.* VII. Ira ac præcipitantia
Destruunt bona consilia.
Vnmässig Zorn/ und schnelle That.
Verhindern allen guten Rath.

*Seneca de Ira.* VIII. Ubi multa Iracundia, multa quoque Insania.
Erzürnter Mensch und alle Narzen/
Zusammen ghörn auff einen Karn.

*Floril. p. 2.* IX. Iratus nemini magis nocet, quàm sibi.
Zorn und Vntreu trifft sich selbst.

*Ibid.* X. Potissimus Iræ fructus Pœnitentia.
Auff grossen Zorn folgt grosse Reu.

XI. Ira cedendo, non cædendo extinguitur.
Feuer muß man mit Wasser/ nicht mit Feur löschen.

## §. XIV.

## AVTHORES

I. IOannes Busæsus in Panario V. eodem.
II. Jacobus Marchantius in Horto Pastorum. Tub. Sac. tr. 6.
III. Petrus Canisius to. 3. de Justitia Christ. §. 8.
IV. Bernardinus Rosignol. l. 2. de disc. Christ. perf. c. 17.
V. Philippus D' Outreman in Pædagogo Christiano. p. 1. c. 7. §. 7.
VI. Jacobus Alvarez to. 2. de perfect. l. 1. p. 2. c. 9. & 10.
VII. Cassianus l. 8. de Justit. renunc.
VIII. Ludovicus Granat. in Duce Peccatorum l. 2. c. 9.
IX. Josephus Langius in Polyant. V. eod.
X. Franciscus Petrarcha. l. 1. Dial. 107.
XI. Annæus Seneca lib. de Ira.
XII. Matthias Faber conc. 5. 6. & 7. in Dom.
XIII. Thomas Stapletonus text. 2. in Domin. 5. post Pent. & tex. 3. ac 7. in Domin. Pass.



ipso condemnet. Judicet ille, qui non agit eadem, quæ in altero putaverit puniendā.

*Cassian. l. 5. c. 30.* II. Ob hoc judicare de aliis periculosum est, quòd ignorantes vel necessitatem, vel rationem, quâ illi hæc, in quibus offendimus, aut rectè coram DEO, aut venialiter agunt, invenimur eos temerè judicâsse, & per hoc admittimus non leve peccatum.

*S. Gregor. in mor.* III. Stulti tantò intensiùs de alieno judicant, quantò sua profundiùs ignorant.

*Idem. l. 14. mor. c. 1.* IV. Humanæ mentis est proprium, hoc sibi fieri suspicari, quod facit.

*S. Doroth. Serm. 6.* V. Comparavit [ Christus ] proximi peccatum festucæ, judicium verò trabi; usque adeò grave & insuave est, Proximum judicare, ut ferè omne peccatum excedat.

*S. August. S. 47. de temp.* VI. In Homine carnali tota regula intelligendi, est consuetudo cernendi.

*S. Greg. in mor.* VII. Sunt aliqui, qui de omnibus malè judicant. Dicunt enim, si quis studet humilitati, hypocrita est: si recreationi, gulosus est: si patientiæ, timidus est: si Justitiæ, impatiens est: si simplicitati, fatuus est: si prudentiæ, malitiosus est: si maturitati, phlegmaticus est: si jucunditati, dissolutus est: si Religioni, singularis est: si societati, secularis est: si silentio & paci, dissimulator est: si aliorum correptioni, præsumptuosus est: si instat vigiliis & orationibus, indiscretus est: si dormitioni, somnolentus est: si prædicationi & aliorum saluti, appetitor laudis est: si desistat, negligens est: si habet gratiam hominum, adulator est: si adulari renuit, superbus est.

*Fuga.*

*S. Greg. sup. Eccl. 7.* VIII. Debet quisque proprias virtutes perpendere, & pro qualitate virium curam aliorum suscipere, ne, dum delectatur bono gloriæ, fiat subditis author ruinæ; & qui gravatur pondere suarum, velit fieri judex alienarum culparum; durum enim est, ut, qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, Judex fiat vitæ alienæ.

*S. Hier. epist. 39.* IX. Aliter hominum livor, aliter Christus judicat; non eadem est sententia tribunalis ejus, & anguli Susurronum. Multæ viæ videntur Hominibus justæ, quæ postea reperientur pravæ. Et in testaceis vasis aurum sæpe reconditur. Petrum ter negantem amaræ in suum locum restituêre lacrymæ. Cui plùs dimittitur, plùs amat.

*S. August. l. 2. c. 18.* X. Duo sunt, in quibus temerarium judicium cavere debemus; cùm incertum est, quo animo quidque factum fuerit: vel cùm incertum sit, qualis futurus sit, qui nunc vel bonus, vel malus apparet. Non ergo reprehendamus ea, quæ nescimus, quo animo fiant; neque ita reprehendamus, quæ manifesta sunt, ut desperemus sanitatem.

*S. Aug. sup. ps. 147.* XI. Quid perdo, si credo, quia bonus est? si incertum est, utrum sit malus, licet quidem, ut caveas, ne fortè verum sit, non tamen damnes, tanquam verum sit. Hoc pax jubet. Quære pacem, ait, & sequere eam.

*Damnum.*

XII. Temerarium judicium plerumque nihil nocet ei, de quo temerè judicatur: ei autem, qui temerè judicat, ipsa temeritas necesse est, ut noceat. *S. Aug. l. 2. in f. Dom. in monte.*

XIII. Si malum est, propria peccata non cernere, duplex jam aut triplex peccatum est, judicare alios, & in suo oculo trabem absque dolore gestare: omni quippe trabe gravius est. *S. Chrys. ho. 24. in Matt.*

## §. IV.

## EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

*Qualitas.*

I. IN judicando alios homo frustra laborat, sæpiùs errat, leviter peccat; seipsum verò judicando & discutiendo semper fructuosè laborat. *Lib. 1. c. 14. §. 1.*

II. Sicut nobis res cordi est, sic de ea frequenter judicamus; nam verum judicium propter privatum amorem faciliter perdimus. *Lib. 1. c. 14.*

*Fuga.*

III. Ad teipsum oculos reflecte, & aliorum facta caveas judicare. *Ibid. §. 4.*

IV. Quid ad te? utrum ille sit talis vel talis? aut iste sic vel sic agit, vel loquitur? tu non indiges respondere pro aliis, sed pro teipso rationem reddes. quid ergo te implicas? *L. 3. c. 24. §. 1.*

## §. V.

## E X E M P L A.

*Qualitas.*

I. HEli Sacerdos Annam Elcanæ Conjugem, dum Dominum in templo, toto corde deprecatur, ex labiorum motu temulentam judicans his verbis allocutus est: Usquequo ebria eris? digere paulisper vinum, quo mades. *1. Reg. 1. v. 13.*

II. Michol Filia Saulis Davidem Maritum suum saltantem coram arca conspiciens, despexit eum corde suo, & in occursum egrediens dixit: Quàm gloriosus fuit hodie Rex Israël, discooperiens se ante ancillas servorum suorum, & nudatus est, quasi nudetur unus de scurris. *2. Reg. 6. v. 20.*

III. Christus Judæis dixit: Venit Joannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum, & dicitis: Dæmonium habet. Venit Filius hominis manducans & bibens, & dicitis: Ecce homo devorator, & bibens vinum, amicus Publicanorum & peccatorum. *Luc. 7. v. 33.*

IV. Simon Pharisæus videns Christum permittere, ut Maria Magdalena procidat ad pedes ejus, eósque rigare lacrymis, capillis extergere, & osculari, dixit intra se: Hic si Propheta esset, sciret utique, quæ, & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est. *Luc. 7. v. 39.*

V. S. Catharina Senensis de seipsa testatā *Dial. c. 108.*

est, se subjectam fuisse huic vitio, dum dixit: Tradidisti mihi medicinam obtabilem contra quandam occultam ægritudinem, quam ignorabam, nec illam agnoscebam, instruendo me, ne ullatenus ego judicare præsumam aliquam rationalem creaturam, & præcipuè servos tuos de quibus aliquando velut ex cæcitate, & ignorans, hâc eram infirmitate corrupta; quia sub colorata specie tui honoris, atque salutis animarum, temerè judicabam.

*S. Greg. l. 3. Dial. c. 6.* VI. Rex Totila cùm Cassium Narviensem Episcopũ facie rubicundâ præditum conspexisset, ideóque ut potui assiduo deditum contempsisset, malignus Spiritus Spatharium illius invasit, nec antè vexare destitit, donec ad S. Cassium adductus, ab eo liberatus est.

*Fuga.*

*Luc. 23. v. 34.* VII. Christus, etsi peccata Inimicorum suorum intimè perspecta haberet, nihilominus tamen ea excusans ad Patrem dixit: Pater dimitte illis, quia nesciunt, quid faciunt.

*Matt. 1.* VIII. Joseph videns uterum Sponsæ suæ intumescere, neutiquam tamen judicavit eam adulteram esse, sed maluit suspendere judicium, & miraculosè conceptam ptolem suspicari.

*Virg. Copar. in Vita c. 24.* IX. S. Maria Magdalena de Pazis vidit quandam Monialem per sedecim dies fuisse purgatam, sed eas pœnas ob tres virtutes non modicè fuisse imminutas. 1. Ob sollicitam curam, quam semper habuit puritatem & simplicitatem suæ Religionis conservandi. 2. Ob magnam caritatem, quam omnibus Monialibus exhibebat, 3. Quia semper omnia in bonam partem trahebat, & bene interpretabatur.

*Baronius anno 599.* X. Monachus quidam cùm post vitam suam in otio aliísque vitiis malè traductam, nihilominus in morte perquam lætus esset, quæsitus, quæ causa esset hujus lætitiæ? respondit, paulò antè Angelum sibi adfuisse, omniáque sua peccata, quæ in tabula decripta habebat, spongiâ delevisse, eò quòd per totam vitam neminem judicâsset, adeóque verificari meruisset promissum Christi: Nolite judicare, & non judicabimini.

*Vita apud Rosvveyd. c. 46.* XI. S. Joannes Eleemosynarius cùm aliqui in præsentia illius de raptu Monialis ab adolescente quopiam facto murmurarent; compescuit illos dixítque: Nolite, Filii, nolite sic agere, nam ostendam vobis, quia & vos duo peccata facitis, unum, quia transgredimini mandatum dicens: Nolite judicare, & non judicabimini. Deinde, quia nescitis certò, si usque hodie peccent, & non pœniteant. Multoties enim peccatum fornicationis vidimus, pœnitentiam verò ejus, quàm fecit occultè, non aspeximus.

*Vita Patrum. p. 2.* XII. Abbas Moyses accersitus, ut sententiam in Fratrem lapsum diceret, advenit sacco arenâ pleno onustus, rogarúsque, quid ferret? respondit, peccata mea; quæ quoniam vix portare valeo, multò minùs aliena portare possum.

*Ibid.* XIII. Abbas Pastor interrogatus, quâ ratione quietem in hoc Seculo & futuro obtinere quis posset? respondit: Si in omni causâ diceret: quis sum ego? & non judicet quemquam.

XIV. Anachoreta quidam, si aliquando Fratris cujuspiam sui lapsum cognovit, cum gemitu dixit: Heu mihi! ille hodie, ego cras. *S. Dorotheus doctr. 8.*

*Damnum.*

XV. Maria Soror Moysis, quia temere Fratrem suum propter uxorem Æthiopissam judicaverat, mox lepræ supplicio castigata est. *Num. 12.*

XVI. Abbas Isaac, quia Fratrem quendam temerè judicârat, regressus ad Eremum, ab Angelo aditu cellæ prohibitus est. cùmque intellectâ hâc causâ, Angelo supplex factus veniam peteret, respondit Angelus: Surge, ignoscit tibi DEUS, sed deinceps ne judices quemquam antè, quàm sit judicatus à DEO. *Vita Patrũ p. 2.*

XVII. Abbas Machetes fassus est, tria fuisse, in quibus alios judicârat ac reprehenderit, sed in omnia tria paulò pòst ipsummet incidisse. Unde hortabatur unumquemque seipsum tantummodo judicare, non autem aliorum vitam discutere, eò quòd manifestum sit, iisdem vitiis obligari Monachum, in quibus de aliis judicare præsumpserit. *Cassian. l. 5. c. 30.*

XVIII. Senex quidam cùm à Juvene ipsum visitante de Fratre quodam sinistræ famæ interrogaret, an necdum ab ea liberatus esset? eóque negante, O! exclamâsset, visus est statim in Ecstasi coram Christo in monte Calvariæ in medio Latronum pendente consistere, cúmque accedere ad adorandum Christum vellet, hanc ab Angelo vocem audire: Ejicite illum foras, quia Antichristus mihi est; priusquam enim ego judicem, ipse Fratrem suum judicavit. Itaque cùm ejiceretur, pallium ejus in janua hæsit, statimque ex somno & ecstasi evigilans narravit omnia Fratri, adjecitque, hoc pallium divinam protectionem significare, quâ ob judicatum Fratrem privatus fuit. Quare septem integris annis à consortio humano, pane, & tecto abstinens, orationi vacavit, donec iterum Christum in monte Calvariæ vidit, pallíumque recepit. *Lanzi. opusc. 19. c. 1. n. 4.*

## §. VI.

## EXEMPLA DOMESTICA.

I. S. Ignatius, si quod alicui Sociorum alienum vitium in communi sermone excidisset, vel elevabat factum, vel excusabat animum & voluntatem. Quòd si rei atrocitas excusandi, minuendíque omnes aditus præcluderet, eò perfugiebat: Nolite ante tempus judicare. DEUS solus intuetur cor. Domino suo quisque stat, aut cadit. Cùm gravissimè: ego quidem certè hoc non fecissem. Ut illud Domini præceptum penitus in ejus animo insedisse videretur: Nolite judicare, & non judicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini. Hinc ob consuetudinem hanc *Ribad. l. 5. vit. c. 6.*

S. Pa-

Lancic. op. 10. a. n. a. 240. S. Patris sui natum Domi nostræ proverbium fuit, ut, si quid vel simpliciter dictum aut factum credebatur, *Interpretationes Patris* vocarentur, quemadmodum Ludovicus Consalvus apud Lancizium testatur.

Idem opusc. op. n. 165. II. De B. Aloysio ad probandam ejus sanctitatem Auditores Rotæ Romanæ inter alia etiam hoc afferunt pag. 31. quòd aliorum dicta vel facta in meliorem partem excusaret, vel interpretaretur.

## §. VII.

## EXEMPLA PROFANA.

Laërt. l. 6. I. SOcrates, si occasio se offerebat, de rebus ad se non pertinentibus judicandi, dicere solebat: Quæ supra nos, nihil ad nos.

Ælian. l. 2. hist. II. Hippomachus pugilandi Magister, cùm quidam ex ejus Discipulis specimen artis exhiberet, ideóque Populus ei applauderet, virgâ eum percussit dicens: Si benè te gessisses, non hi te collaudarent; quo dicto innuere voluit, eos, qui benè aliquid gerere, ideóque laudari cupiunt id non à plebe, sed à Magistris illius artis expectare debere.

Langius in Polyant. f. 617. III. Appelles tabulas à se pictas ante domum exponere, hominúmque de iis judicia audire solitus, cùm aliquando Sutor quispiam crepidas non ritè factas diceret, patienter tulit. Ubi verò etiam de crure, aliísque membris judicium ferre cœpit, indignatus prospexit, dixitque: Sutor, ne ultra crepidam.

## §. VIII.

## SIMILITUDINES.

### *Qualitas.*

S. Chrys. f. 1. super Matt. I. SIcut difficilè aliquem suspicatur malum, qui bonus est; sic difficilè aliquem suspicatur bonum, qui malus est.

S. Clymacus gradu 30. II. Sicut bonus & probus Uvæ lector matura acina commedens, acerba legere nunquam patietur; sic gnari & probati viri animus quotquot in aliis virtutes inspexerit, studiosissimè notabit; insipiens verò querelas defectúsque perscrutabitur.

S. Chrys. ho. 38. ad pop. III. Sicut columna in templo si steterit recta, accepto pondere ampliùs confirmatur; si autem modicè obliqua fuerit, accepto pondere non solùm non confirmatur, sed ampliùs vadit ad latus; sic & cor hominis, si rectum fuerit, videns opera viri alicujus justi, aut audiens, per doctrinam Sapientiæ ejus ampliùs confirmatur; si autem fuerit perversum cor, videns opera viri alicujus justi, aut audiens, non solùm non confirmatur, sed magis ad invidiam excitatur, & magis pervertitur.

S. Doroth. doct. 16. IV. Sicut corpora mali humoris, quidquid cibi sumpserint, quodammodo perimunt; sic animæ malè dispositæ unaquæque res quamvis bona & utilis, suo vitio nocet.

Seneca ep. 47. V. Sicut stultus est, qui equum empturus non ipsum inspicit, sed stratum ejus & frena; sic stultissimus est, qui hominem aut ex veste, aut ex conditione, quæ vestis modo nobis circumdata est, æstimat.

Engelg. to. 1. Dom. 1. post Pent. §. 2. VI. Sicut Phantasia in cælo Leonem, Scorpionem, variáque spectra effinxit, cùm sint lucidissimæ constellationes; ita plerumque homines, sceleratissimos judicant eos, qui lucent tanquam stellæ firmamenti.

Idem §. 3. VII. Sicut per vitrum rubrum aut flavum prospiciens, omnia judicat rubra aut aurea; ita pro affectione animi de aliis judicamus.

Stapl. in Dom. 1. post Pent. §. 2. VIII. Sicut Cucurbitæ, quod in carne deterrimum est, ad se trahunt; sic improborum animi deterrima quæque cogitando & suspicando ad se trahunt.

Ibid. IX. Sicut, qui impetigine laborat, perpetuum affrictum desiderat; sic quovis pravo desiderio affectus idem alteri affricare cupit, ut vel aliorum malis quasi similibus se oblectet; vel sua mala ex aliorum comparatione justificet, aut communione alleviet.

Ibid. X. Sicut algent viscera, cùm naturalis calor ad extrema corporis mébra diffunditur; sic circa alienos defectus notandos ideo solliciti sumus, quia nostra negligimus.

Ibid. XI. Sicut ii, quibus domi nullum est negotium, in foro obambulant; sic qui in exploranda vita sua negligentes sunt, in aliena judicandâ curiosi sunt.

Ibid. XII. Sicut venti illi omnium sunt molestissimi, qui pallia nobis avellunt; sic illi quoque homines, qui temerè judicant, & secrentissima violenter expandunt, meritò præ cæteris odio habentur.

### *Damnum*

S. Chrys. ho. 88. XIII. Sicut, si quis solem, authorem tenebrarum existimat, sibi, non illi detrahit; ita, qui bonos homines, pravos judicat, sibi, non illis nocet.

S. Doroth. doct. 16. XIV. Sicut modicum fellis aut absynthii totum vasculum melle plenum corrumpit; ita modica amaritudo mentis, quâ judicamus Proximum pro statu mentis nostræ, totum proximi bonum corrumpit.

Senec. l. 5. de benef. XV. Sicut Stomachus morbo vitiatus, & bilem colligens, quoscunque accipit, cibos immutat, & omne alimentum in causam doloris trahit; ita animus cæcus, quidquid illi commiseris, ad onus suum & perniciem, & occasionem miseriæ facit.

## §. IX.

## MOTIVA.

I. *QUia præcepto caritatis proximi est summè contrarium*: cùm enim hoc exigat, ut proximum sicut nos ipsos diligamus; nos autem nihil magis optemus, quàm ut omnes de nobis benè sentiant, & loquantur, rectè colligitur, graviter hoc præceptum violari ab eo, qui proximi actiones sinistrè interpretari præsumit.

II. *Quia & ipsi Authori graviter perniciosum est hoc vitium*: nam inprimis justo DEI judi-

S. Mecht. l. 1. c. 7. judicio plerumque contingit, ut, qui alios judicant, in eosdem defectus, quos aliis imputârunt, cadant. Deinde verò, etiamsi in illos non cadant, tamen eâdem pœnâ digni sunt, uti Christus S. Mechtildi revelavit, dum eidem dixit, magni esse criminis, cùm homo judicat proximum suum, quem si injustè judicaverit, tes erit tanti sceleris, quanti esset is, qui fecisset hoc malum, quod de alio judicatur. Quòd si homo etiam fecit id, quod de eo dicitur; tamen qui nesciens intentionem facientis secundùm cor suum & sensum eum judicat, tam reus erit ex ipso judicio, quàm ille, qui rem ipsam perpetravit; & nisi pœnitendo diluat, simili pœnæ, quam ille promeruit, qui hoc malum fecit, & ille subjacebit.

## §. X.

## MEDIA.

S. August. de serm. Dom. in monte. I. Radicem tollere: quam quidem sat clarè S. Augustinus indicavit, dum dixit: maximè hi temerè judicant, qui merita aliorum facilè reprehendunt; quique magis amant vituperare, & damnare, quàm emendare & corrigere; quod vitium est superbiæ vel invidiæ.

Matt. 7. v. 3. II. *Propria peccata considerare.* Sic enim Christus ipse suasit, dum dixit. Quid vides festucam in oculo Fratris tui, & trabem in oculo tuo non vides? Hypocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo. Et meritò, nam, ut Sapienter S. Gregorius dixit, qui semetipsum prius non judicat, quod in alio rectum judicet, ignorat. Et si novit fortè per auditum, quòd rectè judicare debeat, rectè tamen judicare aliena merita non valet, cui conscientia Innocentiæ propriæ nullam Judicis regulam præbet. Hinc est enim, quòd insidiantibus quibusdam, & puniendam Adulteram deducentibus dicitur: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Ad aliena quippe peccata punienda ibant, & sua reliquerant. Quod ipsum egregiè confirmavit Senex ille, qui à Fratre rogatus, quæ causa esset, cur assiduè judicaret Fratres Monachos? respondit: Quianeedum teipsum cognovisti; nam qui seipsum novit, Fratrum vitia non aspicit.

S. Greg. l. 14. mor. c. 15.

Io. 8. v. 7.

S. Bern. f. 4. in Cant. III. *Assuescere omnia proximi opera bene interpretari:* juxta illud S. Bernardi consilium: Excusa intentionem, si opus non potes; puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. Et monitum Apostoli dicentis: nónne de iis, qui intus sunt, vos judicatis?

1. Cor. 5. v. 12.

S. August. tr. 30. in Io. Staplet. in Dom. 1. post. Pent. f. 2. IV. *Proximum sincerè diligere:* nam, ut S. Augustinus verissimè dixit, non judicat personaliter, qui diligit æqualiter. Et ut benè discurrit Stapletonus, ubi caritas & misericordia habitant, ibi Frater non judicatur. Lex Fidelium Mercatorum est, ut Socii sint non minùs in damno, quàm lucro. Hoc fit in tota Fidelium Societate. Sicut enim caritas aliena bona facit sua juxta illud: Particeps ego sum omnium timentium te; atque ita multùm lucratur? ita misericordia aliena facit, Fratribus compatiendo juxta illud: gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Quod alibi apposita similitudine confirmat, dum ait: Sicut Fluvius magnus & altè patens omnes rivulos ad se venientes sinu suo excipit, & complectitur; & sicut ignis omnia comburit, & in se convertit; ita Caritas dilatata omnes aliorum actiones in bonam partem accipit, &, ubi factum non potest, intentionem excusat.

Ps. 118. v. 63.

S. Dom. 3. in quadr. cont. 4.

## §. XI.

## ASCETICA.

I. Quinque sunt potissimùm, quæ Asceta circa hoc vitium specialiter observare debet. Primum est, ut bene cognoscat primarium fundamentum, & rationem, ob quam neminem judicare temerè oportet, quam quidem S. Hieronymus sequentibus verbis indicavit: Non enim conscientiæ latebras hominibus scire, aut nudare permissum est, dicente Scriptura: Homo in facie videt, DEUS solus intima & secreta circumspicit, sed manifesta est vox Domini monentis: à fructibus eorum cognoscetis eos. S. Hier. in ep. 5.

II. Secundum est, ut bene cognoscat, quando judicium verè sit temerarium, tum scilicet, quando non ex certæ rationis dictamine, sed ex affectu & corrupta passione Proximus judicatur.

III. Tertium est, ut pariter bene cognoscat quantopere hoc vitium specialiter ab Asceta perfectionis studioso sit fugiendum; id quod à S. Raymundo discet, qui, cùm plura alia monita vice testamenti suis filiis & filiabus spiritualibus reliquisset, inter alia specialiter hortatus est, ne quem unquam judicarent, dixitque, hoc esse necessarium ad veram mentis puritatem, ut in omnibus DEI voluntati attenderetur, qui omnia permittit ad bonum finem. Vita l. 3. c. 13.

IV. Quartum est, ut solidum & efficax medium quoque cognoscat, hoc vitium effugiendi, quale quidem S. Climacus sequentibus verbis peraptè assignavit: Qui celeres, nimiùmque diligentes Proximi delictorum Iudices sunt, hoc idcirco patiuntur, quia nondum suorum peccatorum fixam atque perfectam memoriam, curámque susceperunt. Nam si quis amoto proprii amoris velamine, mala sua diligenter inspiciat, nullius jam rei alterius in hac vita curam geret, id apud se reputans, tempus sibi sufficere non posse, quo seipsum lugeat, etiamsi centum annos vixerit: etiamsi Jordanem fluvium in lacrymas conversum ex oculis manare conspexerit. S. Climac. grad. 10.

V. Quintum est, ut non modò ipse similia judicia non ferat, sed & aliorum judicia fortiter spernere addiscat, dicátque cum S. Paulo: Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die. Hinc rectè S. Gregorius Nazianzenus dixit: Quid meâ interest, qui rei veritatem magis curo, imò solùm curo? hoc enim me vel condemnaverit, vel absolverit: hoc miserum vel beatum reddiderit. At quid aliis vide- 1. Cor. 4. v. 3. S. Greg. Nazianz. in orat. pro se ipso.

videretur nihil ad vos, quemadmodum nec alienum somnium. Non ita aliis videtur, ais. Quid vero? an iis, qui vertigine correpti sunt, terra fixa & stabilis esse videtur? Quocirca fac prius fidem, sanos eos esse, qui de nobis ita sentiunt, & tum nos admone, ut meliorem mentem induamus. Rectè ergo S. Hieronymus concludit: Spernentes hominum judicia, nec laudibus eorum extollamur; nec obtrectationibus contristemur, sed ingrediamur rectam viam, & tritas à S. Prophetis semitas.

b. Hier. l. 1. in Isaiam.

## §. XII.

## CONCEPTUS PRÆDICABILES.

b. Doroth. f. 6.

I. EX occasione thematis: *Nolite judicare, & non judicabimini:* possunt explicari causæ, ob quas judicia temeraria vitari debeant: Nimirum 1. Quia *gravis* per tale judicium committitur *stultitia*; nam stultorum proprium est, teste Siracide, cor in sinistra manu habere, id est, omnia sinistrè interpretari. 2. Quia *gravis* etiam per illud contrahitur *culpa:* nam ut S. Dorotheus ait, omne ferè peccatum excedit, ideoque trabi à Christo comparatur. 3. Quia etiam *pœna* per illud *gravissima* incurritur, ut scilicet in eosdem labatur defectus & peccata, qui judicat; quæ pœna meritò gravissima judicari debet. Accedit, quòd in judicio coram DEO sit inexcusabilis, ut qui eadem agit, quæ in altero condemnat. Vide Fabrum conc. 4. in Dom. 18. post Pentec.

1. Cor. 4. v. 5.

II. Ex occasione thematis: nolite ante tempus judicare: afferri possunt aliæ rationes, ob quas vitandum sit judicium temerarium nimirum 1. quia *non licet*; cùm hæc potestas soli DEO sit reservata. 2. Quia *non decet*: cùm indecens sit, ut judicium ferat is, qui omnes rei judicandæ circumstantias necdum cognovit; intentionem autem, quæ potissima est actionum nostrarum judicandarum regula, nemo cognoscere queat. 3. Quia *non expedit*: cùm ipsi plurimis vitiis obnoxii simus, atque adeò nos ipsos potiùs, quàm alios judicare debeamus. Vide Fabrum loc. cit.

Jac. 4. v. 13.

III. Ex occasione thematis: *Tu quis es, qui judicas Proximum:* possunt afferri causæ, quæ ex parte solis Judicantis se habent. Itaque quæratur, Tu quis es? & respondeatur 1. *Homo reus*: ergo ipse judicandus, atque adeò non nisi cum magna temeritate ac impudentiâ assumpturus Judicis officium. 2. *Homo cæcus*: ideòque ineptus ad judicium de coloribus alienorum factorum ferendum. 3. *Homo fragilis*: cui proinde meritò dicatur illud pii Asceteæ: Stude patiens esse in tolerando aliorum defectus, quia & tu multa habes, quæ oportet ab aliis tolerari. Vide iterum Fabrum l. c. n. 1. 2. 3.

Jo. 7. v. 24.

IV. Ex occasione thematis: *Nolite judicare secundùm faciem, sed justum judicium judicate:* possunt proponi aliquot media ad temerarium judicium vitandum, & quidem ex DEO desumpta. Et 1. quidem *ob ejus potentiam*: ratione cujus illi soli convenit judiciaria potestas; hinc S. Paulus dixit: Tu quis es, qui alienum judicas servum? Domino suo stat, aut cadit. 2. *ob ejus sapientiam*: ob quam de eo dictum est: Tu nôsti solus cor omnium; unde homo non nisi ut cæcus de coloribus judicat, si actiones humanas dijudicare præsumit. 3. *Ob ejus bonitatem*: quâ Hominum omnium peccata dissimulat, & supportat; quidni ergo homines ipsi simili cum caritate & patientia mutuos defectus supportent?

Rom. 14. v. 4. 3. Reg. 8. v. 39.

V. Ex occasione thematis: *Non ergò amplius invicem judicemus.* Possunt alia remedia ex parte hominis judicantis se tenentia proponi. Nimirum 1. *Consideratio Naturæ propriæ*: ob quam quisque est comembrum alterius hominis, atque adeò tegere potiùs & occultare deberet alterius nuditatem, quàm revelare. 2. *Consideratione propriæ fragilitatis*: ob quam decet aliorum onera & peccata leviora patienti animo tolerare, eò quòd graviora longè in nobis ipsi supportare debeant. 3. *Consideratio Justitiæ divinæ*, tum opera prava punientis, tum actiones bonas præmiantis, quam conciliare nobis faciliùs non possumus, quàm si ab aliis judicandis abstineamus.

Rom. 14.

VI. Ex occasione thematis: *Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humano die:* potest ostendi, cur, & quomodo judicia humana contemni debeant. 1. Quia *impossibile* est, omnibus placere; cùm nec ipse Christus id potuerit. 2. Quia *vanum* est humana judicia timere; cùm quis non fit sanctior, si laudatur: nec deterior, si vituperatur. 3. Quia *noxium* est, ob sinistra aliorum de nobis judicia turbari; quia sic multa inordinatè & imperfectè fient, aut omnino omittentur, quemadmodum quotidiana experientia docet. Vide Panarium Busæi fol. 257.

1. Cor. 4. v. 3.

## §. XIII.

## MISCELLANEA.

### *Qualitas.*

I. REctè in temerarios Judices invectus Horatius cecinit:

Cùm tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quàm aut aquila, aut serpens Epidaurius?

Horat. Serm. l. 1. sat. 3.

II. Dixit quidam ex Senioribus: Si videris aliquem peccantem, ne mittas culpam in eum, sed in eum, qui impugnat ipsum & dicito: Væ mihi, quia iste nolens victus est, sicut & ego: & plange, & inquire DEI solatium, quia omnes decipimur.

Vita PP. l. 5. n. 139.

III. Aliena vitia in oculis habemus, à tergo nostra sunt; ut rectè dixit Seneca:

Senec. l. 2. de ira. c. 28.

IV. DEUS Pater olim S. Catharinæ Senensi dixit: Miser homo semetipsum ignorando, vult agnoscere pariter & judicare cor, & affectum proximorum: & ex quadam operatione sive minimo verbo statim incon-

Dial. c. 93.



fulta

fultè damnabiliter judicat ea, quæ sunt hominibus occulta; Sed amici mei semper judicant in bonum, quia fundati sunt in me summo bono. Hujusmodi verò miseri semper judicant in malum, quia fundati sunt in miserabili malo.

*Horatius l. 1. sat. 3.* V. Non malè iterum Horatius cecinit:
Quàm temerè in nosmet legē sancimus iniquā,
Nam vitiis nemo sine nascitur: optimus ille,
Qui minimis urgetur.

*Erasmus l. 6. apophs.* VI. Stratonicus Ptolemæo Rege secum de Musica disceptante, aliud est, inquit, ô Rex, Sceptrum, aliud plectrum; Significans, non esse regium cum Musico de Musica disputare.

*Granat. in loc. com. f. 391.* VII. Æsopus dicebat, unumquemque duas peras secum ferre, unam antè, alteram à tergo; & in anteriore quidem aliorum peccata reponere, in posteriore verò nostra.

*Fuga.*

*Dial. c. 100.* VIII. DEUS S. Catharinæ Senensi dixit: ut attingere possis ad unionem ac puritatem istam, nunquam judices in te aliqua, quam videris ab aliquo fieri sive dici contra te, sive contra alium. Etsi videres etiam peccatum expressum, extrahes ab ista spina rosam odoriferam, videlicet eos offerendo coram me per veram & fraternam compassionem, & isto modo pervenies ad puritatem perfectam.

*Erasmus l. 6. apopht.* IX. Stratonicus Minnaco Fabro de Musica secum disputanti dixit: non advertis te supra malleum loqui?

§. IV.

AXIOMATA.

*S. Hier. ep. 46.* I. PRima virtus Monachi est, hominum de se judicia contemnere.

Wer menschlich Urtheil nit hoch acht/
Vor Freud und Fried im Hertzen lacht.

II. Quæ supra te, nihil ad te.

Was dich nit brendt das blaß nit/
Sonst bist nit ohne Zanck und Stritt.

III. Cæcus de colore non judicat.

Blinder urtheilet nit von der Farb.

IV. Quod tuâ non refert, percontari desinas.

Was dich nicht angeht/ das sorge nit.

V. Medice, cura teipsum.

Ein jeder kehre vor seiner Thür.

§. XV.

AUTHORES.

I. JOannes Busæus in Panario. V. eodem.
II. Nicolaus Lancizius opusc. 19. toto.
III. Jeremias Drexelius in Amussi l. 2. c. 7. Consecut. 5.
IV. Ludovicus Granatensis in locis communibus fol. 389.
V. Henricus Engelgrave in p. 1. Lucis Evang. emblem. 29.
VI. Matthias Faber conc. 4. in Domin. 18. post Pentec.
VII. Thomas Stapletonus text. 2. in Dom. 3. Quadr. & Dom. 1. post Pent.
VIII. Josephus Langius in Polyanthæa V. eodem. fol. 616.

# TITULUS XVI.

# JURAMENTUM.

§. I.

## QUOAD ESSENTIAM.

*Definitio.*

I.

*Busenb. l. 3. tr. 2. c. 2. ex S. Thom. 2. 2. q. 89. a. 1.*



Est tacita vel expressa DEI, tanquam primæ & infallibis veritatis, in testem alicujus rei vitosa invocatio. Et consistit in eo, quòd jurans, sine legitima causa, quantùm est in se, cupiat, ac velit, DEUM id, quod jurat, testari (sive in hac, sive in altera vita) & manifestare, tanquam quod ab ipso sit cognitum ac verum.

*Divisio.*

*Ibid.* II. Dividitur 1. in *Invocatorium* seu *Contestatorium*, & *Execratorium* seu *Imprecatorium*. Illud est, quo DEUS simpliciter in testem invocatur; istud est, quo non solùm ut testis, sed etiam ut Vindex vocatur, cùm scilicet jurans aliud quidpiam DEO puniendum subjicit, si aliter se res habet, quàm ipse affirmaverit, vel negaverit. Dividitur 2. in *Assertorium* & *Promissorium*: Illud est, quo præterita vel præsentia simpliciter affirmantur, aut negantur; hoc autem, quo aliquid futurum promittitur. Dividitur. 3. in *Temerarium*, quando sine judicio, id est, necessitate aut utilitate juratur: *Injustum*: quo res illicita juramento confirmatur: & *Perjurium*, quo DEUS in testem rei falsæ invocatur.

*Actus & Gradus.*

III. Primus est, *solis verbis simpliciter prolatis DEUM in testem invocare*; uti facere solent, qui per Animam jurant.

IV. Secundus est *etiam corporale signum in contestationem sui Juramenti adhibere*; ut cum quis digitis binis erectis, aut super Evangelium positis jurat.

V. Tertius est, *etiam pœna cujuspiam imprecationem adjicere*; ut cùm quis ait,

se

se cupere, ut DEUS æternæ damnationi eum adjudicet, si falsum dixent.

### § II.

## EX S. SCRIPTURA.

### Qualitas.

*Isaia. 65. v. 16.* I. QUi jurat in terra, jurabit in DEO Amen.

*Ier. 4. v. 2.* II. Et jurabis. Vivit Dominus in veritate, & justitia, & judicio.

*Hebr. 6. v. 16.* III. Homines per majorem sui jurant, & omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum.

IV. Non est scientia DEI in terra, mendacium, furtum, perjurium inundaverunt.

### Fuga.

*Exod. 20. v. 7.* V. Non assumes nomen Domini DEI tui in vanum; nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini DEI sui frustra.

*Levit. 19. v. 12.* VI. Non perjurabis in nomine meo, ut nec polluas nomen DEI tui.

*Deut. 5. v. 11.* VII. Non usurpabis nomen DEI tui frustra; quia non erit impunitus, qui super re vana nomen ejus assumpserit.

*Matt. 5. v. 33.* VIII. Audistis, quia dictum est antiquis: Non perjurabis; reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, neque per cœlum, quia thronus DEI est; neque per terram, quia Scabellum est pedum ejus.

*Iac. 5. v. 12.* IX. Ante omnia, Fratres mei, nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque juramentum. Sit autem sermo vester, est, est: non, non, ut non sub judicio decidatis.

### Damnum.

*Eccl. 23. v. 9.* X. Jurationi non assuescat os tuum; multi enim casus in illa. Nominatio verò DEI non sit assidua in ore tuo, & nominibus Sanctorum non admiscearis, quoniam non eris immunis ab eis.

*Ibid.* XI. Vir multùm jurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo ipsius plaga.

*Eccl. 27. v. 15.* XII. Loquela multùm jurans, horripilationem capiti statuet, & irreverentia ipsius obturatio aurium.

*Zach. 5. v. 3.* XIII. Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem terræ, quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur; & omnis jurans ex hoc similiter judicabitur.

### §. III.

## EX SS. PATRIBUS.

### Qualitas.

*S. Chrysost. ho. 9. in Acta Apost.* I. AGe dic, ob quam causam introductum est juramentum? Fecit olim pacta Abraham, & immolavit victimas, & nondum erat juramentum. Unde igitur ingressum est? quando mala creverunt, quando omnia simul sursum ac deorsum confusa sunt, quando ad idololatriam inclinârunt, tunc sanè quando infideles apparuerunt, invocabant DEUM testem quasi fidejussorem dantes dictis satisfactutum. Juramentum enim est fidejussio, ubi mores fidem non habent.

*S. Aug. l. 2. de serm. Dom. in monte. c. 30.* II. Si jurare cogeris, scias de necessitate venire infirmitatis eorum, quibus aliquid suades. Quæ infirmitas unque malum, unde nos quotidie liberari deprecamur, cùm dicimus: Libera nos à malo. Sed nemo novit, nisi qui expertus est, quàm difficile sit, consuetudinem jurandi extinguere, & nunquam temerè facere, quod nonnunquam facere necessitas cogit.

*S. Aug. in ps. 88.* III. Bene prohibetur homo jurare, ne consuetudine jurandi, quia potest homo falli, etiam in perjurium prolabatur. DEUS solus securus jurat, quia falli non potest.

*S. Hieron. in Ezech. l. 5. c. 17.* IV. Qui contemnit Juramentum, illum despicit, per quem juravit; illique facit injuriam, cujus nomine credidit Adversarius.

*S. Aug. in Psalm. 7.* V. Jurare per execrationem gravissimum jurisjurandi genus est.

### Fuga.

*S. Chrysost. ho. 9. in Acta.* VI. Si simpliciter nominare DEUM, non omnibus (Hebræis olim) fas erat, hoc certè quòd in testimonium vocatur, quantæ audaciæ, dic, oro, quantæ insaniæ? quomodo enim non absurdum, servum quidem non audere Dominum nominarem, & sine honoris præfatione appellare, Angelorum verò Dominum temerè & contemptim ubique contemptim jactare?

*S. Aug. s. 11. de decollat. S. Io. Bapt.* VII. Laborare debetis, & confligere adversus consuetudinem vestram malam, malam, malam, valdè malam, & tollere jurationem de oribus vestris. Cavere à falsa juratione, cavete à temeraria juratione. Ab his duobus malis securissimè cavebitis, si consuetudinem jurandi à vobis abstuleritis.

*Idem s. 28. de verbis B. Iacob.* VIII. Vis longè esse à perjurio? jurare noli. Falsa juratio exitiosa est: vera juratio periculosa est: nulla juratio secura est.

*S. Hier. ad Celant.* IX. Mentiri & jurare lingua tua prorsus ignoret, tantùsque in te sit veri amor, ut, quidquid dixeris, juratum putes.

*S. Ambr. serm. 14. in ps 118.* X. Multò tutiùs nunquam juratur, non quia peccatum est verum jurare, sed quia gravissimum peccatum est falsum jurare, quo cibus cadit, qui consuevit jurare.

### Damnum.

*S. Ephrem de morbo linguæ.* XI. Si Jurisjurandi vis tanta fuit, ut ab Esau potuerit auferre primogenita; cùm enim jurâsset solùm, noluit, perjurii notam incurrere; quibus tradentur supplicis, qui non solùm jurejurando se obstringunt; sed etiam perjurus jusjurandum violant? Si Esau ab iis, quæ cum damno suo pepigerat, recedere noluit, quomodo tu pacta, quæ pro salute tua fecisti, rumpere audebis.

*S. Aug. s. 30. de verb. Dom.* XII. Tantùm mali habet juratio, ut, qui lapides colunt, timeant falsum jurare per lapides. Tu non times DEUM præsentem, DEUM viventem, DEUM scientem, DEUM manentem, DEUM in contemptores vindicantem:

*S. Chrysost. ho. 11. in acta.* XIII. Non ita pungit ensis, sicut Juramenti natura; non sic occidit gladius, sicut juramenti plaga. Scribe super parietem domûs tuæ, & super cordis tui parietem, falcem illam volantem, & hanc ad maledictionem volare puta, & continuò ipsam recogita, sive alium jurantem videas, cohibe, vera & curam tuorum gere servorum.

*Idem. ho. 19. ad pop.* XIX. Vides & tyrannidem, & Filii cædem, & bellum civile, & pugnam, & iugulationes, & cruores, & infinita cadavera ex uno parata juramento? Vides, quot homines tum volentes, tum invitos perjurio obnoxios unum fecit juramẽtum? quot mala molitũ est? quot cædes patravit. Cum his autem omnib⁹ audisti Christi sententiam dicentem, quod non pejerare tantùm, sed & jurare quomodocunque Diabolicum est, & tota maligni machinatio. Audisti, quòd utique juramenta sequantur perjuria. Hæc, inquam, omnia congregans inscribe cordi tuo.

*Ibid.* XV. Utinam mihi liceret frequenter jurantium Animas exuere, & ipsorum oculis subjicere vulnera & cicatrices, quas quotidie capiunt à juramentis. Nec admonitionis, nec consilii indigeremus: quoniam vulnerum aspectus omni sermone potentiùs huic improbæ consuetudini adhærentes à malitia abducere posset.

*Idem hom. 27. ad pop.* XVI. Falx volans (quam S. Joannes in manu Christi vidit) velocissimum ultionis incursum significat juramentum sequentem: multorum verò cubitorum longitudo & latitudo vehementiam indicat & magnitudinem malorum. At ex cælo volare significat è superno tribunali judicium ferri, falcata verò forma inevitabilem designat supplicii sortem. Sicut enim quocunque falx incurrerit, non solùm secum arripit, verùm & caput amputat, ita & pœna jurantibus ingruens est difficillima, nec prius absistit, quàm quod suum est.

*Idem in Matt.* XVIII. Talium (jurantium) substantia aut ipsis viventibus est peritura, aut à malis hæredibus est dissipanda, aut ad extraneos & inimicos hæreditas est ventura; non enim potest ad bonum proficere, quod congregatum est de malo.

## §. IV.

## EXEMPLA.

### *Fuga.*

*S. Aug. ser. 10. de Sanctis.* I. S. Augustinus de seipso sic loquitur: Timendo DEUM abstulimus jurationem de ore nostro. Ecce vobiscum vivimus. Quis nos audivit aliquando jurantes? Numquid non consueveram quotidie jurare? at ubi legi, & timui, luctatus sum contra consuetudinem meam, in ipsa luctatione invocavi Dominum adjutorem. Præstitit mihi Dominus adjutorium non jurandi. Nihil mihi faciliùs est, quàm non jurare. Hoc ideo admoneo caritatem vestram, ne dicatis, quis potest? O si DEUS timeatur, o si perjuri expavescant! lingua frenatur, veritas tenetur, juratio tollitur.

II. S. Gregorius Nazianzenus, ut longiùs à juramento abesset, etiam voto se adstrinxit, se non juraturum; quod laudabili constantia ad ipsam usque tumbam servavit. *Drex. in Phaeth. p. 30.*

III. Leontius Antistes vitam S. Joannis Eleemosynarii describens ait: Primùm & præcipuum ejus bonum fuit, quoniam omnimodis non juravit, quia Christus suis præcepit: sit sermo vester: est, est, non, non; quod autem his abundantius est, à malo est. *Ibid.*

IV. Comes Ariani Eleazarus non tantùm ipse non juravit, sed nec in ullo Famulorum suorum jurandi licentiam vel minimam tulit. *Ibid.*

V. Duo Mercatores Colonienses cùm in vendendis mercibus mentiri & multùm jurare soliti, suadente Confessario, per annum à mendacio & juramento abstinentes, nihil propemodum vendere possent, ideóque Confessario hoc damnum questi, ab eo ad constantiam animati essent, ob continuatam abstinentiam usque adeò omnes Emptores ad se traxerunt, ut brevi tempore ditissimi fuerint effecti. *Cæsarius l. 3. c. 17.*

### *Damnum.*

VI. Saul Antecessor Davidis, quia inconsiderato juramẽto obstrinxerat se ac populũ, quòd panem de mane usque ad vesperam gustaturi non essent, se quidem in gravissimum periculum homicidii, Filium verò in manifestum vitæ discrimen adduxit. *1. Reg. 14. v. 24.*

VII. Jephte, quia temerè juraverat, voveratque, se, si victor de bello rediret, DEO, quidquid primum reduci occurreret, oblaturum, propriam Filiam ob reverentiam Juramenti occidere coactus est. *Iud. 11. v. 31.*

VIII. Herodes Rex quia saltatione Filiæ delectatus, cum juramento promiserat dare, quodcunque postulâsset ab eo; cum magno suo dolore caput S. Joannis Baptistæ in disco offerre debuit. *Matt. 14. v. 7.*

IX. Virgo quædam in Saxonia, cùm Juveni tenuis fortunæ, sed elegantis formæ nuptias promisisset, ipsóque cautionẽ exigente, dixisset: Si alteri nupsero, Diabolus in ipsis nuptiis vivam me abripiat: ipso nuptiarum cum alterò ditiore contractarum die à Dæmone inter saltus abrepta, nec ullibi amphùs conspecta est. *Drex. in Phaet. c. 16.*

X. Cùm aliquando ad S. Maxentium Abbatem duo homines morbo Elephantiaco laborantes venissent, opemque petissent, ipse sic eos allocutus est: Nôstis, Fratres, quâ de causâ ira DEI in vos deseviat? vos frequenter levissimis de causis sacrum ejus nomen sumitis, ac pejeratis, ideóque justo DEI judicio vos hæc calamitas premit, sed jam peccatum agnoscite, ac ad mentem redite, ut sanitatem consequamini. Quo dicto omnes ad orationem hortatus est, & oleo Sancto eos inungens, sanos dimisit. *March. tr. 3. Hort. Past. prop. 3.*

XI. Audomaci cùm civis quidam pecunias ab alio mutuas accepisset, certóque iterum die se restituturum, cum juramento promisisset, id autem constituto tempore non servâsset, sed potiùs dixisset, se supra corpus Audomari ju- *Surius in vita S. Audomari 26. Sept.*

ramen-

ramento probaturum, quòd nihil debeat; Creditor ad sepulchrum sancti cum eo tendens ante fores templi dixit: Ne, quæso, prophanemus sancti viri sepulchrum; hîc mihi jura, nullam à te pecuniam acceptam. Ad quæ verba cùm ille converso ad templum vultu dejerare sublatâ manu vellet, humi collapsus, rotánsque oculos, omnibus membris captus, post tertium diem infelicem animam evomuit.

*Delriol. 3. de mag. q. 2. q. 7.* XI. In Germania cùm hospes quipiam militi pecuniam, quam asservandam illi dederat, repetente, negaret, se eam accepisse, &c. coram Magistratu dæmoni se devoveret, si aliter se res haberet, à Diabolo aspectabili forma ejus Patronum agente, de perjurio convictus, & cum corpore animóque abductus est.

*Ribad. in vita S. Eduard. 5. Ian.* XII. Cùm Godovinus Regis Eduardi Socer ab eo ad mensam adhibitus, & necis Alfredo Principi illatæ insimulatus dixisset. Si ego hujus mortis conscius sum, panis iste fauces mihi obstruat; post factum à Rege crucis signum super panem, ita is fauces perjuri occupavit, ut intercluso spiritu, in ipso loco extinctus sit.

## §. V.

## EXEMPLA PROFANA.

### *Fuga.*

*S. Basil. in hom. de leg. lib. gent.* I. CLinias è Pythagorea secta, licet per juramentum verum mulctam trium talentorum evadere potuisset, maluit tamen injuriam pati, quàm jurare.

*Valer. Max l. 9.* II. M. Attilius Regulus Imperator populi Romani, cùm à Carthaginensibus captus, Románque missus esset, ad impetrandam Charthaginensium militum manumissionem, priùs tamen constrictus, quòd Carthaginem redire vellet, si, quod volebant, minimè peregisset, ivit quidem Romam, sed, postquam contrarium Senatoribus Romanis suasisset, sponte pro servando juramento ad hostes rediit, ab iisque angusto, & undique acuminato ligno inclusus, miserè obiit.

*Livius l. 21* III. Saguntini ne fidem & juramentum præstitum Romanis violarent, fame contabescentes, & ne etiam captivi in manus Hannibalis pervenirent, rogum ardentem ascendentes, se mortuósque suos combusserunt.

*Suidas apud Dron. in Phaeth. c. 50.* IV. Prisci adeò parcebant Diis suis, ut, ne per eos jurarent, sæpe dicerent: Per hanc rugosam pellem meam, per aridam hanc arborem, has fores testor, per hunc gladium, hoc sceptrum aut telum juro.

*Plutarch. in apopht.* V. Pericles amico roganti, ut pro ipso perjurium diceret, respondit, se quidem amicum esse, sed tantùm usque ad aram.

## §. VI.

## SIMILITUDINES.

### *Qualitas.*

*Marchant. in Horto* I. SIcut, si quis sigillum alicujus sibi commissum ad confirmandum falsum applicet, meritò falsarius judicatur; sic qui nomine DEI, quod tanquam sigillum nobis relictum est ad confirmationem veritatis, abutitur ad confirmationem veritatis, nomen DEI infamans, rectè dicitur & ipse falsarius. *Past. tr. 3. lect. 6.*

### *Fuga.*

II. Sicut vestimentum reliquis melius habentes, diligenter cavemus, ne illud quotidie aut crebrò induentes corrumpamus; ita non minùs vitandum est, ne nomen DEI omni veneratione dignissimum ubique temerè, & promptè occurrit, usurpemus. *S. Chrysost. ho. 4. ad pop. Antioch.*

III. Sicut mentiri non potest, qui non loquitur; sic pejerare non poterit, qui jurare non appetit. *S. Bern. de modo ben. viv. S. 32.*

IV. Sicut is, qui in alto loco ambularet, ubi à parte dextrâ spatiosa foret terra, à sinistris verò grande esset præcipitium, haud dubiè ad dextram potiùs, quàm sinistram tenderet; ita pariter consultius est, ut nunquam jurans securus à perjurio quis vivat, quàm ut frequenter jurando periculum præcipitij in gravia peccata incurrat. *S. August. de Verb. S. Iacobi. ante omnia, &c.*

### *Damnum.*

V. Sicut pueri funiculum longum & corruptum ex contrario inter se trahentes, cum multo impetu supini omnes cadunt, funiculo per medium dirupto, & hi quidem capite, illi aliâ corporis parte feriuntur; sic & inter se contraria jurantes, juramento pro rerum necessitate dirupto, in perjurij barathrum utrique cadunt, hi quidem pejerando, illi perjurij causam illis præbendo. *S. Chrys. ho. 14. ad pop.*

VI. Sicut servus interrogatus assiduè à livore non minuitur; sic omnis jurans & nominans in toto à peccato non purgabitur. *Eccl. 23. v. 11.*

VII. Sicut is, qui facit consuetudinem frequenter manu sua percutiendi, necesse est, ut injustè aliquando percutiat; sic qui facit consuetudinem jurandi in rebus idoneis, frequenter & in rebus superfluis etiam nolens, consuetudine trahente perjurat. *S. Chrys. ho. 12. in c. 5. Matth.*

## §. VII.

## MOTIVA.

I. QUia grave admodum est hoc peccatum, Deóque valde injuriosum: Si enim, ut S. Chrysostomus ait, hominis ingenui, & aliquâ dignitate muniti, in publico non audemus de rebus majoribus, multò minùs de frivolis testimonium postulare; quanta erit irreverentia, DEUM, cœlorum Regem, Angelorum Dominum, in testem ejusmodi rerum invocare? hinc meritò S. Jacobus dixit: Ante omnia nolite jurare, ut præ cæteris attendamus & vigilemus, ne surrepat consuetudo jurandi. *S. Chrysost. ho. 4. ad baptiz.* *Iac. 5. v. 12.*

II. *Quia scandalosum admodum, proximóque nocivum est hoc vitium:* nam alios quidem ad pariter jurandum exemplo suo invitat; alios verò timentes DEUM graviter offendit, utpote tam gravem DEI contumeliam cum indignatione audientes; hinc in illos cadit com-

minario Christi, quòd magis expediat, ut suspendatur mola asinaria in collo talium hominum, & demergantur in profundum, quàm ut jurandi assuetudine alios tantopere scandalizent.

III. *Quia ipsis etiam jurantibus admodum perniciosum est:* Quia non modò se exponunt periculo fidem fallendi, & pejerandi, sed etiam se, ac alios infamant, ut S. Hieronymus notavit; siquidem, quia indicant, se esse mendaces, nec dignos, quibus credatur, nisi teste DEO; alios verò, quia judicant illos esse suspiciosos & incredulos, utpote quos oporteat tam potenti argumento & testimonio ad credendum induci. *S. Hier. ep. 44.*

IV. *Quia sicut facilè declinabile ita & parùm excusabile apud DEUM est hoc vitium:* nam, ut S. Chrysostomus rectè dixit, quis, quæso, labor est, juramentum fugere? numquid opus est pecuniis? num sudore & ærumnâ? Satis est tantùm velle, & actum est. Si verò mihi consuetudinem objicis, propter hoc ipsum maximè facilè meritum esse dico. Si tenimq; in aliam transtuleris consuetudinem, totum præstitisti. *S. Chrys. ho. 12. ad popul.*

## §. VIII.

## MEDIA.

I. *Poena pro transgressionibus irrogata voluntaria:* Sic S. Chrysostomus suasit dicens: Vis discere, quomodo ab impia consuetudine liberari liceat? Ego te quendam docebo modum, quem si tenueris, superabis omnino. Cùm videris teipsum, aut alium quemque servorum vel filiorum, aut uxorem hoc malo captos, & continuè commonefactos, neque correctos, jube non pransos cœnare, & hanc tibi, illisque damnationem impone, damnationem non damnum, sed lucrum ferentem; talia enim spiritualia & lucrum ferunt, & celerrimam correctionem; lingua enim vel nemine commonente sufficientem capit admonitionem, si fame vel siti vexetur. Sic teste Nidero, nobilis quidam carnis abstinentiam, alius guttam sanguinis stilo ferreo è manibus eliciendam, alius vini carentiam sibi toties obeundam, quoties jurâsset, imposuit, & penitus hoc vitium extinxit. Imò & DEUS confirmavit favore suo hoc medium; uti in milite illo apparet, qui, cùm osculum terræ figere ob singula juramenta decrevisset, eo ipso, quo osculum figebat, momento, à globo, qui ipsum occidisset, prætervolante liberatus est. *S. Chrysost. ho. 5. ad pop.* *Nider. l. 4. Formicarij c. 9.*

II. *Examinis particularis diligens & constans usus:* Quod remedium idem sanctus Chrysostomus his verbis suasit: Ut igitur hoc crimine liberemur, invicem admoneamur, infixum tempus constituamus, & tempus dierum decem. Volentibus enim & vigilantibus hi sufficiunt dies, quo penitus hoc crimine liberemur, & post decem dies nihilominus si illaqueati reperiamur, pœnam nobis constituamus. Cùm autem hoc corrigere cœperis, sive semel, sive secundò, sive tertiò, sive vigesimo legem transcenderis, ne desperes, sed iterum surge, & studium assume, & victor eris. *S. Chrysost. ho. 28. ad baptiz.*

II. *Consuetudo contraria assumpta:* nam, ut S. Chrysostomus ait, sicut consuetudo prava possidet, ita potent melior obtinere, ut & volentem te jurisjurandi lapsibus non permittat evinci; nam revera multùm consuetudo prævalet, & jura didicit immutare naturæ. *Ibid.*

IV. *Censores & monitores constituti:* Si namque domi multos ubique custodes constituas, inquit iterum S. Chrysostomus, puta servum, uxorem, amicos, ab omnibus facilè compulsus atque coactus à mala consuetudine recedes. Sic certè Pædagogus ille correctus est, qui, ubi schedam à Discipulo suo scriptam repetit, & in ea hæc verba pro confessione notata legit: Pœdagogum meum temerè jurantem non correxi: Sic erubuit, ut deinceps ab omni juramento abstinuerit. Sed & Ulyssiponæ, cùm puer aliquem procaciùs jurantem audiens, in genua procubuisset, rogâssetque, ne DEUM jurando tam graviter offenderet, is adeò hoc facto permotus est, ut seriam emendationem decreverit. *Ibid.* *Drex. in Phaeth. c. 30. §. 3.*

V. *Opinionem difficultatis circa emendationem tollere:* id quod fiet, si cogitemus multò difficiliora ab hominibus sine ulla mercede superari, ut rectè discurrit S. Chrisostomus; quid enim difficilius est, quàm rotæ more totum flectere corpus, & in pavimento versari, quod multi Juvenes faciunt? gladios alternatim in aëra jaculantes, & omnes rursum per manubrium capientes, quem non confundant nullum pro virtute laborem suscipere volentium? Vel quid de illis dicas viris, qui contum in fronte gestantes, velut arborem in terra radicatam, sic immotum conservant? Quid quod puer super funem angustissimum tanta ambulat securitate, cum quanta supinos percurrentes campos. Hæc quæ & mentibus impossibilia videntur, facta sunt arte possibilia; quid horum in juramentis prætendere possumus? Et iterum alibi: Considera, inquit, quemadmodum Gentilium aliqui blæsi quarundam syllabarum non bene exprimentes sonum, ostendente sæpe linguam longa meditatione limaverint. Postquam enim per Scripturas vobis non potest persuaderi, ab Externis monere vos cogor. Cogitate Gentilium Philosophos, & tunc scietis, quanto simus digni supplicio despicientes divinas leges, cùm illi quidem pro humana honestate tanta laboraverint, vos verò neque pro cælesti regno studium adhibeatis. *S. Chrysost. ho. 15. ad pop.* *ho. 1. & ad pop.*

## §. IX.

## ASCETICA.

I. De hoc vitio tria præcipuè benè notanda sunt Asceta. Primum est, ut noverit, hoc vitium omnes quidem homines, sed speciatim eos, qui perfectionis studium profitentur, summopere dedecere; cùm enim hi ab omni mendacio alienissimi credantur, hoc ipso,

ipso, si DEUM in testem invocent, ostendunt, se, uti minùs dignos, quibus sine juramento credatur, ita nec perfectionis adeò cupidos esse.

II. Alterum est, ut bene quoque cognoscat conditiones ad licitum juramentum requisitas, quas quidem Jeremias indicavit, dum dixit: Et jurabis, vivit Dominus, *in veritate* (ut nempe verum sit, quod juramento confirmatur) *in judicio* (id est, cum circumspectione, an necessitas vel utilitas aliqua ejusmodi Juramentum exigat) & *in Justitia* (ut nihil cum juramento promittatur, quod bonis moribus & præceptis divinis repugnat) quo in casu, ut rectè S. Ambrosius dixit, est contra officium, solvere promissum, Sacramentum custodire. *Ier. 4. v. 2.* *S. Ambr. l. 1. offic. c. 50.*

III. Tertium est, ut bene apprehendat quatuor illa capita, quæ linguam jurantem in præcipitium trahunt, & à Jeremia Drexelio enumerantur, videlicet 1. *Affectus seu libido jurandi*, qualis fuit, S. Augustino teste, eorum, quorum plura sunt juramenta quàm verba. 2. *Assiduitas & quotidiana consuetudo jurandi*: à qua absterrens Siracides dixit: Jurationi non assuescat os tuum; multi enim casus in illa. 3. *Facilitas jurandi*: Uti faciunt ij, qui immeditatè & incogitantes otiosâ temeritate jurant, contra expressum DEI mandatum, vetantis nomen Domini frustrà usurpari. 4. *Rerum creatarum & Dæmonis in testem invocatio*: inde enim facilius est ad alia Juramenta transitus. *Drexel. in Phaet. c. 28. §. 1.* *Eccl. 23. v. 9.*

## §. X.
## CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occasione thematis: *Et jurabis, vivit Dominus, in veritate, judicio, & justitiâ*: Explicari potest fusiùs, quando licitum & illicitum sit jurare; quem in finem March. in Horto Pastorum. tr. 3. lect. 6. videri potest. *Ieremia 4. v. 2.*

II. Ex occasione thematis: *Jurationi non assuescat os tuum; multi enim casus in illa*: possunt explicari injuriæ, quæ DEO, proximo, & sibi ipsi per juramenta vitiosa inferuntur; uti apud eundem Authorem fusiùs videre est. *Eccl. 23. v. 9.*

III. Ex occasione thematis: *Vir multùm jurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo illius plaga*: Possunt explicari plagæ ob ejusmodi juramenta illicita inferri solitæ. 1. *In bonis temporalibus*: Quia, sicut per creaturas juratur, & peccatur, ita & per easdem DEUS plectere plerumque solet, easdem auferendo, aut, ut ab aliis destruantur, permittendo. 2. *In bonis famæ*: Quia, ut sæpiùs dictum est, verè tales seipsos de animo veritatis parùm studioso faciunt suspectos, efficiuntque, ut alij minorem de ipsis, quàm ante habuerant, æstimationem concipiant. 3. *In bonis spiritualibus*: Quia, cùm per hoc peccatum graviter inhonoretur, & offendatur DEUS, hoc ipso indignos suis donis judicabit eos, qui tam ingrati sunt eorum Authori, gravibúsque injuriam sibi allatam pœnis vindicabit. *Ibid. v. 12.*

IV. Ex occasione thematis: *Non usurpabis nomen DEI tui frustra*: Poterunt media ad vitandam malè jurandi consuetudinem proponi, potissimùm verò timor triplicis pœnæ. 1. à seipso toties infligendæ, quoties in eam consuetudinem lapsus fuerit. 2. à Magistratu decernendæ, vel ab ipso DEO, in hac adhuc vita juranti imponendæ. 3. In altera vita subeundæ; quæ omnia facilè exemplis §. 4. enarratis confirmari possunt. *Deut. 5. v. 11.*

V. Ex occasione thematis: *Ego autem dico vobis, omnino non jurare*: Proponi possunt, & sulvi excusationes, quibus plerumque ii, qui consuetudinem jurandi habent, excusare se solent, si ad emendationem incitentur. Nimirum 1. *Consuetudo conveterata*: Sed ostendatur, quàm facilè per aliam meliorem consuetudinem corrigi queat. 2. *Authoritatis defensio*: Quòd scilicet alioqui nemo credat asserenti. Ostendatur, quàm futilis hæc quoque sit excusatio, cùm potiùs suspecta fiat per juramenta similia veracitas jurantium, atque adeò minùs eisdem credatur. 3. *Quòd gravibus Juramentis non utantur*: Sed & refutetur excusatio ostendendo, quòd nec ista fiant absque peccato, & periculum contineant, in graviora prolabendi. Vide has & plures excusationes fusiùs apud P. Drexel in Phaët. c. 30. refutatas. *Matth. 5. v. 33.*

## §. XI.
## MISCELLANEA.
### Qualitas.

I. AGesilaus de Barbaris, qui jurisjurandi religionem violabant, dicere solebat, eos nulla re DEOS magis sibi infestos reddere, quàm si Sacrosanctum jusjurandum temerè violâssent. *Ælian. l. 4. var. hist.*

II. Numa maximum jusjurandum Romanis statuit fidem. *Plutarch. in Numa.*

III. Plutarchus dicere solebat: Juramentum homini libero (quantò magis Christiano) pro tormento est. *Idem in probl.*

### Fuga.

IV. Hebræi nomen Jehovâ nunquam pronuntiare audebant, sed nomen Adonai substituebant. Sed & moderni Judæi non per totum nomen, sed per literas divisas jurare solent, dicerêque Juro per Jod, He, Vau, & Jod. *Ioseph. l. 11. Iud. antiq. c. 8.*

V. Epictetus inter alias hanc doctrinam dabat: Juramentum deprecare, si quidem fieri potest, omnino: Sin minùs, saltem quoad ejus potest. *Epictet. in Enchir.*

VI. Bonos viros decet, ut eos mores adferre videantur, qui sunt jurejurando firmiores. *Isocrat. ad Damon.*

## §. XII.
## AXIOMATA.

I. QUi sæpe iurat, sæpe, oportet, pejeret. *Iambovet.*
II. Vil Ayd/ vil lugs. *Buchler.*
III. Gezwungen Ayd/ ist Gottes layd.

§. XIII.

AVTHORES

I. IOannes Busæus in Panario. V. eodem.
II. Jeremias Drexelius in Phaëtonte c. 28. 29. 30.
III. Philippus D'Outreman in Pœdagogo Christiano p.1.c.5.§.1.
IV. Joannes Major in Speculo magno Exemplorum. V. eodem.
V. Antonius Daurolcius in Floribus Exemplorum. c.3.tit.24.25. & 26.
VI. Josephus Langius in Polyanthæa verbo eodem.
VII. Joannes Dadræus in locis communibus similium & dissimilium.
VIII. Jacobus Marchantius in Horto Pastorum. tr.3.lect.5. & 6.

# TITVLVS XVII.

# LUXURIA.

## §. I.

## QUOAD ESSENTIAM.

### Definitio.

I.



EST inordinatus appetitus Venereorum, ut S. Thomas definit; vel, ut alij, impuræ & libidinosæ voluptatis appetitus inordinatus. Desumptum est hoc nomen à *Luxu*, qui est immoderata appetitio cujuscunq; rei gratæ, rationi non obtemperans. Unde S. Thomas ait, luxuriam principaliter esse circa Venereas voluptates; secundariò autem excessum in aliis dicere. *S. Thom. 2. 2. q. 153. a. 1.*

### Divisio.

II. Dividitur in septem species, quarum prima est *Fornicatio*, seu concubitus soluti cum soluta (quæ sit à voto, Matrimonio, Religione libera) ex mutuo consensu. Secunda *Stuprum*, seu Virginis defloratio, ipsâ invitâ facta. Tertia *Raptus*, seu mulieris vi abductæ violenta violatio. Quarta *Adulterium*, seu conjugis cum persona soluta vel conjugata concubitus. Quinta *Incestus*, seu congressus cum consanguinea vel affine usque ad quartum gradum. Sexta *Sacrilegium*, seu rei sacræ (sive locus sit, sive persona) violatio per actum venereum. Septima *Vitium contra naturam*, seu congressus, à quo est impossibilis generatio; & subdividitur in quatuor alias species, nempe *Mollitiem*, quâ absque congressu voluntariè procuratur seminis fluxus: *Sodomiam*, seu congressum duarum ejusdem sexûs personarum: *Bestialitatem*, seu concubitum cum alio subjecto, quàm homine: & *Congressum innaturalem*, cùm scilicet debitus quidem sexus servatur, sed modus inordinatus sine legitima causa adhibetur.

### Actus.

III. Primus est *Cogitationes pravas*, licet absque delectatione morosa, *fovere*; de quibus S. Jacobus locutus est, dum dixit: Nemo, cùm tentatur, dicat, quoniam à DEO tentatur, DEUS enim intentator malorum est, sed unusquisque à sua concupiscentia tentatur, abstractus & illectus. *Iac. ep. c. 1. 13.*

IV. Secundus est, *Morosa delectatio in cogitationibus impuris*: de qua Jeremias dixit: Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? *Jerem. 4. v. 14.*

V. Tertius est, *Consensus simplex in opus luxuriosum*: de quo idem S. Jacobus dixit: Concupiscentia, cùm conceperit, parit peccatum.

VI. Quartus est, *Aspectus libidinosus*: de quo S. Job dixit: Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine; quam enim partem haberet in me DEUS desuper. *Iob. 31. v. 1.*

VII. Quintus est, *Verborum impudicorum prolatio*; de qua S. Paulus dixit: Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos. *Eph. 5. v. 3.*

VIII. Sextus est, *Oscula impudica*, de quibus S. Beda sic loquitur: Qui verba vel oscula meretricis amplectitur, quasi januam jam gehennalis abyssi pulsat, citòque mergitur, si pedem cautus non retrahit; si non membra reliqua à vicinia cohibet fovea pœnalis, in quam nullus omnino, nisi Filius iræ labitur. *apud Marchant. tab. Sac. tr 3. lect. 7.*

IX. Septimus est, *Tactus & amplexus impudici*: de quibus illud Siracidis intelligi potest. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab illa. *Eccl. 13. v. 1.*

X. Octavus est, *Ipsius operis consummatio*: de quâ S. Jacobus: Peccatum, cùm consummatum fuerit, generat mortem. *Iac. 1. v. 15.*

XI. Nonus est, *Consuetudo operis luxuriosi*: Quam expertus S. Augustinus dixit: Suspirabam ligatus non ferro alieno, sed ferreâ meâ voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversâ facta est libido; & dum servitur libidini facta est consuetudo. *S. Aug. l. 8. Conf. c. 5.*

XII. Decimus est, *Necessitas quædam ex frequentatione orta*: de qua idem S. Augustinus mox addidit: Et dum non resistitur consuetudini, *Idem loc. cit.*

dini, facta est necessitas; quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis tenebat me obstrictum dura servitus; nam, ut S. Gtegorius benè *S. Greg. ho. 31. in Evang.* advertit, usitata culpa obligat mentem, ut nequaquam surgere possit. Ad rectitudinem conatur, & labitur; quia, ubi diu sponte perstitit, ibi, & cùm noluerit, coacta cadit.

## §. II.

## EX S. SCRIPTVRA.

### *Qualitas.*

*1. Cor. 6. v. 18.* I. FUgite fornicationem; omne enim peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus est; qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.

*Matt. 5. v. 29.* II. Ego autem dico vobis, quoniam omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.

*Prov. 6. v. 27.* III. Numquid potest homo abscondere ignē in sinu suo, ut vestimenta sua non ardeant, aut ambulare super prunos, ut non comburantur plantæ ejus? sic qui ingreditur ad mulierem proximi sui, non erit mundus, cùm tetigerit eam.

*Jer. 5. v. 8.* IV. Equi amatores & emissarij facti sunt; unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat.

*Osea. 5. v. 4.* V. Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad DEUM suum, quia Spiritus fornicationis in medio eorum.

*Jerem. 2. v. 24.* VI. Onager asuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attraxit ventum amoris sui, nullus avertet eam. Nam onagra, cùm semel naribus hausit odorem masculi, tam perditè eum insequitur, ut nullis viribus detineri queat.

### *Fuga.*

*Eccl. 9. v. 2.* VII. Ne des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtute tua, & confundaris.

*Ibid. v. 6.* VIII. Ne des fornicariis animam tuam in ullo, ne perdas te & hæreditatem tuam.

*Tob. 4. v. 13.* IX. Attende tibi, Fili mi, à fornicatione, & præter uxorem tuam numquam patiaris crimen scire.

*Eccl. 9. v. 12.* X. Cum aliena muliere non sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum: & non altercesis cum ea in vino, ne fortè declinet cor tuum in illam, & sanguine tuo labaris in perditionem.

*Eph. 5. v. 3.* XI. Fornicatio autem, & omnis immunditia, & avaritia, ne quidem nominetur in vobis, ut decet DEI sanctos.

*1. Thessal. 4. v. 3.* XII. Hæc est voluntas DEI, ut abstineatis vos à fornicatione, ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderij, sicut & Gentes, quæ ignorant DEUM.

*Eccl. 18. v. 30.* XIII. Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua avertere; si præstes animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.

*Rom. 13. v. 14.* XIV. Induimini Dominum JESUM Christum, & carnis curam ne feceritis in desideriis.

XV. Nescitis, quoniam corpora vestra sunt membra Christi? Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? Absit. *1. Cor. 6. v. 15.*

### *Damnum.*

XVI. Qui se jungit fornicariis, erit nequam, putredo & vermes hæreditabunt illum, & extolletur in exemplum majus, & tolletur de numero anima ejus. *Eccl. 19. v. 3.*

XVII. Fovea profunda est meretrix, & puteus angustus aliena. Insidiatur in via quasi latro, & quos incautos videt, interficit. *Prov. 23. v. 27.*

XVIII. Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi stercus in via, ab omnibus prætereuntibus conculcabitur. *Eccl. 9. v. 10.*

XIX. Qui adulter est, propter inopiam cordis perdet animam suam, turpitudinem & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur. *Prov. 6. v. 32.*

XX. Væ, qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris. *Amos. 6. v. 4.*

XXI. Non permanebit spiritus meus in homine in æternum quia caro est. *Gen. 6. v. 3.*

XXII. Inclinâsti femora tua mulieribus, potestatem habuisti in corpore tuo, dedisti maculam in gloria tua, profanâsti semen tuum, inducere iracundiam ad liberos tuos, & incitari stultitiam tuam. *Eccl. 47. v. 22.*

XXIII. Inclinata est ad mortem domus ejus, & ad inferos semitæ ipsius, omnes, qui ingrediuntur ad eam, non revertentur, nec apprehendent semitas vitæ. *Prov. 2. v. 18.*

## §. III.

## EX SS. PATRIBUS.

### *Qualitas.*

I. QUantos Leones domuit una infirmitas delicata, id est, luxuria, quæ cùm sit vilis & misera, de magnis efficit prædam. *S. August. de sing. Cleric.*

II. Qui luxuriatur, vivens mortuus est, & ferreas mentes libido domat, quæ majorem in Virginibus patitur famem, dum dulcius putant omne, quod nesciunt. *S. Hier. in Epist.*

III. Libido transacta semper relinquit sui pœnitudinem, & nunquam satiatur, & extincta reaccenditur, usu crescit & deficit, nec rationi paret, quæ impetu ducitur. *Idem.*

IV. Luxuriæ currus quadrigâ volvitur vitiorum, ingluvie videlicet ventris, libidine coitûs, molline vestium, otij corporisque resolutione; trahitur equis duobus, prosperitate vitæ, & rerum abundantia; & qui his præsident, duo sunt, ignaviæ torpor & infida securitas. *S. Bern. super Cant.*

V. O extrema libidinis turpitudo, quæ non solùm mentem effeminat, sed corpus enervat; non solùm maculat animam, sed fœdat personam; semper illam præcedunt ardor & petulantia, semper comitatur fætor & immunditia, semper sequitur dolor & pœnitentia. *Hugo.*

VI. Qualis est in oculis hominum, qui inversis pedibus ambulare videtur; talis est in oculis Angelorum, cui propria caro dominatur. *S. August.*

*S. Ambr. l. 2. c. 5. de Cain & Abel.* VII. Sævus criminum stimulus libido est, quæ nunquam quietum patitur manere affectum, nocte fervet, die anhelat, de somno excitat, à negotio abducit, à ratione revocat, aufert consilium, amentes inquietat, lapsos inclinat, nullus peccandi modus, & inexplebilis scelerum sitis nisi morte amantis extingui non potest.

*S. August. in l. de bon. mul. c. 6.* VIII. Inter omnia certamina Christianorum sola dura sunt prælia castitatis, ubi quotidiana est pugna, & rara victoria; gravem namque sortita est castitas inimicum, cui quotidie resistitur, & semper timetur.

*S. Hier. in Epist.* IX. Venter mero æstuans citò spumat in libidinem; Venter enim & genitalia vicina sunt, & unum alteri subministrat. Ex vicinitate enim membrorum sequitur confœderatio vitiorum.

*Cassiod. l. de amicit.* X. Cùm cætera vitia se quibusdam virtutum tegumentis oppallient, mens hujus turpitudinis conscia, tantùm prima fronte præfert suæ accusationis horrorem, & non solùm eâ horâ, quâ impia caro perniciosâ voluptate perstringitur, sed etiam, quoties audit aliquid de turpitudine sua, rubore perfunditur, absentiámque captat, & immundi operis recordatione torquetur,

*S. August. S. 250. de temp.* XI. Quanta iniquitas, & quàm lugenda perversitas, ut animam, quam Christus sanguine suo redemit, luxuriosus quisque propter unius momenti delectationem libidinis Diabolo vendat. Verè enim nimiùm miseranda & plangenda conditio est, ubi citò præterit, quod delectat, & per Diabolum in cruce manet, quod sine fine eruciat. Libidinis impetus momento transit, & opprobrium infelicis animæ semper permanet.

*Fuga.*

*S. Ephrem. c. 9. super attende.* XII. Fuge consilia Inimici improba ô homo, recordare tuorum cum DEO pactorum, & sanctificationem custodi, ut gratiam invenias coram Domino. Quos occidere in eremo morsus serpentum non potuêre, hos Madianitarum fornicatio prostravit, ut etiam Idolorum victimas comederent.

*Damnum.*

*S. August. de doctr. Christ.* XIII. Luxuria est inimica DEO, inimica virtutibus, perdit omnem substantiam, & ad præsens voluptate deliniens, futuram non finit cogitare paupertatem.

*S. Hier. in Epist.* XIV. O quàm acerbus est fructus luxuriæ, amarior felle, crudelior gladio!

*Idem.* XV. O ignis infernalis luxuria, cujus materia gula, cujus flamma superbia, cujus scintillæ, prava colloquia, cujus fumus infamia, cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna.

*S. Greg. l. 21. mor.* XVI. Quælibet alia fiant bona opera, si luxuriæ scelus non abluitur, immensitate hujus vitii obruuntur.

*Hugo.* XVII. Quis ejus multiplices species enumerare valeat? hæc enim Pentapolin cum adjacente regione subvertit, Sychem cum populo interemit, hæc Filios Judæ percussit, Judæum & Madianitidem pugione transfodit, tribum Benjamin pro uxore Levitæ delevit, Filios Heli Sacerdotis in bello prostravit, hæc Uriam occidit, Ammon interfecit, plurimos lapidavit, hæc Ruben maledixit, Samsonem seduxit, Salomonem pervertit. Verum est ergo: Propter speciem mulieris multi perierunt.

*S. Greg. in moral.* XVIII. Ex quo Luxuria semel mentem occupaverit, vix eum bona cogitare permittit; sunt enim desideria viscosa, quia ex suggestione oritur cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione consensus, ex consensu operatio, ex operatione consuetudo, ex consuetudine desperatio, ex desperatione peccati defensio, ex defensione gloriatio, ex gloriatione damnatio.

*S. Greg. l. 31. mor.* XIX. De Luxuria cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium DEI, affectus præsentis sæculi, horror autem vel desperatio futuri generantur.

*S. Remigius Rhemensis Ep. in Epist. ad Rom. c. 1.* XX. Demptis parvulis, ex adultis propter carnis vitium pauci salvantur.

*S. Greg. 14. mor.* XXI. Computraverunt jumenta in stercore suo, inquit Joel. Jumenta autem computrescere, teste S. Gregorio, est, carnales homines in fœtore luxuriæ suæ vitam finire; non enim esse homines sed jumenta declarantur, de quibus per Prophetam dicitur: Unusquisque ad uxorem proximi hinniebat.

*S. Isidor. orat. 35. to. 1.* XXII. Hos homicidis deteriores judico, nam mori præstat, quàm ita ignominiosè vivere; homicida enim à corpore animam divellit, hic verò animam simul cum corpore perdit, & quodcunque peccatum dixeris, nihil huic sceleri æquale reperies.

## §. IV.

## EXEMPLA:

*Qualitas.*

*Spec. Ex. dist. 8. ex. 80.* I. DUlcitius Præses putans se rem habere cum SS. Virginibus Agape, Chione, & Hirene ollas & sartagines amplexus est, totúsque nigredine infectus omnium ludibrium factus est.

*Ibid. ex. 107.* II. Theotimus quidam jussus à Medicis congressu Uxoris abstinere, nî luminibus privari velit, neglexit consilium, & in ipso congressu dicens: Vale amicum lumen: completa libidine oculis orbatus est.

*Vita PP. l. 5. n. 13.* III. Luxuriâ tentatus Monachus quidam juvari non potuit à Sene, quia cooperari nolebat, & tentationibus resistere.

*S. Hier. ep. 22.* IV. S. Hieronymus de seipso fatetur: O quoties ego ipse in Eremo constitutus, & in illa vasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus, horridum Monachis præstat habitaculum, putabam me Romanis interesse deliciis. Sedebam solus, quia amaritudine repletus eram. Horrebant sacco membra deformia, & squalidæ cutis situm æthiopicæ carnis obduxerat. Quotidie lacrymæ, quotidie gemitus; & si quando repugnantem somnus imminens oppressisset, nuda humo vix ossa hærentia collidebam. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere

ipse

ipse damnaveram, scorpionum tantùm socius & ferarum, sæpe choris intereram Puellarum, pallebant ora jejuniis, & mens desideriis æstuabat in frigido corpore, & ante hominem suum jam carne præmortuâ, sola libidinum incendia bulliebant.

*Pallad. c.26.* V. S. Pachomius optabat ferarum dentibus laniari, eò quòd quadraginta annorum solitudine, jejuniorum, aliarúmque rerum asperitate hunc hostem expugnare non potuerit, licet nunquam penitus eidem succubuerit.

*Ibid. c.31.* VI. Moyses è latrone Eremita, licet integro sexennio jejunia, vigilias, preces, multásque lacrymas adhibuerit, non potuit tamen lasciviam carnis domare, donec post multos labores exantlatos, benedictione Patris sui spiritualis quietem aliquam, frem ente licet Sathana, meruisset.

*Raymundus in vit.* VII. S. Catharina Senensis, si aliquando à persona aliqua luxuriæ deditâ salutabatur, nihil respondit, sed tergum obvertit, dixitque, se ex anima illorum tantum fœtorem efflantem sensisse, ut ad vomitum provocaretur.

*Palladius c.29.* VIII. S. Pachomius cùm Dœmoni, qui in specie Æthiopissæ ad scelus ipsum incitaverat, colaphum infregisset, fœtorem manu contractum vix duobus annis eluere potuit.

*Surius 20. Jan.* IX. S. Eythymius, si fortè aliquis, qui turpi suggestioni consenserat, ponè ipsum transibat, tantum fœtorem sensit, ut à Dœmone possessus videretur.

*Vita PP. l.6 lib.5. n.18.* X. Angelus quidam cùm juxta cadaver transiens nullum horrorem ostendisset, Juvene verò libidinoso, & floridum sertum gerente ipsi obviante nares obturâsset, quæsitus à Cliente causam facti respondit, Juvenem illum in conspectu DEI plùs fœtere, quàm cadaver quantumcunque putridum.

*Fuga.*

*Spec. Ex. dist. 2. ex. 29.* XI. Luxuriâ tentatus Frater quidam, cum audisset, mulierem illam, cujus pulchritudine tentabatur, mortuam esse, accessit, ad sepulchrum, & pallio suo fœtentem carnem mulieris extergens, naribus suis applicabat dicens: Ecce habes desiderium, quod requirebas, satia te ex eo. Et sic tentationem vicit.

*Ibid. ex. 101.* XII. Alius quidam similiter tentatus cùm suasu Patris Spiritualis in eremum secessisset, siccóque duntaxat pane victitans, assiduo se labore occupâsset, dæmon in specie mulieris apparens, victum se confessus est, simúlque fætore horribili relicto ostendit, quàm turpem & fœdam voluptatê Monachus appetiisset.

*Ibid. ex. 126.* XIII. Senex quidam, ut tentationem luxuriæ vinceret, omnes digitos manûs igni applicuit, & mulierem tentantem repentè mortuam precibus suis ad vitam reduxit.

*Surius in Vita 7. Mart.* XIV. S. Thomas Aquinas, cùm procax scortum in ejus cubiculum immissum fuisset, inprimis ad orationem confugiens dixit: Ne sinas, quæso, Domine JESU, & tu sanctissima Virgo & Mater, ut tam immani me scelere obstringam: postea accepto titione fugavit illud, & ostia clauso ab Angelis cingulo circa lumbos constringi in signum continentiæ promeruit.

XV. Adolescens Etruscus, cùm adverteret, ob admirandam oris pulchritudinem feminas in amorem ejus accendi, totum vultum stigmatibus exaravit. *S. Ambros. l.2. de Virg.*

XVI. Virgo quædam Alexandrina advertens Adolescentem quempiam oculorum suorum pulchritudine captum easdem sibi eruit, ac eidem submisit. *Prat. Spir. c.60.*

XVII. Nicetas in lectulo florido ligatus cùm scortum ad lasciviam ipsum sollicitaret, præcisam linguam in faciem illius expuens, sic libidinis sensum succedente doloris magnitudine superavit. *S. Hier. in Paulo & Drex in Niceta.*

XVIII. Virgines Leodienses, ne à militibus opprimerentur, cùm aliò fugere non possent, in cloacas se præcipitârunt. *Iacob de Vitriac.*

XIX. S. Ursinus Presbyter, cùm jamjam moriturus esset, accedente uxore, & num vitalem adhuc spiritum trahat, aures naribus ejus applicante, quanto valuit nisu, dixit: Recede à me mulier, adhuc igniculus vivit, paleam tolle. *S. Greg. l.4. Dial. c.11.*

*Damnum.*

XX. B. Virgo Benedictæ insigni meretrici Florentinæ dixit: Pensa, Filia, quòd multi sunt æternaliter damnati, qui non tantopere peccârunt, ac tu, Et hoc ipso die puer submergetur, & damnabitur in Hispania, qui octo annorum existens cum sorore peccare voluit, etsi non potuerit id actu complere. *Mich. ab Insul. in tr. de Rosar.*

XXI. Luxuriosus Presbyter, dum nequicquam dehortante Abbate, nuptias celebrat, thalamúmque ingreditur, seruen simul & animam effudit. *Spec. Ex. dist. 1. ex. 36.*

XXII. Lubecensis quidam Juvenis, cùm Matrem irreverenter tractâsset, ut libidini vacare posset, tandem ex materna domo in publicum prostibulum cum scorto aufugiens, cùm omnes pecunias consumpsisset, fame & desperatione adactus cultro seipsum miserandum in modum interemit, uti fusiùs Drex. describit. *Drex. in Nic. cap. ult.*

XXIII. Quidam claris Natalibus in Picardia diùm puellæ turpi consuetudine vixerat, & patrato homicidio, cum illa in arcem Moyencurtiam ditionis Comitis de Sault confugerat, ubi, ne vivus in militum à Rege Henrico IV. missorum manus veniret, nequicquam matre, sororibúsque ante castrum lacrymantibus, & Regis nomine impunitatem promittentibus, si veniam precaretur, maluit in insanis amoribus mori. Quare pyram instruxit, cui subjecto igne uterque imminens alter alterum, applicato ad caput sclopo glande trajecit, projectis in temporaneum ignem corporibus, animis in æternum ignem præmissis. *Pal. Christ. p.1. c.7. §.3. n.6.*

XXIV. Ludovicus Goffredi Sacerdos Mossiliensis cùm reperto inter Patrui libros Magico volumine, ex eo Dœmonem evocâsset, eique se eâ conditione mancipâsset, ut per triginta octo annos & valetudinem integram servaret, & cujus *Ibid. bis.*

cujuscunque mulieris usum procuraret. Completis quatuordecim annis, quos Diabolus loco triginta octo subdolè posuerat & ipse in omni licentiâ consumpserat, tandem ab ipso Dæmone ex ore obsessæ puellæ proditus, ignique adjudicatus, sine pœnitentia miserè obiit.

*Vit. PP. l. 6. Lib. de forn. n. 12.* XXV. Frater quidam Senex cum in gravem incidisset ægritudinem, timens, diutiùs esse molestus Fratribus, & nequicquam dehortante Abbate Moyse, dicens mortuum esse corpus suum, in Ægyptum abiit, ubi Virginem sibi fideliter ministrantem, postquam convaluerat, corrupit, genitúmque & ablactatum Filium in humeros suscipiens, atque ad Fratres rediens in Ecclesia coram multitudine dixit: Videtis hunc infantem? Filius est inobedientiæ. Cavete ergo, Fratres, quia in senectute hoc feci, & orate pro me.

## §. V. EXEMPLA DOMESTICA.

*Fuga.*

*Vita.* I. S. Franciscus Xaverius tantopere aversabatur hoc vitium, ut contra impuram cogitationem in somno obvenientem ad sanguinem usque certaret.

*Vita.* II. B. Aloysius adeò mulieres & luxuriam fugiebat, ut ei nativam cum his discordiam intercedere quis crederet: Nullam certè etiam consanguineam aspicere sustinebat.

*Hist. Soc. l. 8. p. 2, n. 210.* III. P. Jacobus Laynes Romæ à Femina ad flagitium allectus, tanquam sensûs expers, & tanquam statua aliqua nihil sentiens, gravi oratione eam deterruit. Ipse tamen postea confessus est, consultiùs se facturum fuisse, si confestim aufugisset.

*Anno 1612. Coll. Spirens. Prov. Rhen.* IV. P. Matthæus Boys, cùm adhuc Novitius mensæ adhibitus verba aliqua impudica audivisset, tanto mox dolore & iracundiâ exarsit, ut ex oculis lacrymæ, ex naribus sanguis copiosè profluxerit.

*Anno 1612. Prov. Mex. Coll. mexic.* V. P. Gabrieli de Logrono noctu vigilanti cùm obscæna cogitatio incidisset, nudus propè è lecto prosiliens ad hydriam aquâ gelidâ plenam accurrit, eâque à capite ad calcem usque maximâ noctis parte se perfudit.

*Ex Mss.* VI. P. Laurentius Magius Romæ ad Feminam ægrotam vocatus, cùm ab illa ad flagitium sollicitaretur, spatium secedendi petivit, faciéque totâ stercore oblitâ rediens, eo spectaculo & fœtore, mulieris flammas extinxit.

*Anno 1614. Coll. Catin.* VII. P. Ferdinandus Paterna vocatus ad confessionem ignotæ feminæ, cùm domum ingressus multas feminas reperisset, blandis primùm verbis, postea verò apertâ vi ad peccatum allicientes, invocato DEO, eóque quo potuit, modo eas repellens, concitatâ demum fugâ aufugit.

*Anno 1598. Coll. Brix. Prov. Ven.* VIII. Bartholomæus Mariana tantopere hoc vitium aversabatur, ut ne nominare quidem id unquam voluerit; sed circuitione verborum sit usus, ne vel solo nomine labra contaminaret.

IX. Joannes Berckmannus dicere solitus erat, eum, qui sit impurus, nequiorem fieri ipso Diabolo; hinc non poterat confessiones S. Augustini unquam legere. *Vita part. 2. fol. 71. & 83.*

## §. VI. EXEMPLA PROFANA.

*Fuga.*

I. Democles Adolescens formosus, cùm lavaturus advertisset, Regem Demetrium suâ formâ captum, detracto vicini ahenì operculo in ferventem aquam insiliit. *Plutarch. in Vita Demetr.*

II. Spurina advertens formam suam ad inhonesta illicium esse, oris decorem vulneribus confodit, maluitque tantam elegantiæ, quàm minimam verecundiæ jacturam facere. *Drexel. in V. Ioseph. cap. 4.*

III. Democritus oculos licentiores evagari, nec redire sine fœdis cogitationibus deprehendens, seipsum utroque lumine privavit, malens cæcus, quàm impudicus esse. *Ibid.*

IV. P. Scipio Africanus captivam Virginem, & formæ excellentiam ævi sui miraculum, nec quidem videre voluit, ne à libidine vinceretur, qui tot civitates expugnâsset. *Gellius noct. attic. c. 8.*

V. Baldinus Orientis Imperator absente conjuge, ne aspexit quidem ullam feminam. Bis quâvis hebdomadâ promulgari jussit, ne quis in Palatina domo dormiret, qui alienam feminam attigisset. *Drex. loc. cit.*

*Qualitas.*

VI. Proculus Imperator Romanus eò jactantiæ infamis prorupit, ut assereret, se spatio dierum quindecim centum Virgines in Sarmatia bello captas ingravidâsse. *Marchant. tub. Sac. tr. 3. lect. 3.*

VII. Periander Corinthius inter septem sapientes numeratus adeò insatiabilis fuit luxuriæ, ut cum propria uxore Melissa, vel, ut aliis placet, meretrice post mortem ipsius congressus fuerit. *Herodot. l. 5.*

VIII. Sigismundus Malatesta cùm in itinere speciosa femina illi occurrisset, & ipsa consentire in stuprum noluisset, eandem mucrone occidit, & postea cum illa congressus est. Imò & cum propria filia commercium habuisse dicitur, idque etiam cum Filio attentâsse. *Marchant. l. c.*

IX. Dionysius Syracusanus Myrtam meretricem omnibus regni negotiis præficiebat. *Chamass. de prud. l. 2. c. 8.*

X. Heliogabalus muliebri more colum gestabat & ducebat cum suis concubinis. *Fab. conc. in festo S. Magd.*

XI. Themistocles licet sanus medicinam sumebat cum concubina, & loco aquæ sanguine illius faciem abluebat. *Ibid.*

XII. Athenaricus Gothorum Rex, dum pecteretur à Pynthia, calceos illius interea purgabat. *Ibid.*

Dam-

*Damnum*

*March. tab. Sac. tr. 3. lect. 3.* XIII. Dyanippus Syracusanus temulentus dum nocte quadam Filiam Cyanen propriam constuprat, illa non ferens tam execrandum facinus, Patrem priùs & postea etiam seipsum interemit.

*Ravisius Text. in Offic. l. 5. c. 53.* XIV. Damon Peripolsa insigni forma Adolescens videns Romanum quendam Præfectum, stuprum sibi per vim machinari, eundem cum aliquot sociis fuligine tectis in foro sacrificantem interemit.

*Ibid.* XV. Quidam Thracum Princeps Timocliæ Thebanæ mulieri per vim inferens stuprum, ab ea ad puteum ductus est plurimùm auri ibi latere mentiente, cui, dum pronus inhiat, ab ea in puteum præcipitatus, & lapidibus obrutus est.

## §. VII.

## SIMILITUDINES.

*Qualitas.*

*Nierenb. in l. de ador.* I. Sicut si Filius Regis purpurâ indutus in luto se volueret, meritò insanus judicaretur; ita non minùs insipiens censendus est, qui purpurâ gratiæ divinæ ornatus se in luto venereorum voluptatum volutat.

*Vita PP. l. 7. c. 11. n. 2.* II. Sicut si coctus lateculus in fluvium abjiciatur, diu ibi salvus permanebit; Secùs verò si coctus non fuerit; sic homo divinæ caritatis igne accensus etiam in tentationibus subsistet; non item qui eo igne caruerit.

*S. Ephrem. Orat. de abstin. à consuetud. perv.* III. Sicut spongia humida admota subjectam humiditatem haurit, participátque, ita quoque cogitationis infirmitate laborans, si ad carnales homines accesserit, aut multum cum his sermonem miscuerit, commune cum iis damnum participabit.

*S. Chrysost. ho. 3. de Ozia.* IV. Sicut Nauclerus in portu naufragium faciens non meretur veniam; ita nec is, qui post nuptialem portum illicitæ libidini vacat, defensionem habebit.

*Drexel. in Tobia p. 1. c. 12. §. 2.* V. Sicut oleum cutem mollit, sed interiora mordet; ita libido petulantiam carnis provocat & auget, sed animum stimulis conscientiæ pungit.

*Fuga.*

*Cass. l. 6. c. 3.* VI. Sicut certa ægritudine laborantibus prodest, ut cibi noxii ne oculorum quidem obtutibus offerantur; ita plurimùm confert ad depellendam luxuriam, ut etiam ab aspectu objectorum allicientium caveatur. Juxta illud: Procul ab oculis, procul à mente.

*Dadraus in loc. com. V. eod.* VII. Sicut si quis aliquem eò pervenisse impudentiæ cerneret, ut nudus incedere, cœnóque corpus mergere non erubesceret, commiseratione potiùs, quàm imitatione dignum censeret; ita & is, qui luxuriæ sordibus se inquinare sine rubore consuevit, deplorandus potiùs, quàm imitandus est.

*Damnum.*

*S. Greg.* VIII. Sicut animalia diu in stercore jacentia deturpantur, & computrescunt; ita homines in hoc vitio diu hærentes, DEO penitus abominabiles fiunt; jumenta quippe in stercore computrescere est carnales in fætore luxuriæ vitam finire. *l. 24. mor. c. 6.*

IX. Sicut Cimex vivus magnam corpori, cui adhæret, molestiam creat, nec quiescere finit: si verò comprimatur, tetrum odorem afflat, & maculam in cute relinquit; ita libidinis vitium carnem non finit quiescere, donec turpitudinem operetur, quæ fœtorem & maculam in corpore & anima relinquit. *March. Hort. Past. tr. 4. lect. 8. prop. 2.*

X. Sicut illi, qui post ebrietatem ad se redeunt, guttur ex vini fæcibus magna ariditate infectum experiuntur, ita ut vinum nauseent, & aquam desiderent; ita post usum luxuriæ cor amaritudine pœnitentiæ repletum detestatur voluptates præteritas, & lacrymas, quibus amaritudinem fuget, expetit. *Ibid. prop. 3.*

XI. Sicut tinea sine sonitu perforat vestimentum; ita cogitatio prava sine eo, quòd mens sentiat, eam aculeo admissi desiderii transfigit. *S. Greg. 11. mor. c. 25.*

XII. Sicut Hostis Adversarium suum, si omnino occidere non potest, vulnerare saltem, quantùm potest, conatur; ita Dæmon si non potest omnino in consensum aut morosam delectationem pertrahere, saltem simplici delectatione animum humanum corrumpere ac vitiare conatur. *Iac. Alv. to. 2. l. 1. p. 2. c. 5.*

## §. VIII.

## MOTIVA.

I. Quia hoc vitium *amplitudine, diuturnitate, & fecunditate* omnia alia vincit; nam ut rectè S. Crysostomus dixit, ex hoc malo quasi ex fonte nascuntur ebrietas, crapula, magna injustitia, avaritia & innumera alia mala. *S. Chrys. ho. 22. in Gen.*

II. Quia est *insatiabile*: hinc hydræ non immeritò comparatur, cui, si unum caput abscideris, aliud excrescit. Clariùs verò Salomon idipsum confirmans, tria sunt, inquit, in saturabilia, & quartum, quod nunquam dicit, sufficit; Infernus, & os vulvæ, & terra, quæ non satiatur aquâ. Ignis verò (præcipuè luxuriæ) nunquam dicit: sufficit. *Prov. 30. v. 16.*

III. Quia est *immedicabile*: nam, uti rectè Lactantius dixit, quasi clavis suffigitur anima corporeis voluptatibus, & cum semel adhæserit cupiditatibus demersa terrenis, difficile in altum potest, unde descendit, sine DEI favore revolare; actuum enim suorum vincta laqueis, & sæcularium deliciarum illecebris obnoxia jam tenetur. *S. Ambros. in Luc. c. 4.*

S. Chrysostomus verò non horruit dicere, tam difficile esse luxuriosum castitati, quàm mortuum vitæ restituere. Cujus rationem reddit S. Hieronymus quia avaritia cum marsupio, superbia cum vestibus deponitur, at libido carni insita est; carnem verò quis deponet? Hinc sicut cùm silvam ignis corripit, non opus est pabulum apponere; ita nec libidini necesse est nutri- *S. Chrys. ho. 23. ad Pop.* *S. Hier. in reg. Monach.*

nutrimentum aliud sufficere, cùm carnem ad manum habeat. Quam ob causam Oseas di- [*Osee 5. v. 4.*] xit: Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad DEUM, quia Spiritus fornicationis in medio eorum est, & DEUM non cognoverunt. [*Tertull. l. de idol. c. 24.*] Et Tertullianus Luxuriam inextricabile excussis profundum, inextricabile impactis naufragium, & irreparabile devoratis Hypobrychium vocat.

IV. *Quia bestiale, & Christiano homine indignum est*: hinc à Davide Luxuriosi equis & mulis, quibus non est intellectus: à S. Petro sui in volutabro luti lotæ: à S. Juda Apostolo fluctibus feri maris despumantibus suas confusiones comparantur.

V. Quia *summè perniciosum est*: tum corpori (cùm, Avicenna teste, plùs uno actu venereo debilitetur corpus, quàm si quadragesies tan- [*S. Chrisost. in hom. nemo laeditur.*] tùm emitteret sanguinis; hinc, ut S. Chrysostomus loquitur, luxuriosi resoluta circumferunt corpora, atque agmine quodam infirmitatum repleta; unde semper est eis vita cum Medicis & medicamentis, sensus autem ipsi tardi, graves, obtusi, & quodammodo sepulti) tum [*Job. 31. v. 12.*] *animæ* (est enim ignis usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans germina;) & ut Boëtius dixit:

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit furentes,
Apiúmque par volantûm,
Ubi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morsu.

[*Prov. 5. v. 3.*] Hinc Salomon: Favus distillans labia meretricis novissima autem ejus amara quasi absynthium & acuta quasi gladius anceps. Tum *fortunis*: quas plerumque Luxuriosi ad exemplum Filii prodigi cum meretricibus dissipant.

## §. IX.

## MEDIA.

[*Sap. 8. v. 21.*] I. ORatio: Hoc enim genus Dœmoniorum non ejicitur, nisi per orationem & jejunium. Hinc Salomon dixit: Scivi, quia aliter non possem esse continens, nisi Deus det. Et meritò; sicut enim militiæ Dux, cui castrum aliquod commissum est, videns illud ab hostibus, quibus imparem se credit, obsidione cingendum, mox ad castri Dominum literas mittit, auxiliúmque petit; ita idem in simili hoc casu agendum, dicendúmque cum S. Au- [*S. Aug. l. 10. conf. c. 29.*] gustino: O amor, qui semper ardes, & nunquam extingueris. Caritas DEUS meus, accende me. Continentiam jubes, da, quod jubes; & jube, quod vis.

[*Cass. l. 6. inst. c. 1.*] II. *Perfecta humilitas & subjectio erga Deum*: utpote sine qua, teste Cassiano, nullius penitus [*S. Greg. l. 5. in 1 Reg. c. 14.*] vitii poterit triumphus acquiri; nam, ut S. Gregorius ait, si mens DEO subdi humiliter despicit, carnis suæ desideria dominando ac præeminendo non premit.

[*Gen. 39. v. 12.*] III. *Fuga occasionum & ipsarum tentationum*: Sic Joseph Ægypti Prorex, ut impudicam Dominam evadere posset, pallium, quo apprehensus fuerat, reliquit, & fugit. Ergo contra libidinis impetum apprehende fugam (infert S. Augustinus) si vis obtinere victoriam. [*S. Aug. in s. 35. Dom. post Trin.*] Non tibi verecundum sit fugere, si castitatis palmam desideras obtinere. Nam, ut rectè Origenes dixit, ista fuga est, quæ habet salutem, [*Orig. hom. 8.*] ista fuga virtutis est, ista fuga beatitudinem confert.

Hinc & aliqui finxerunt, Daphnidem Virginem, dum impudicum Leonem fugit, in Lauram conversam.

IV. *Sensuum accurata custodia*: nam, ut rectè [*S. Greg. l. 21. mor. c. 2.*] discurrit S. Gregorius, cùm sit invisibilis anima, nequaquam corporearum rerum delectatione tangitur, sed per quinque corporis sensus quasi per fenestras interiora respiciens concupiscit. Hinc etenim Jeremias ait: Mors ascendit per [*Jer. 9. v. 21.*] fenestras, ingressa est domus nostras. Mors quippe per fenestras ascendit, & domum ingreditur, cùm per sensus corporis concupiscentia veniens habitaculum intrat mentis. Ne ergo quædam lubrica in cogitatione versemus, providendum nobis est, quia intueri non decet, quod non licet concupisci. Nam, ut idem postea ait, præceps anima, dum antè non providet, ne incautè videat, quod concupiscat, cæca pòst incipit desiderare, quod vidit.

V. *Otii detestatio*: nam, ut benè advertit [*S. Greg. l. 6. c. 1. in l. 1. Reg.*] S. Gregorius, cùm duas simul res cogitare non possumus, fit, ut aliquid aliud cogitando, non cogitemus immunda. Hinc pergit adhortari: Inter opera & labores Spirituales contra stimulos carnis fortes sumus: Sed si quasi fessi à solitæ conversationis rigore torpescimus, vel remittimus, dum paulatim negligimus, aculei carnis resurgunt, qui quasi depositis Moysis manibus Israëlem vincunt.

Id quod apta similitudine nonnemo confir- [*Faber conc. 8. in Dom. 23. post Pent.*] mat dicens: Ut avis quæ otiosa in ramo sedet, facilè jaculo configitur; secùs quando volat, & hinc inde saltat; ita idem de homine otioso sentiendum. Hinc S. Hieronimus monet ali- [*S. Hier. in ep. ad Rust.*] quid boni operis semper facito, ut te Diabolus inveniat occupatum.

VI. *Corporis castigatio*: nam, teste S. Am- [*S. Ambr. l. 1. de. pæn. c. 14.*] brosio, libido gravis ignis est, & ideo non demus illi alimenta luxuriæ. Pascitur libido conviviis, nutritur deliciis, vino accenditur, ebrietate inflammatur. Econtrariò verò abstinentia ciborum contra vitium hoc fortissima est, teste S. Gregorio; [*S. Greg. l. 5. c. 14. in 1. Reg.*] sicut enim Castellanus fame subactus, castrum tradit ad libitum impugnantis; ita Luxuria per famem domita corpus ad libitum hominis & rationis tradit, quemadmodum rectè dixit S. Albertus Magnus. [*S. Albert. s. in Dom. 1. Quadr.*]

VII. *Mortis, aliorúmque extremorum recordatio*: nam, S. Gregorio teste, nihil sic ad [*S. Greg. l. 16. mor. c. 29.*] edomandum desiderium appetituum carnalium valet, quàm ut unusquisque hoc, quod vivum diligit, quale mortuum sit, penset. Sed & S. [*S. Isid. l. 2. de summo bono c. 39.*] Isidorus calculo suo id probans ait: Quando impulsu Dœmonum mens ad delectationem fornicationis impellitur, divini judicii metus, &

æterna

æterna tormenta incendii ante oculos proponantur, quia nimirum omnis pœna gravioris supplicii formidine superatur. Sicut enim clavus clavum pellit, ita sæpe recordatio ardoris gehennalis ardorem excludit luxuriæ.

*S. Ambros. in c. 10. Mat.* VIII. *Præsentia DEI menti firmiter impressa:* cujus efficaciam sic ostendit S. Ambrosius. Detur mihi captus adulterinæ cupiditatis intemperantissimo æstu, qui nolit repugnare carnis suæ appetitui, incuriosus Justitiæ, tamen sollicitus famæ, erubescens testimonium erroris, qui ipsum non erubescit errorem. Si quem forte spectatorem noverit facinoris sui, verecundia sequestrat intemperantiam, & pudore inceptum scelus deserit; quantò magis si Deum inspectorem cogitârit, abstinebit. Certè S. Basilius de pugnis adversus hoc vitium luxuriæ discurrens, hæc omnia, inquit, ei facilia sunt, qui DEUM semper præsentem aspicit. *S. Basil. in 99 fusè expl. 20.*

## § X.

## ASCETICA.

I. Tria potissimùm de hoc vitio Ascetæ sciendà, aliisque inculcanda sunt. Primum est, ut benè cognoscat, quòd vitium hoc peculiariter infestet ad perfectionem tendentes, uti bene S. Gregorius ostendit, dum ait: In via autem Israël Amalech restitit, quia libido ad perfectionem tendentibus arma voluptatis objicit, & corda, quæ potest, gladio immundæ suggestionis ferit. Et quia valde fortis & violenta est pugnæ fornicationis, testiſtiſſe perhibetur, non quomodolibet obviâsse; resistere quippe forti, expugnationi instare est. *S. Greg. l. 6. in 1. Reg. c. 15.*

*l. 1. Reg. c. 15.* II. Alterum est, ut bene intelligat, quousque huic Amalech resistere debeat, scilicet implendo illud DEI mandatum: Non pareas, eo, & non concupiscas illius aliquid, sed interfice à viro usque ad mulierem, & parvulum, & lactentem, & bovem & asinum, & ovem & camelum. Super quæ verba S. Gregorius ait: Parcit Amalech, qui blandimenta lasciviæ aut in locutione, aut per intentionem, aut in cogitatione tenet. Dicit, non parcas ei, quia de tam nequissimo vitio nihil accendi debet in mète, nihil permitti debet in opere ardere. Non concupisces ipsius aliquid, ut penitus eradicetur à cogitatione.

*Cass. coll. 2. c. 10.* III. Tertium est, ut pariter bene cognoscat, quomodo, seu quibus armis resistere huic Amalech debeat, alterique suadere, nimirum tribus præcipuè. 1. *Manifestatione tentationis:* quia, ut Cassianus ait, non valebit ignorationi ejus callidus hostis illudere, qui universas cogitationes in corde nascentes, perniciosâ verecundiâ nescit obtegere, sed eas maturo examine seniorum vel reprobat, vel admittit. Illico namque ut patefacta fuerit cogitatio maligna, marcescit, & antè, quàm discretionis judicium proferatur, serpens deterrimus velut è tenebroso ac subterraneo specu virtute confessionis pertractus ad lucem, & traductus quodammodo ac dehonestatus discedit. Tamdiu enim suggestionis ejus noxiæ dominâtur, quamdiu à nobis in corde cælantur. 2. *Humilitate*, sed eâ maximè, quâ sibi penitus diffidens, & sperans in DEO, ab hoc auxilium petat, ac exspectet; nam, teste, S. Climaco, qui sudoribus ac laboribus suis adversus hujusmodi Adversarium pugnat, is ei similis est qui inimicum suum papyro ligavit: qui verò continentia ac vigiliis pugnat, ei similis est, qui catenis hunc devinxit. Porro is, qui altissima humilitate & vacuitate iracundiæ sitique depugnat, is ei comparatur, qui occidit inimicum, atque in arena occubuit, arenam verò intellige humilitatem. 3. *Maturâ resistentiâ:* nam quemadmodum ni[g]les domum ingressus facilè totam domum occupat; ita carnis tentatio haud difficulter mentem subjugat, si semel eam occupare sinatur. Hinc S. Hieronymus monet: Nolo, sinas cogitationem libidinis crescere; nihil in te Babylonium, nihil confusionis adolescat. Dum parvus est hostis, interfice: Nequitia, ne Zizania crescat, in semine elidatur. Audi Psalmistam dicentem: Beatus, qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad Petram. Quia impossibile est, in sensum hominis non irruere innatum medullarum calorem, ille laudatur, ille prædicatur beatus, qui, ut cœperit cogitare sordida, statim interficit cogitatus, & allidit ad Petram, Petra autem Christus. *S. Climac. gr. 15.* *S. Hier. in epist. ad Eustoch.*

## § XI.

## CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. Ex occasione thematis: *Fugite Fornicationem*: explicari potest causa primaria cur luxuria sit vitanda, scilicet quia est grandis & specialis injuria DEI tum in genere, tum in specie omnium trium Personarum. Et 1. *respectu DEI* in genere, quia polluit & fœdat turpissimè imaginem ipsius, uti præclarè S. Augustinus indicavit, dum dixit: Facis injuriam DEO, dum teipsum corrumpis. Et unde, inquis? Unde tibi facit injuriam, qui voluerit fortè lapidare tuam tabulam pictam, in qua imago tua est? Quam verò imaginem DEI, quod es tu, corrumpis per fornicationes & per diffluentias libidinis non attendis, cujus imaginem violasti, cui contumeliam fecisti? 2. *Respectu DEI Patris*: qui creavit corpus nostrum erectum, ut esset domus munda & digna animæ, quam tamen nos per luxuriam fœdamus, & haram porcorum facimus. Hinc Apostolus hortatur: Hæc est voluntas DEI, sanctificatio vestra, ut abstineatis à fornicatione; ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderii, sicut Gentes, quæ ignorant DEUM. 3. *Respectu Filii*: qui redemit, & corpore suo Sacrosancto pascit nos. Hinc iterum monet Apostolus: An nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? tollens ergo membrum Christi faciam membrum meretricis? absit. Et iterum: Empti estis pretio magno, glorificate & portate DEUM in corpo- *1. Cor. 6. v. 18.* *S. Aug. l. 1. de 10. chord.* *1. Thess. c. 4. v. 3.* *1. Cor. 6. v. 15.* *Ibid. v. 20.*

*Ibid. v. 13.* corpore vestro. Corpus (scilicet) non fornicationi, sed Domino (tradendo, ut ibidem ait. 4. *Respectu Spiritus Sancti*: qui Sanctificavit nos, & templum suum constituit, quod *Ibid. v. 19.* per luxuriam fœdè polluitur. Unde S. Paulus ait: An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui nobis est? unde non introibit Spiritus ille in malevolam animam, nec habitabit in corpore subdito peccatis, *1. Cor. 3. v. 17.* ut Salomon ait; sed siquis violaverit templum DEI, disperdet illum DEUS.

II. Ex occasione ejusdem thematis potest luxuria Sirenibus comparari. Et in prima quidem parte ostendi, quomodo & blando aspectu, & suavi cantu ad sui amorem alliciat, & detineat, quem in finem mulieris à Salomone *Prov. 7. v. 10.* descriptæ artes enarrari possunt. In Secunda parte fraus hujus Sirenis aperiri potest, quomodo scilicet navem, id est, salutem hominis evertat, & in profundum inferni demergat. In tertia ostendi potest, quomodo hujus Sirenis fraudes evitari debeant, scilicet sequendo factum Ulyssis, & aures mentis, cerâ timoris ac amoris DEI obstruendo.

*Prov. 5. v. 3.* III. Ex occasione thematis: *Ne attendas fallacia Mulieris, favus enim distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus; novissima autem illius amara quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps.* potest luxuria Dalilæ comparari. Et 1. ostendi, quomodo in finum suum recipiat & blandiatur amorem simulando. 2. Quomodo ipsum tondeat, & fortitudine sua privet, id est, gratiâ divinâ, & DEI assistentiâ. 3. Quomodo eum tradat Inimicis, & excæcari, in munitam civitatem (hoc est, servitium, & domum mulierum) duci, carceri (angustiarum) mancipari, vinculis ferreis (consuetudinis) ligari, ad molam (laboris & infamiæ) damnari, scuticis (stimuli conscientiæ) cædi, & ab omnibus illudi, ac denique omnino opprimi faciat. Quæ omnia fusiùs apud Fabrum in auctario them. 2. in festo S. Matthiæ explicata videri possunt.

*Iob. 31. v. 12.* IV. Ex occasione thematis: *Ignis est usque ad perditionem devorans, omnia eradicans genimina*: potest Luxuria igni devoranti comparari, & 1. ostendi, quomodo devoret *substantiam temporalem*: uti Filius prodigus ex- *Eccl. 9. v. 6.* pertus est. Unde meritò Siracides monet: Ne des fornicariis animam tuam in ullo, ne perdas te, & hæreditatem tuam. Quod con- *S. August. de doct. Christ.* firmans S. Augustinus ait: Luxuria perdit omnem substantiam, & ad præsens voluptate deliniens futuram non sinit cogitare paupertatem. 2. Quomodo devoret *Famam*: hinc iterum *Eccl. 9. v. 2.* Ecclesiasticus monet: Ne des mulieri potestatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtute tua, *S. Aug.* & confundaris. Sed & S. Augustinus id confirmans ait: Qualis est in oculis Hominum, qui inversis pedibus ambulare nititur; talis est in oculis Angelorum, cui propria caro dominatur. 3. Quomodo devoret *sanitatem & vitam corporis*: cùm nihil adeò corpus debilitet, vitamque abbreviet, quàm luxuria frequenta. 4. Quomodo devoret *animam*: scilicet eam in æternum interitum præcipitando, uti Salomon indicavit, dum dixit: Fovea *Prov. 23. v. 27.* profunda est meretrix, & puteus angustus aliena. Insidiatur in via quasi latro, &, quos incautos viderit, interficiet. Quæ omnia fusiùs explicata videri possunt apud March. in Horto Pastorum tr. 4. lect. 8. prop. 2. & 3. & apud Fabrum conc. 5. festo S. Mariæ Magd. ubi ob hanc causam comparat luxuriam bestiæ, quam Daniel sequentibus verbis describit: Ecce alia *Daniel. 7. v. 5.* bestia similis urso in parte stetit, & tres ordines in ore ejus, & dentibus ejus. Et sic dicebant ei: surge, comede carnes plurimas.

V. Ex occasione thematis? *Via inferi domus ejus*: potest luxuria Inferno compara- *Prov. 7. v. 27.* ri; quia sicut in hoc tria specialiter reperiuntur, scilicet ignis ardens, vermis rodens, & sulphur *S. Bonav. in dieta Sal. tit. 5. c. 9.* fœtens; sic in luxuria quoque reperitur ignis concupiscentiæ, vermis seu remorsus conscientiæ, & sulphur infamiæ. Unde S. Hierony- *S. Hier. apud Drex. in Nicet. l. 1. c. 10.* mus exclamat: O Luxuria! ô ignis infernalis, cujus materia gula, cujus flamma superbia cujus scintillæ prava concupiscentia, cujus fumus infamia, cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna.

VI. Ex occasione thematis: *Numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut ve-* *Prov. 6. v. 27.* *stimenta ejus non ardeant?* possunt afferri remedia pro luxuria vitandâ, scilicet ea ipsa, quæ pro igne extinguendo adhibentur, quorum primum est, *aqua frigidæ affusio*, per quam corporis castigatio intelligitur.

Alterum lignorum *subtractio*, seu fuga occasionum, aut rerum ad luxuriam incitantium.

Tertium *Venerabilis Sacramenti aut reliquiarum sanctarum adversus ignem conversio*: seu invocatio Christi & Sanctorum, præcipuè Virginis sine macula conceptæ, cujus Patrocinium adversus hunc ignem luxuriæ mirè efficax fuisse, quotidianâ experientiâ compertum est.

VII. Ex occasione thematis: *Et cœperunt se omnes excusare*: proponi possunt, & refutari excusationes, quas Luxuriosi prætendunt. Nempe 1. *Quòd non possint se continere*: qui *Gen. 4. v. 7.* refutentur tum illo DEI effato: Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius: tum exemplo S. Augustini, cui continentia cum grege Puerorum & Puellarum quasi subridens dixit: Potuerunt isti, & istæ, & tu non poteris? tum instantia potiùs venenati, quo etiam in summo æstu concupiscentiæ facilè quis abstineret. 2. *Quòd nulli injuriam faciant*: qui refutentur ex eo, quòd grandis injuria fiat DEO, corpori proprio & alieno, dum polluuntur; & animabus, dum ad servitium carnis deprimuntur. 3. *Quòd Oseas ipse à DEO uxorem fornicationum assumere jussus sit*: qui refutentur ex eo, quòd non fornicari jussus sit, sed uxorem quæ fornicata fuerat, per legitimum Matrimonium sibi copulare. Vide has refutationes fusiùs apud Marchant. in Horto Past. tr. 4. lect. 8. prop. 3.

§. XII.

## §. XII.

## MISCELLANEA.

### *Qualitas.*

*March. tub. Sacerd. tr. 3. lect. 8.* I. Antiqui, ut indicarent causam, cur Senes etiam sæpe ad luxuriam tam proni sint, finxerunt, mortem & cupidinem in eodem hospitio divertisse, sed cùm ex eo discederent, alterum alterius telum ex errore apprehendisse, sicque factum, ut, dum mors senes occidere parabat, ad amorem incitârit; Cupido verò Juvenes amore inflammare cupiens, eos omnino interemerit. Undè non malè cecinit quidam.

Hinc Juvenes occidit Amor, fallente pharetra,
Hinc mors ipsa suos cogit amare senes.
Disce hinc, humanæ quæ sint ludibria vitæ:
Mors thalamũ sternit, sternit Amor tumulũ.

*Ibid.* II. Quidam ex Antiquis dixit, Diabolum sibi in uxorem desponsâsse iniquitatem, ex qua varias suscepit Filias, quarum primam Superbiam Nobilibus, Avaritiam & usuram Mercatoribus, Rapinam & Furtum Militibus, Mendacium & Fraudem Artificibus & Advocatis, Simoniam Ecclesiasticis, Hypocrisin Religiosis, Invidiam Aulicis desponsârit; at verò luxuriam liberam esse & omnibus communem voluerit, ut per eam tantò plures homines luctari possent.

*Laertius* III. Cùm quidam Stolidus audiente Pythagora diceret, malle se cum mulieribus, quàm cum Philosophis versari, rectè respondit Pythagoras: quid mirum, nam & sues libentiùs in luto, quàm in aqua pellucida versantur.

*Engelg. p. 1. Dom. 5. post Pent.* IV. Luxuria meritò *Lux urens*, nonnemine vocatur, quia hocigne olim S. Christina totum orbem incensum vidit.

*Pontanus in Att. bell. p. 1. c. 4.* V. Hieronymus Capivaccius Medicus Patavinus testatur, se ex curatione luis Gallicæ plusquam octodecim millia coronatorum fuisse lucratum.

*Spondanus anno 1460.* VI. Suldanus Turcarum quinque millia stipendiariorum alere consuevit pecuniâ Meretricum commercio collectâ.

*S. August. in tr. 6. in ep. 3e.* VII. Christus, dum legionem Dœmonum ejecit, eisdem in porcos intrandi potestatem dedit, ut ostenderet, Diabolum iis dominari, qui vitam porcorum gerunt.

*Faber conc. 8. in Dom. 23. post Pent.* VIII. Pelicanus cùm in alto habitare posset, ova in terra abscondit; quod advertens auceps, circa locum illum accendit ignem, quem, dum advolans Pelicanus extinguere alis cupit, magis accendit, & simul adustis alis facilè capitur. Quod ipsum facit Diabolus cum luxuriosis, qui si ignem concupiscentiæ ab eo per socios malos excitatum extinguere volunt, magis inflamatur & seipsos amburunt.

*S. Thom. l. 5. de erud. Princ. c. 51* IX. S. Thomas alicubi ait: Dicunt Magistri, aliquos esse Dœmones, qui memores suæ antiquæ nobilitatis, non dignantur homines peccato luxuriæ tentare. Signum hujus est, quòd Lucifer tentans Dominum in deserto, non tentavit eum de hoc peccato.

*Brev. Rom. 26. Iun.* X. S. Philippus Nerius ex odore impudicos cognoscebat; hinc dicere solebat: malè oles, ô Fili, malè oles.

*S. August. apud Drex. in Niceta lib. 2. c. 11 §. 2.* XI. S. Augustinus exclamans, o voluptates, inquit, quàm faciles aditus habetis, & quàm difficiles exitus habebitis, cùm penetratis. Dum suadetis, inungitis; sed postquam suasistis, usque ad mortem Animæ pungitis.

### *Fuga.*

*Fab. in auct. them. 2. in Dom. 23 post Pent.* XII. Rectè de vitanda Luxuriâ dixit Seneca: Libidinis initia continebit, qui illius exitum cogitabit.

*Alanus de planctu naturæ metro. 3.* XIII. Nec malè eundem in finem cecinit Alanus.

Si vitare velis Venerem, loca, tempora vita,
Nam locus & tempus pabula præbet ei.
Si tu persequeris, sequitur: fugiendo fugatur.
Si cedis, cedit: si fugis, illa fugit.

*Vita P P. l. 11. n. 14.* XIV. Abbas Pastor Abbati Ammoni interroganti de immundis cogitationibus dixit: Numquid glos abitur securis sine eo, qui incidit in ipsam? Et tu ergo non porrige eis manus, & otiosæ erunt.

### *Damnum*

*Valer. Max. l. 9.* XV. De hoc vitio sapienter dixit Valerius: Quid hoc vitio fœdius? quid etiam damnosius? quo virtus atteritur, vina languescunt, sopita gloria in infamiam convertitur, animi & corporis vires expugnantur, adcò ut nescias, an ab hostibus, an ab illis capi perniciosiùs habendum sit.

*Ælian. l. 2. c. 24.* XVI. Ut vipera femina in maris complexu ei ad collum adhæret, & morsu caput abscindit, & ipsam postea fœtus lacerant; sic luxuria suis amatoribus interitum affert.

*Engelg. to. 1. in Dom. 5. post Pent.* XVII. Quidam causam assignans, cur Venetiis tot scorta essent, sic cecinit:

Cur urbe in Veneta scortorum millia tot sunt?
In promptu causa est; nam Venus orta mari.

*Ibid.* XVIII. Similem causam alius assignavit, cur Christus die Veneris sit passus:

Luce obijt veneris, Veneris sceltura, videtur
Causa DEI passi non minima esse Venus.

*S. Thom. in S. Io. c. 5* XIX. Doctor Angelicus exponens illud Joannis: Totus mundus in maligno positus est; sic ait: Totus mundus in maligno, id est, malo igne positus est.

*In Niceta, c. 10.* XX. Drexelius brevi compendio damna & remedia luxuriæ his versibus complexus est:

Corpus, opes, animã, ingenium, Famã, virtutes,
Debilitat, perdit, necat, impedit, inficit, aufert.
Otia, mensa, libri, vaga lumina, verba, Sodales,
Hæc tolle, hanc minue, hos muta, hæc claude,
hæc fuge, vita hos.

*S. Petrus Damiani l. 2. Epist. ep. 18.* XXI. In quodam monte Orientis lapides sunt igniferi, qui masculus & femina nuncupantur, & dicuntur Pyroboli. Qui nimirum cùm à se invicem procul sunt, non accenduntur: si verò femina appropinquaverit masculo, proti-

protinus ex eis ignis egreditur, ita ut omnia, quæ circa montem sunt, flammis vaporantibus exurantur. Ab ipsis ergo lapidibus edocemur, ut, si consumi libidinis incendio nolumus, muliebris aspectûs speciē declinemus; ne conspectâ formâ flamma prosiliat, quæ in nobis non montis, sed mentis fruteta pervadat.

## §. XIII.

### AXIOMATA.

*Buchlerus V. Meretrices.* I. QUid facies, facies Veneris si veneris ante? Non sedeas, sed eas, ne pereas per eas.

*Ibid.* II. Si cedis, cedit: si stas, Venus improba lædit.
Cypria damna fugas, si sua tela fugis.
Für der Frau Venus geyle Sucht/
Die best Artzney ist schnelle Flucht.

*Ibid.* III. Dives eram dudum, fecerunt sed tria nudū,
Alea, Vina, Venus, tribus his sum factus egenus.
Durch Würffel/ Wein/ und Hurerey/
Kombt mancher umb sein Armuthey/

*ibid.* IV. Luxuriat rarò non bene pasta caro.
Hungerige Pferdt lustet nit zu gumpen.

V. Rectè de Hercule quidam cecinit:
Lenam non potuit, potuit superare Leænā.
Quem fera non potuit vincere, vicit hera.

*Terent. in Eunucho.* VI. Sine cerere & Baccho friget Venus.
Wo sich befindet Nüchterkeit/
Venus nit suchet ihre Freud.

*Eccl. 19. v. 2.* VII. Vinum & Mulieres apostatare faciunt sapientes.
Deß Bacchus und der Weiber Garn/
Habn manchen Weisen gmacht zum Narrn.

## §. XIV.

### AUTHORES.

I. Joannes Busæus in Panario V. eodem.

II. Jeremias Drexelius in Niceta.

III. Jacobus Marchantius in Horto Pastorum lect. 8. & 9. Item tub. Sacerd. tr. 3.

IV. Jacobus Alvarez to. 2. l. 1. p. 2. c. 5. & 6.

V. Bernardinus Rosignolius l. 2. de discipl. c. 14. & 15.

VI. Joannes Cassianus. 6. de Instit. renunc.

VII. Ludovicus Granat. in locis comm. fol. 565. & Duce Pecc. l. 2 c. 6. fol. 631.

VIII. Philippus D' Outreman. in Pædagogo Christiano p. 1. c. 7. §. 3.

IX. Petrus Canisius to. 3. de sept. pecc. capit. §. 5.

X. Henricus Engelgrave. in Luce Evang. p. 1. in Dom. 5. post Pent. & in cælo p. 1. in festo Annunc. §. 2.

XI. Matthias Faber conc. 7. & 8. in Dom. 13. post Pent. & in Festo S. Mariæ Magd. conc. 5.

XII. Antonius Dauroltius in floribus historicis. c. 2. præc. 6. tit. 103.

XIII. Josephus Langius in Polianthæo V. eodem.

XIV. Joannes Maior in magno speculo exemplorum. V. eodem.

---

# *TITULUS XVIII.*

# MENDACIUM.

## §. I.

### QUOAD ESSENTIAM.

#### *Definitio.*

I.



*S. Aug. l. de mend.* Est voluntaria locutio contra mentem, seu, ut S. Augustinus loquitur, est falsa vocis significatio cum intentione fallendi. Unde aliqui discrimen faciunt, inter mentiri, & mendacium dicere; & *mentiri* quidem volunt idem esse, ac contra mentem dicere: *mendacium dicere* verò esse falsum dicere, sed quod verum esse credat. Hinc juxta Nigidium vir bonus præstare debet, ne mentiatur; prudens, ne mendacium dicat.

#### *Divisio.*

*S. Aug. in l. de mend.* II. Dividitur à S. Augustino & aliis in *Jocosum*, quod fit sola mentiendi libidine, vel cupiditate placendi aliis. *Officiosum*, quod nulli obest, sed tamen alicui prodest ad vitam vel aliud bonum servandum, vel malum arcendum. *Perniciosum*, quod nulli prodest & alicui obest, vel contra fidem aut bonos mores esse deprehenditur. S. Dorotheus alia tria genera his verbis assignat: Tria sunt mendacii genera, *S. Doroth. doctr. 9.* Primum est, cùm quis animo; Secundum, cùm verbo mentitur; tertiū, cùm in vitam suam quis mendax est. Qui mentitur animo, is est, qui facilè quascunque suspiciones admittit, utpote, cùm viderit Fratres colloquentes, ne de se loquantur. Sermone autem quis mendax est, cùm v.g. aliquis torpescens ad nocturnas vigilas surgere, febrem, inquit, passus sum, & vertiginem, caput dolebam, stomachi tormina patiebar. Et decies mentitur, ne unicam pœnitentiam agat, & humilietur.

Mentitur autem in vitam suam, cùm turpis & luxuriosus continentiam simulat, avarus & tenax de eleemosyna loquitur.

#### *Actus.*

III. Primus est *mendacium excogitare*, & primò ex ore suo depromere; quos S. Job fabricatores mendacii appellat. *Job. 13. v. 4.*

IV. Se

IV. Secundus est, *mendacio ab aliis confecto aliquid adjicere*; quo faciliùs credatur; uti fecerunt illi, qui Davidi nuntiabant, omnes Filios ejus esse occisos cùm solus Amnon fuerit occisus. *2. Reg. 13. v. 30.*

V. Tertius est, *mendacia spargendo alios decipere, & turbare*: uti fecerunt exploratores terræ promissæ, quando terram illam inexpugnabilem mentiti, Populum ab ulteriori progressu absterruerunt. *Num. 13.*

VI. Quartus est *libenter & facilè nimis mendacia suscipere, aliisque narrare*: contra quos monet Dominus: Non suscipies vocem mendacii. seu, ut Vatablus vertit, ne assumas rumorem vanum aut falsum. *Exod. 23. v. 1.*

VII. Quintus est, *alios mendacii temerè arguere*: qui, teste Fabro, non minùs peccant, quàm mendaces, quia errorem graviori errore corrigere conantur. *Fab. conc. 6. in Dom. 4 post Pent.*

VIII. Drexelius alios tres actus, velut tres Filias assignat mendacio, scilicet linguam fraudulentam, fallacem, fucatam, quas inter se ex eo distinctas dicit, quòd fucata sui tantùm purgationem & comptum attendat; fallax hoc unum agat, ut alios fallat; fraudulenta non tam videri velit formosa, quàm arguta & peracuta. *Drex. in Phaeth. c. 21.*

## §. II.
## EX S. SCRIPTURA.

### Qualitas.

I. QUi nititur mendaciis, pascit ventos. *Prov. 10. v. 4.*

II. Malus obedit linguæ iniquæ & fallax obtemperat linguis mendacibus. *Prov. 29. v. 12.*

III. Opprobrium nequam in homine mendacium, & in ore disciplinatorum assiduè erit. *Eccl. 20. v. 26.*

IV. Non est veritas, & non est misericordia, & non est scientia DEI in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum inundaverunt. *Osea. 4. v. 1. & 2.*

V. Vos ex Patre Diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis facere; ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia non est veritas in eo; & cùm mendacium loquitur, ex propriis loquitur, quia mendax est, & Pater ejus. *Jo. 8. v. 44.*

VI. Posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus. *Isaia 28. v. 15.*

VII. Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? *Ps. 4. v. 3*

### Fuga.

VIII. Vanitatem & verba mendacia longè fac à me. *Prov 30. v. 8.*

IX. Noli velle mentiri omne mendacium; assiduitas enim illius non est bona. *Eccl. 7. v. 14.*

X. Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra. *Eph. 4. v. 25.*

XI. Ne accipias faciem adversus faciem tuam, nec adversus animam tuam mendacium. *Eccl. 4. v. 26.*

XII. Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novũ eum, qui renovatur in agnitionem secundùm imaginem ejus, qui creavit illum. *Col. 3. v. 9.*

XIII. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ DEO & Agno: & in ore eorum non est inventum mendacium; sine macula enim sunt. *Apoc. 14. v. 4.*

### Damnum.

XIV. Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. *Ps. 5. v. 7.*

XV. Sex sunt, quæ odit Dominus, oculos sublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium sanguinem, cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia restè fallacẽ. *Prov. 6. v. 17.*

XVI. Os, quod mentitur, occidit animam. *Sap. 1. v. 11*

XVII. Abominatio est Domino labia mendacia. *Prov. 12. v. 22.*

XVIII. Potior fur, quàm assiduitas viri mẽdacis; perditionem autem ambo hæreditabunt. Mores hominum mendacium sine honore, & confusio illorum cum ipsis sine intermissione. *Ecc. 20. v. 27.*

XIX. Extenderunt linguam suam quasi arcũ mendacii, & non veritatis: confortati sunt in terra, quia de malo ad malum egressi sunt. *Jer. 9. v. 3.*

XX. Suavis est homini panis mendacii, & postea implebitur os ejus calculo. *Prov. 20. v. 17.*

XXI. Omnibus mendacibus pars erit in stagno, ardenti, igne, & sulphure, quod est mors secunda. *Apoc. 21. v. 8.*

XXII. Non intrabit in illam (cælestem Jerusalem) aliquid coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium. *Ibid. v. ult.*

## §. III.
## EX SS. PATRIBUS.

### Qualitas.

I. ILle mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis, vel quibuslibet significationibus enunciat; unde etiam duplex cor esse dicitur mentientis, id est, duplex cogitatio. Una rei ejus, quam veram esse scit, vel putat, & non profert: altera ejus rei, quam pro ista profert, sciens falsam esse, vel putans. *S. Aug. in l. de men. dac.*

II. Nec ideo ullum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus aliquando alicui prodesse mentiendo; possumus enim & furando alicui prodesse, si pauper, cui datur, palam sentit commodum, nec ideo tale furtum quisquam dixerit non esse peccatum. *Idem in Enchird. ad Laurent.*

III. Si humilitatis causâ mentiris, si non eras peccator antè quàm mentirens, mentiendo efficeris, quod evitâras. *S. Aug. ibi.*

IV. Omne mendacium iniquitas est; quia profectò ab æquitate discordat, quidquid à veritate discordat. *S. Greg. l. 18. mor. c. 4.*

### Fuga.

V. Cavete, Fratres, mendacium; quia omnes qui amant mendacium, Filii sunt Diaboli; Non solùm autem in falsis verbis, sed & in simulatis operibus est mendacium; mendacium namque est, se Christianum dicere, & opera Christi non facere. *S. Aug. in f. de Abraham.*

VI. Elucet itaque discussis omnibus, nihil aliud testimonia illa scripturarum monere, nisi nunquàm omnino esse mentiendum. Non enim cujusquam commoditas aut salus temporalis perficiendæ fidei præferenda est. Quisquis autem ali- *S. Aug. l. 14. de mendac. c. 21.*

aliquod genus mendacii, quod peccatum non sit, putaverit, seipsum turpiter decipiet, cùm honestum se deceptorem arbitratur aliorum.

*S. Isid. apud Drex. c. 35. Phaet.*

VII. Omne mendacii genus summopere, fuge, & nec casu, nec studio loquaris falsum; cave mendacium in omnibus.

*Damnum.*

*S. August. apud Dr. l. e. c. 37. §. 1.*

VIII. Quisquis veritatem DEI occultat, iram DEI super se provocat; quia magis hominem timet, quàm DEUM.

*Idem. in Ps. 30.*

IX. Quis observat vanitatem? qui timendo mori, moritur. Timendo enim mori, mentitur; & moritur, antequam moriatur, qui ideo mentiebatur, ut viveret. Mentiri vis, ne moriaris? & mentiris, & moreris: & cùm vitas unam mortem, quam differre poteris, auferre non poteris, incidis in duas, ut priùs in anima, postea in corpore moriaris.

*S. Basil. in proœm. l. de Spir. S.*

X. Rerum omnium potentissima est veritas, & extrema malitiæ linea mendacium.

*S. Hier. ep. 37.*

XI. Antiquus sermo est; Mendaces faciunt, ut nec vera dicentibus credatur.

*Idem in reg. brev. q. 76.*

XII. Dixit Cain: Numquid ego custos sum Fratris mei? & sibi ipse mentitus est. Dixit Ananias, omne se venditi ruris sui pretium pertulisse, & mentitus est sibi, qui potuit minùs offerre sine fraude. Ideóque præclarè ait David: Et mentita est iniquitas sibi, sibi enim antè mentitur, qui in suum mentitur exitium: sibi delinquit, qui sibi ipsi innocentiæ eripit suavitatem. Quis enim simplicitate & puritate pectoris dulcior fructus? Quis cibus suavior, quàm is, quem animus bene sibi conscij, & mens innocentis epulatur?

## §. IV.

## EXEMPLA.

*Qualitas.*

*S. Aug. l. 1. conf. c. 19.*

I. S. Augustinus de seipso fatetur: Horum ego morum puer in limine jacebam miser, fallebam innumerabilibus mendacijs & Pædagogum, & Parentes, & Magistros, amore ludendi, studio spectandi nugatoria, & imitandi ludicram inquietudinem.

*Maffeius l. 12. hist. Ind. f. 541.*

II. Antonius Paiva interrogatus à Rege Macazarum, quid esset mendacium? potestate obtentâ, quidquid vellet, liberà loquendi, dixit: Ego nulla comparatione hujus vocabuli vim faciliùs & clariùs demonstraverim, quàm istâ ipsâ, quàm vos agitis, vitâ; cùm enim JESUM Christum DEI Filium totius veritatis Auctorem penitus ignoretis, sic fit, ut erroribus infinitis impliciti, à veritate semoti in ipso mendacio volutemini.

*Fuga.*

*Engelgr. in Dom. Pass. §. 4. n. 1.*

III. Christus tantopere detestatus est mendacium, ut, cùm ex omni genere peccatorum aliquos ad meliorem frugem reduxerit, nullum tamen unquam mendacem convertisse sciatur, quia scilicet, cùm ipse sit ipsa veritas, decebat, ut tale erga mendacium odium ostenderet.

*Job. 27. v. 4.*

IV. S. Job de seipso dixit: Donec superest halitus in me, & Spiritus DEI in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur judicium.

*Prov. 30. v. 7.*

V. Salomon quoque suam à mendacio aversionem ostendit, dum dixit: Duo rogavi te, (ô DEUS) ne deneges mihi, antequam moriar. Vanitatem & verba mendacia longè fac à me.

*S. Joann. ep. 3. v. 4.*

VI. S. Joannes in ultima sua Epistola dicere ausus est: Majorem horum non habeo gratiam, (vel, ut alij vertunt, majus gaudium) quàm ut audiam Filios meos in veritate ambulare.

*Engelgr. in Dom. Pass. §. 2.*

VII. S. Lucianus incitatus ad Christum fidémque Catholicam negandam, cum Sociis suis constanter dixit: Mentiri non est meum.

*Surius 27. Apr.*

VIII. S. Anthimus Nicomediensis Episcopus cùm satellites se ad necem quærentes hospitio excepisset, illique tantâ humanitate permoti promitterent, se dicturos Imperatori, quòd ipsum reperire non potuerint, noluit hoc permittere: asserens, fas non esse Christiano pro vita cujusque mentiri; itaque ultro se illis jungens Imperatori stitit.

*Engelg. l. c. §. 1.*

IX. S. Thomas Aquinas cùm socius ipsius Religiosus joco dixisset, en boves volantes! & ipsum propterea circumspicientem ob simplicem credulitatem irrisisset, severo eum supercilio correxit dicens: Faciliùs, ô Frater, credendum boves volare, quàm Religiosum mentiri.

*Surius 2. April.*

X. S. Anselmus de omnibus Christianis hanc opinionem imbiberat, ut, cùm quidam monerent, ne aliquibus manifestè imponentibus fidem haberet, responderit: numquid non Christiani sunt? Quomodo ergo mentiri possunt?

*Pæd. Christ. p. 1. c. 4. §. 5.*

XI. Falco Constantin. Adolescens quia in honorem S. Angeli Custodis voto non mentiendi se obstrinxerat, & hoc etiam, cùm homicidium à se patratum negare potuisset, observaret, quinquies ab Angelo à fatali ictu defensus, & tandem omnino libertati restitutus est.

*Joan. Moscus c. 191.*

XII. S. Chrysostomus ex eo tempore, quo Christianorum ritu ablutus est, nunquam juravit, nec alium jurare compulit: nulli unquam malè dixit: nunquam mentitus est.

*Ruff. c. 10. apud Rosw.*

XIII. Anachoreta Anuph, dum aliqui morientis lectulum circumstantes, doctrinam aliquam pro memoria peterent, hæc pauca verba, sed memoranda dixit: Nihil magnum me fecisse arbitror, sed in eo tamen sollicitus fui, ne ullum dicerem mendacium.

*Ibid.*

XIV. Beno Abbati hoc quoque elogium jure meritò à suis concessum est, quod nunquam iratus, nunquam mentitus sit.

*Cæsarius l. 3. mir. c. 37.*

XV. Mercatores duo Colonienses mendaciis ad vendendas merces suas uti soliti; postquam suasu Confessarij ab ejusmodi more abstinere se cœperunt, effecerunt, ut plures ad eos Emptores confluerent, quàm priùs soliti fuerant.

*Damnum.*

*Act. 5.*

XVI. Ananias & Sapphira ob mendacium coram S. Petro prolatum, repentina morte, velut fulmine tacti, corruerunt.

*Raderus in aula sancta c. 16.*

XVII. Eudoxia Imperatrix, quia pomum ab Imperatore donatum, & ab ipsa Paulino ægro missum comedisse se mentiebatur, Imperatori suspicionem adulterij movit, effecitque, ut

Pau-

Paulinus quidem occidi jussus ab Imperatore, ipsa verò abdicata & relegata sit.

*Niceph. apud Drex. in Phaeth. c.37.§.3.*

XVIII. Mendici duo, quia convenerant, ut alter mortuum se simularet, alter à S. Epiphanio stipem pro sepultura peteret, sic DEO permittente puniti sunt, ut, qui mortuum se simulârat, verè mortuus sit repertus.

*S. Hier. ep. 49. ad Innocent.*

XIX. Mulier quædam ab Adolescente adulterij secum commissi insimulata cùm suam innocentiam DEO commendâsset, septies licet carnificis gladio percussa lædi non potuit (cùm tamen Adolscens, qui inter tormenta sibi & illi falsò crimen adulterij impegerat, primo statim ictu caput amiserit) ideóque erepta, ac sanitati, libertatiq; restituta est, uti fusiùs apud S. Hieronymum, aliósque videre est.

## §. V.

## EXEMPLA DOMESTICA.

*Vita l.5. c.2.*

I. S Ignatius tantopere mendacium fugiebat, ut, quò longiùs ab eo recederet, etiam ab exaggeratione omni, æquivocationéque sollicitè abstineret.

*Baneiz. de prof. virt. c.1 n.45.*

II. Card. Bellarminus, dum illi narrabatur, non constare, Joannem Berchmannum unquam in vita fuisse mentitum, innocenter subjecit: Nec ego ullius per vitam mendacij mihi conscius sum,

*In praef. to. de Inc.*

III. Ægidius Coninck ingennè fassus est, se nullius in tota vita mendacij meminisse posse.

*Hist. Soc. p.2.l.2.*

IV. P. Ludovici Medinæ lingua post duodecim annos viva & incorrupta permansit, omni reliquo corpote corrupto; cujus causa putatur, quòd nunquam constet, eum prudenter ac scienter mentitum fuisse.

*Pe. Rho in virt. Exempl. fol. 481.*

V. Idem P. Vincentis Regius & P. Caspar Sanctius servârunt, teste P. Joanne Rho.

## §. VI.

## EXEMPLA PROFANA.

### *Qualitas.*

*Iac. Marcb. in horto Past. tr.4. lect.16.*

I. PLato dicebat, mendacio, licet re mala, utendum tamen quandoque, ut helleboro & medicamine esse, atque adeò & Principes Urbium & si quibus aliis hoc conceditur, oportere aliquando mentiri, vel contra hostes, vel pro Patria & Civibus. Quæ tamen doctrina nunc passim à Catholicis Doctoribus rejicitur.

*Faber conc. 3. in Dom. 8. post Pent.*

II. Gesta Romanorum narrant, maritum quendam volentem experiri fidem uxoris, eidem sub sigillo narravisse, sibi post diuturnos ventris dolores, nocte præteritâ corvum evolâsse. Quod illa statim vicinæ detegens, duos corvos fuisse asserit, quæ alteri iterum narrans tres fuisse asserit, sicque ulterius, donec fama increvit, virum illum integrum in ventre corvorum nidum educâsse, & jam decem evolâsse.

*Fulgosius l.4.c.18.*

III. Stratocles superatis pugnâ navali Atheniensibus, summâ celeritate lauro redimitus Athenas quasi triumphabundus ingressus est, & faustum victoriæ nuntium evulgavit, & ubique plausûs & lætitiæ signa decrevit; cùm verò biduo pòst ob contrarium nuntium populus graviter eidem indignaretur, respondit, nihil se mali illis attulisse, cùm effecisset, ut saltem biduo læti hilaresque essent.

### *Fuga.*

*Suetonius apud Eng. in Dom. Pass. §.5.*

IV. Cleopatrâ & Antonio devictis, cùm Augustus senem sexaginta annorum, de quo audierat, quòd nunquam mentitus esset, repetisset, eum secum in triumpho circumduxit, creari Pontificem, & in Capitolio statuam illi inter Heroas erigi jussit.

*Drex. in Phaeth. c.35.§.3.*

V. Persæ adeò mendacium abominati sunt, ut turpissimum haberetur, ex ære alieno laborare, & mentiri.

*Ibid.*

VI. Romani omne mendacium homine ingenuo ac libero indignum putârunt, serviléque vitium esse, nec cadere posse, aut debere in generosum pectus, quod ante vitam projiciat, quàm illam mendacio commaculet.

*Æmilius Probus.*

VII. Epaminondas tam serius veritatis cultor fuit, ut ne joco quidem unquam sit mentitus.

*Drexel. c. c.36.§.4.*

VIII. Basilius Imperator Filium admonens inter alia dicebat. Maximi pendito, & veracem te esse in sermone, & veraces homines in familiaritatem admittere; ita enim firmus & constans in omnibus factis & dictis æstimaberis, & veram ac non suspectam tuorum erga te benevolentiam retinebis; si autem in vanitatis ac mendacitatis suspicionem veneris, indigna facere imperatoriâ majestate convincâris, efficiésque, ut semper formidolosi subditi, rerúmque omnium incerti & titubantes vacillent; quantùm enim veritatis oratio amabilem hominem reddit, tantùm mendacij deprehensa aut etiam suspecta odiosum, qui eâ utitur, facit

*Ibid. c.37. §.4.*

IX. Apud veteres Francos & Suevos cogebantur mendaces, impudentiæ symbolum, canem in humeros sublatum circumferre.

*Ibid.*

X. Indi, si quem in mendacio deprehendissent, ignominiâ notabant, & Magistratu movebant, quòd communem hominum societatem mentiendo fraudâsset.

*Ibid.*

XI. In Insula Tenedo ponè Judicem semper carnifex cum securi adstabat, ut si quis falsò quem accusâsset, vel testatus esset, aut aliud mendacium dixisset, mox securi feriretur.

*Paed. Christ p.1.c.5.§. 7.*

XII. Trajanus adeò aversabatur mendaces, ut hujus criminis convictos in navem sine velo & remis detrudi, altóque mari committi jusserit.

## §. VII.

## SIMILITUDINES.

### *Qualitas.*

*S. August. sup. Ioann.*

I. SIcut DEUS Pater genuit Filium; ita Diabolus lapsus genuit mendacium.

*Plutarch.* II. Sicut araneæ ex seipsis telas texunt; ita quidam ex seipsis comminiscuntur fabulas & mendacia, cùm nihil subsit veri.

*S. Chrys. ho. 66. de livor.* III. Sicut qui putres & ruinam minitantes parietes albo tectorio linunt, non tamen eos possunt erigere; ita & mendaces facilè deprehenduntur, & omnis error ita imbecillis est, quamvis extrinsecus callidè fulciatur.

*Eccl. 36. v. 21.* IV. Sicut fauces ferinam gustu deprehendunt; ita sagax animus uerba mendacia.

*Lycosthenes apud Engelgr. in Dom. Pass. Ibid.* V. Sicut non est piscis sine spinis; ita nec homo sine mendaciis.

VI. Sicut horologium aliter sonans & aliter signans horam, vitium internum prodit; ita homo mendax malum statum animæ significat.

*Fuga.*

*Fab. in Dom 7 post Pent. conc. 7.* VII. Sicut illi, qui nummos aureos condunt, aut adulterant monetam, omnibus odiosi sunt, & à Republica exterminantur; ita & qui mendaciis veritatem corrumpunt, meritò declinari & exturbari debent.

VIII. Sicut Diabolo nemo prudens credit, quia scit, eum esse mendacij Patrem; ita nec mendacibus fidem adhibere oportet, cùm sint mendaciorum fabricatores.

*Damnum.*

*Faber. l. c.* IX. Sicut moneta prava ab uno ad alium transit, ac multos decipit; ita mendacium ad varios pervenit, grandiàque sæpe tum Reipublicæ,, tum privatis personis damna creat.

*Eccl. 20. v. 20.* X. Sicut lapsus falsæ linguæ quasi in pavimento cadens; sic casus malorum festinanter venient.

*Prov. 6. v. 16.* XI. Sicut discordiarum Seminatores summè DEO exosi sunt, teste Salomone; ita non minùs abominabiles sunt illi, qui per mendacia societatem humanam dissolvunt.

## §. VIII.

## MOTIVA.

*Jo. 8. v. 44* I. QUia *Diaboli Filium* constituit; juxta Christi testimonium: Vos ex patre Diabolo estis, non carnis successione, ut S. Ambrosius loquitur, sed criminis; nam cùm Diabolus omnia bona à DEO habeat, mendacium tamen non ab illo accepit, sed per se excogitavit, Filiósque suos docuit, ut rectè origenes advertit. Hinc nonnemo mendacium Diaboli larvam appellavit.

II. Quia nihil adeò hominem *Christo dissimilem & ingratum facit*, quàm mendacium, utpote quòd est rectà contrarium potissimæ Christi prærogativæ ac doti, scilicet veritati.

*Apud Drexelium in Phaet. c. 36. §. 4.* III. Quia *plurimorum vitiorum est initium aut fundamentum*: nam teste S. Basilio, vix ulla est injuria, cui non mixta sint mendacia; &, ut Epænetus dixit, omnium injuriarum causâ sunt homines mendaces. Præcipuè

*Cicero l. 3. offic.* tamen ad perjuria facilis est à mendacio transitus, uti sapienter Tullius advertit, dum dixit: Qui semel à veritate deflexerit, hic non majore religione ad perjurium, quàm ad mendacium perduci solet. Quid enim interest inter perjurum & mendacem? Qui mentiri solet, pejerare consuevit.

IV. Quia *privat summâ voluptate*, quæ ex veritatis studio percipitur; de qua S. Augustinus, amplectere, ait, veritatem, si potes, & fruere illa, & delectare in Domino. Quid petis amplius, quàm ut sis beatus? & quid eo beatius, qui fruitur inconcussa, incommutabili, & excellentissimâ veritate? *S. August. l. 2. de lib. arbit.*

V. Quia *faciliùs est abstinere mendacio, quàm illud dicere*, uti idem S. Augustinus sapienter observavit dicens: Laborant homines loqui mendacium, nam veritatem totâ facilitate loquerentur. Ille enim laborat, qui fingit, quod dicit: nam qui verum vult dicere, non laborat: ipsa enim veritas sine labore loquitur. *Idem in Ps. 139.*

VI. Quia vix quidquam *Societati humanæ & fraternæ est magis contrarium*. Quàm mendacium; ut meritò Salomon dixerit: abominatio est Domino labia mendacia & vetus Jambus. *Prov. 12. v. 22.*

Nil vanitate te mentiendi turpiùs;
Odêre Divi, odêre homines mendacium.

## §. IX.

## MEDIA.

I. MEminisse, se *DEI esse Filium*; sic enim non parùm quis ad mendacium cavendum incitabitur, cùm magnos Principes ac Dominos nihil magis contristet ac offendat, quàm si advertant, se Filios habere parùm ingenuos, ac mendaces. Certè jam pridem Salomon dixit: Non decet Principem labium mentiens. Hinc Ptolomæus ab Ægypti Rege quæsitus, quâ ratione Rex veritatem in omnibus sectari posset? respondit: Si primum statueris, magnum dedecus esse hominibus mentiri, multò magis verò Regibus, qui, cùm habeant potestatem agendi, quæ velint, cur mentiantur, non habent. Quod bene observans Carolus V. Imperator, dum affirmare quid volens, non aliter quàm sub fide Viri Nobilis affirmavit, sciens nempe, quòd juxta S. Bernardum Regi simpliciter dicere, jurare est: & leve mendacium, grave perjurium reputatur. *Prov. 17. v. 7. Engelgr. in Dom. Pass. §. 2. Ibid.*

II. Meminisse, se *Christianum* esse; hinc enim sicut non parùm ad Christum amandum & imitandum, ita ad veritatis quoque, quæ præcipua ipsius virtus & dos est, studium incitabitur. Hinc tot millia Martyrum maluerunt mortem oppetere, quàm mendacio animam commaculare; Quia scilicet bene nôrant, quòd, S. Augustino teste, incomparabiliter pulchrior sit veritas Christianorum, quàm Helena Græcorum; pro illa enim fortiùs Martyres nostri, quàm pro ista mille Heroës adversus Trojanos concertârunt. *S. August. epist. 3.*

III. Meminisse, se *Hominem* esse, atque adeò sociabile animal; hinc enim iterum non modicè impelletur ad omne mendacium detestandum; utpote quod vel maximè aptum est ad convictum & societatem humanam dissolvendum. Hinc S. Paulus ad fugam mendacij persuadendam hoc potissimùm argumento est usus dicens: Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra. *Eph. 4. v. 25*

IV. Meminisse se *ingenuum* ac *liberum* esse, non quacunque, sed spirituali & vera libertate à Christo per suam passionem donatum; hinc enim non leve in ipso odium mendacij exurget, utpote quod summè dedecet ingenuos homines, uti jam olim Prisci senserunt, apud quos firmum erat axioma:

*Vet. Iamb.* Libero cuicunque summum dedecus est mendacium.

Hinc & Germani nostri dicere consuevêrunt mendacium colapho pensandum; **Auff ein Lug gehört ein Maultaschen.** Ut vel ipse rubor colapho elicitus indicet, mendacium non decere hominem ingenuum, sed erubescentiâ dignum esse.

V. Meminisse *Famæ suæ*, quam, dum sæpe quis maximè servare cupit per mendacium, negando errorem aut crimen à se commissum esse, amittit; nihil enim opertum, quod non reveletur: neque absconditum, quod non sciatur, ut Christus dixit. Hinc & antiqui dicere consuevêre. *Luc. 12. v. 2*

Diu latere non queunt mendacia.

VI. Meminisse *damni*, quod patimur per mendacium, non tantùm apud DEUM, (ejus iram in nos provocando juxta illud D. Augustini: Quisquis veritatem occultat, iram DEI super se provocat, quia magis hominem timet, quàm DEUM) sed etiam apud homines, dum scilicet efficit, ut & vera & seria loquenti fides non habeatur, id quod suo damno quidam, nomine Planus, expertus est, qui, cùm sæpe fractionem cruris simulâsset, & sic aliorum auxilium obtinuisset, tandem verè fracto crure, cùm iterum opem peteret, neminem Adjutorem habuit, sed ab omnibus hoc responsum tulit: Tollat te, qui non novit te. *S. August. apud Drex. in Phaet. c. 37. §. 1.* *Ibid. c. 36. §. 3.*

## §. IX.

## ASCETICA.

I. Quatuor ferè sunt, quæ Ascetæ circa hoc vitium specialiter observanda, aliisque inculcanda sunt. Primum est, ut benè observet discrimen inter mentiri & verum occultare; nam ut rectè S. Augustinus dixit: aliud est mentiri, aliud verum occultare. Siquidem aliud est falsum dicere, aliud verum tacere, ut si quis fortè ad istam visibilem mortem non vult hominem prodere, paratus esse debet verum occultare, non falsum dicere, ut neque prodat, neque mentiatur, ne occidat animam suam pro corpore alterius. Verum autem occultavit & Dominus, cùm discipulis nondum idoneis dixit: Multa habeo vobis dicere, sed nunc non potestis portare illa. Et Apostolus Paulus cùm ait: Non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Unde manifestum est, non esse culpandum, aliquando verum tacere, falsum autem dicere non invenitur concessum etiam perfectis. *S. August. in Ps. 5.* *Jo. 16. v. 12.* *1. Cor. 3. v. 1*

II. Secundum est, ut diligenter caveat ipse, aliósque absterreat ab errore, in quem nonnulli, etiam magni Ascetæ inciderunt, dum judicaverunt, mendacium saltem in casu magni boni procurandi, aut magni mali avertendi licitum esse. Quam doctrinam fusè refutat S. Augustinus, dum ait: Quo constituto (nempe quod mendacium omne sit peccatum) quis commovebitur illis exemplis, cùm dicitur: Quid si homo ad te confugiat, qui mendacio tuo à morte possit liberari? illa enim mors, quam stulti timent homines, qui peccare non timent, non animam, sed corpus occidit, sicut Dominus in Evangelio docet; unde præcepit ne ipsa timeatur. Os autem, quod mentitur, non corpus, sed animam occidit. His enim verbis apertissimè scriptum est. Os, quod mentitur, occidit animam. Quomodo ergo non perversissimè dicitur, ut alter corporaliter vivat, debere alterum spiritualiter mori? nam & ipsa dilectio proximi ex sua cujusque dilectione terminum accepit: Diliges, inquit, proximum, sicut teipsum. Quomodo ergo, quisquis diligit tanquam seipsum, cui ut præstet temporalem vitam, ipse amittit æternam? non est jam diligere seipsum, sed plùs, quàm seipsum. Certè quàm perniciosa sit hæc doctrina, idem sanctus paulò pòst sequentibus verbis ostendit: Ita omnis doctrina veritatis aufertur, cedens licentiosissimæ falsitati, si mendacio vel officioso alicunde penetrandi datur locus. Aut enim temporalia commoda vel propria, vel aliena, veritati præponit, quicunque mentitur, quo quid potest esse perversius? Certè injuria DEO illata gravior est omni humano malo. Quæ omnia alio argumento confirmans S. Bernardus, nullum, inquit, justum mendacium: omne mendacium in omnibus est peccatum: omne, quod à veritate discordat, iniquitas est. Si mendacium apud omnes damnatur; Si falsitas humano judicio punitur, quantò magis ante DEUM, qui est testis verborum & operum? ante quem etiam de verbo otioso unusquisque rationem redditurus est. *S. August. de mendac. c. 6.* *Ibid. c. 7.* *S. Bern. l. de grat. & libero arbitrio.*

III. Tertium est, ut benè observet, viris perfectis specialiter fugiendum esse hoc vitium; uti rectè docuit S. Gregorius, dum dixit: Mendacij omne genus perfecti viri summopere fugiunt, ut nec vita alicujus per illorum fallaciam defendatur, ne suæ animæ noceant, dum prodesse nituntur carni alienæ; quamquam hoc peccati genus facillimè credamus relaxari. Nam si quælibet culpa sequenti solet pia operatione purgari, quantò magis hoc facilè abstergitur, quod mater boni operis ipsa pietas admittit? Sed & aliam rationem affert S. Augustinus, dum ait: non enim ita peccat, qui consulendi, quomodo ille, qui nocendi voluntate mentitur; *S. Greg. l. 18. mor.* *S. Aug. in Enchirid.*

nec tantùm nocet, qui viatorem mentiendo in adversum iter mittit, quantùm is, qui viam vitæ mendacio fallente depravat. Unde alibi dixit: Perfectorum præceptum est, non mentiri, sed nec velle mentiri. *Idem l. de mend. c. 17.*

IV. Quartum est, ut sciant solvere argumenta eorum, qui mendacium licitum esse, variis exemplis conantur evincere. Qua in re facem præferens S. Augustinus, quando, inquit, nobis de Scripturis Sacris mentiendi proponuntur exempla, aut mendacia non sunt, sed putantur esse, dum non intelliguntur; aut si mendacia sunt, imitanda non sunt, quia justa esse non possunt. Unde obstetricibus his, & Rahab meretrici benefecit DEUS, non quia mentitæ, sed quia misericordes fuerunt in homines DEI. DEUS uno tempore in una causa vidit factum misericordiæ, & factum fallaciæ; bonum remuneravit, & propter hoc bonum, malum illud ignovit. Jacob, quod matre fecit authore, ut Patrē fallere videretur, si diligenter & fideliter attendatur, non est mendacium, sed mysterium. In figuris enim, quod velut mendacium dicitur, bene intellectum verum invenitur. *S. Aug. ib. c. 10.*

## §. X.

## CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occasione thematis: *Noli velle mentiri omne mendacium:* Potest natura mendacij, & varij ejus actus, de quibus supra §. 1. dictum, per comparationem cum iis, qui vitra vendunt, explicari, uti Matthias Faber conc. 6. in Dom. 8. post Pent. facit, dum ait, alios esse, qui vitra ipsi fingunt: alios, qui variis coloribus illustrant: alios, qui coempta vendunt: alios, qui mensis apponunt: alios, qui in faciem alterius projiciunt, quæ omnia postea ille in sensu morali explicat. *Eccl. 7. v. 14.*

II. Ex occasione thematis: *Opprobrium nequam in homine mendacium:* Potest ostendi, quantopere dedeceat hominem mendacium. Sive se, ut Filium DEI, & hæredem regni cælestis; sive ut Christianum; sive ut hominem ad societatem natum; sive ut ingenuum & liberum; sive ut virum; (juxta commune adagium: **Ein Mann / ein Mann / ein Wort / ein Wort**) sive ut Germanum, cui propria quodammodo & innata videtur veracitas, consideret. Quæ omnia fusiùs in §. 8. videri explicata queunt. *Eccl. 20. v. 26.*

III. Ex occasione thematis: *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium:* Possunt explicari damna, quæ per mendacium creantur. 1. Ipsi mentienti, tum per reatum peccati & pœnæ correspondentis; tum per infamiam, quam contrahit ex iterati hujus peccati consuetudine. 2. Illis, coram quibus mentitur; dum illis falsas veritates obtrudit, atque ad easdem aliis quoque communicandas occasionem præbet. 3. Reipublicæ & hominum societati, cujus potissimùm vinculum; scilicet fidelitatem, quantùm est in se, dissolvere conatur. Quæ omnia vide fusiùs apud Fabrum conc. 5. in Dom. 7. post Pent. *Ps. 5. v. 7.*

IV. Ex occasione thematis: *Vanitatem & verba mendacia longè fac à me:* Possunt offerri remedia pro hoc vitio emendando, qualia sunt. 1. *Horror & detestatio seria* hujus peccati ex consideratione turpitudinis concepta. 2. *Tarda & considerata locutio:* Sic enim longiùs aberit ab ipso etiam mendacio proferendo. 3. *Radicis sublatio:* Quæ plerumque est nimium hominibus placendi desiderium, quæ proin extirpanda erit, perpendendo, quod DEI favor omnium hominum favore sit potior, & quòd sufficiat Dominus solus sustinentibus se in via veritatis & justitiæ. 4. *Seria castigatio:* Si enim juxta commune proverbium, mendacium colapho pensandum est, ut hac ratione absterreantur homines; quidni eriā castigatio à nobis ipsis suscepta idem efficiat? *Prov. 30. v. 8.* *Eccl. 34. v. 21.*

V. Ex occasione thematis: *Filij hominum usquequò gravi corde, ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?* Possunt præstari, & refutari excusationes, quibus se defendere solent mendaciorum amatores, videlicet 1. Quòd non videatur ullum piaculum, suam aut alterius famam officioso mendacio tueri. 2. Quòd etiam honestissimi quique & justitiæ amantissimi viri interdum mentiri sunt; imò teste Eycosthene, sicut non est piscis sine spinis; ita nec homo sine mendaciis. 3. Quòd peccatum mendacij, utpote leve duntaxat, (maximè si jocosum aut officiosum sit) facilè deleri possit; non autem tam facilè reparari damnum, quod per illius omissionem incurritur. 4. Quòd cuivis ferè à variis varia mendacia obtrudantur, atque adeò licitum sit pari monetā alios solvere. Quæ omnia & plura similia argumenta facilè ex iis, quæ hactenus de mendacio dicta sunt, solvi queunt. *Ps. 4. v. 3.*

## §. XI.

## MISCELLANEA.

### *Qualitas.*

I. PLinius docet, linguam duas venas habere, & earum unā cum corde, & alterā cum cerebro connecti, ut vel hinc doceamur, in locutione linguam cum corde & cerebro consentire debere. *apud Drex. in Phaeth. c. 35. §. 1.*

II. Veteres picturi hominem mendacem, picam finxêre, à fronte albam, & à tergo nigricantem, ut per hoc significarent, mendaces in faciem, albam veritatem proponere, nigram verò falsitatem in corde occultatam gerere. *Ibid.*

III. Iidem veritatem in quadrato saxo, mendacium in globo statuebant, ut indicarent illam stabilem, hoc verò inconstans & volubile esse, & hàc ipsā suā inconstantiā & volubilitate periturum; neque enim fraudulentus inveniet lucrum, teste Salomone. *Prov. 12. v. 27.*

IV. Pli-

*Plinius in Panegyr.* IV. Plinius mendaces appellat abominandas victimas Repubblcæ tranquillitati consecrandas.

*Fab conc. 5. in Dom 7. post Pent* V. Prisci Ægyptiorum Sacerdotes Principi suo Sapphirum veritatis Symbolum in collo appendebant, ut eum monerent, quantopere veritatem amare, & mendacium odisse deberet.

*Ibid. n. 5.* VI. Veteres mendacium depinxêre typo serpentis venenum eructantis, & Sphæræ incubantis, ferreúmque diadema in capite gestantis. Sphæra ejus inconstantiam denotat, diadema ferreum ejus tyrannidem in subditos suos, quos vinculis mancipatos tenet.

*Idem conc. 6. in Dom. 8. post Pent. n. 5.* VII. Gallienus Imper. uxore conquerente, quòd Impostor gemmas vitreas pro veris obtrusisset, velut ultionem sumpturus jussit eum in theatrum produci quasi leonibus objiciendum, &, dum miser leones exspectat, caputum prosilire. Mirante verò hoc factum populo proclamari jussit: Imposturam fecit, & passus est.

*Engelgr in Dom. Pass.* VIII. Concordam oris & cordis veteres per pomum Persicum adumbrabant, hinc illud Poëtæ:

Fert folium linguæ: fert poma simillima cordi.

*Ibid.* IX. Omnis homo mendax, solus Christus verax est; unde Pilato interroganti: Quid est veritas? aptum anagramma responder: Est vir, qui adest.

*Ibid.* X. Non malè recens quidam Poëta cecinit:

Numquid in octavo mendacia plurima vulgus
Edat, an in quarto, quæris, an in folio?
In decimo sexto mentitos plurima seclo,
Suspicor Historicos quolibet in folio.

*Damnum.*

*Drexel. in Phaet c. 36. §. 1.* XI. Hebræi sapientes dicere solebant: Omnis, qui falsum testimonium dicit contra proximum suum, dignus est, ut canibus projiciatur.

*Fab. conc. 5. in Dom. 7. post Pent.* XII. Claudius Imp. jussit Pamphili cujusdam Romæ mortui (qui totâ vitâ suâ nunquam verum dixerat) cadaver insepultum canibus & volucribus objici, ejus bona fisco addici, ædes dirui, uxorem & liberos procul extra Urbem deportari.

*Ibid.* XIII. Artaxerxes militem quendam mendacem cùm deprehendisset, linguam illius tribus clavis perfodi jussit.

*Ibid.* XIV. Trajanus Imp. cùm Filio Regis Thraciæ regnum Patri justè oblatum relinquere decrevisset, postquam eum postea in mendacio deprehendit, mutavit sententiam, dixítque illi: Tanquam mendax indignus es regno, nec decet, Romam Matrem veritatis habere Filium mendacem.

## §. XII.

## A X I O M A T A.

I. INterpres animi lingua, mentiri nefas. *Vetus Iambus.*

II. Quisquis timet DEUM, abstinet mendacio. *Prisco.*

III. Nil vanitate mentiendi turpius;
Odêre Divi, odêre homines mendacium. *Vetus Iamb*

IV. Libero cuique summum dedecus est mendacium. *Idem.*

V. Nec amat DEUS, nec adjuvat mendacium. *Idem.*

VI. Implicatur, explicari dum studet mendacium.

VII. Quantò magis se ornat, tantò deformius est.

VIII. Quantò magis sese occulit, magis patet.

IX. Perlucet omne, si inspicis, mendacium.

X. Plurimus læsêre, pessum imò dedêre mendacia.

XI. Vel timet, vel egenus est, qui utitur mendacio.

Armuth und Forcht machen schlechte Leuth zu Lugnern.

XII. Vase in aureo venenum est eloquens mendacium.

XIII. Mendacium malis loco virtutis est.

XIV. Augentur ut nivis globus mendacia. *Florileg. V. mendac.*

Die Lugen seynd gleich einem Schneeballen/ welcher je mehr wachset/ je mehr er geweigt wird

XV. Mendacem memorem esse oportet.

Ein Lugner der nicht dencke der Wort/
Kumbt mit der Lug nicht leichtlich fort.

## §. XIII.

## A V T H O R E S

I. IOannes Busæus in Panario V. eodem.

II. Jeremias Drexelius in Phaëtonte. c. 35. 36. 37.

III. Jacobus Marchantius in Horto Pastorum. tr. 4. lect. 16.


IV. Philippus D'Outreman in Pædagogo Christiano. p. 1. c. 5. §. 7.

V. Matthias Faber. conc. 5. in Dom. 7. post Pent. & conc. 6. in Dom. 8. post Pentec.

VI. Henricus Engelgrave in p. 1. Lucis Evang. in Dom. Passionis.

VII. Josephus Langius in Polyanthæa V. eodem.

VIII. Antonius Dautoltius in Floribus Exemplorum. c. 4. tit. 116.



# TITVLVS XIX.

# ODIUM.

## §. I.

## QUOAD ESSENTIAM.

*Definitio.*

I.

*S. August. l. definit.* *S. Thomas 1.2. q. 29. a. 1.*



ST, juxta D. Augustinum, vetus Ira, ex pluribus causis collecta, diuturno tempore perseverans. Vel juxta S. Thomam, est dissonantia appetitus rationalis ad apprehensum ut disconveniens.

*Divisio.*

*Cajet. 1. 2. q. 29.* II. Dividitur à Cajetano & aliis in Odium *Abominationis* & Odium *Inimicitiæ*. Illud est, quo rem aliquam aversamur; hoc, quo personam abominamur, illique malum optamus. Unde Azor hæc duo Odia *Rei & Personæ* appellat,

*Actus.*

*Cass. coll. 16 c. 17. & 18.* III. Primus est, *animo solo aversari alterum*: de quo actu memoranda est Cassiani sententia dicentis: Illud verò quale est, quòd interdum patientes nos esse credimus, quia respondere contemnimus lacessiti, vel gestu, motúque irrisorio Fratrem subsannamus? Quasi verò apud DEUM verba tantummodo, & non præcipuè voluntas vocetur in culpam, & opus solum peccati, & non etiam votum ac propositum habeamus in crimine? Quid enim differt, utrum quis gladio peremerit Fratrem, an aliquâ ad mortem fraude compulerit, cùm ipsius eum dolo vel crimine constet extinctum? Et infra: Sæpe autem ficta patientia etiam acriùs ad iracundiam, quàm sermo succendit, & atrocissimas verberum transcendit injurias maligna taciturnitas: leviúsque tolerantur inimicorum vulnera, quàm irridentium subdola blandimenta.

IV. Secundus est, *odium suum verbis*, puta contumeliis aut imprecationibus malis contestari.

V. Tertius est, *ipso opere gravo alteri malum, odio impellente, machinari*, quo modo Cain Abelem, & Fratres Josephi hunc suum Fraterculum oderunt.

VI. Quartus est, *optare, ut alij quoque inimicis suis malum inferant.*

VII, Quintus est, *gaudere, si inimicis malum aliquod aut infortuniũ eveniat*, de quo actu locutus est Job, quando dixit: Si gavisus sum ad ruinam ejus, qui me oderat: & exultavi, quòd invenisset eum malum. *Iob. 3. v. 29.*

## §. II.

## EX S. SCRIPTURA.

*Qualitas.*

I. QUi operit odium fraudulenter, revelabitur malitia ejus in concilio. *Prov. 26. v. 26.*

II. Qui odit Fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit, quò eat, quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus. *1. Io. 2. v. 11*

III. Si quis dixerit, quoniam diligo DEUM, & Fratrem suum oderit, mendax est. *1. Io. 4. v. 20.*

*Fuga.*

IV. Non oderis Fratrem in corde tuo, sed publicè argue eum, ne habeas super illo peccatum. *Lev. 19. v. 17.*

V. Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia Frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari Fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. *Matt. 5. v. 24.*

*Damnum.*

VI. Odium suscitat rixas, & universa delicta operit caritas. *Prov. 10. v. 12.*

VII. Omnis, qui odit Fratrem suum, homicida est. Et scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. *1. Io. 3. v. 10.*

## §. III.

## EX SS. PATRIBUS.

*Qualitas.*

I. QUemadmodum omnium virtutum excellentissima est caritas, ita universorum vitiorum gravissimum est, odisse proximum. Nam qui Fratrem suum odit, homicida est, sicut ait Apostolus. Qui odit Fratrem suum, DEUM ipsum odit. *S. Eph. in interr. to. 1.*

II. Non est hoc spectandum, ut non habeamus Inimicos, sed ne justè & cum causa, & ut, licet millies odio habeamur, non habeamus odio, neque aversemur. *S. Chrys. in Ps. 7.*

III. Qui scit, se vel unum hominem odio habere, nescio, si ad altare Domini possit securus accedere, cùm præcipuè Joannes Evangelista terribiliter clamet, & dicat. Qui Fratrem suum odit, homicida est. Nam vestrum est judicare, utrum homicida, antequam pœnitentiam agat, præsumere debet Evcharistiam accipere. *S. August. S. 1. de temp.*

IV. Hæc est pugna periculosa, & hæc gloriosa victoria, qui poterit odisse, quod amat; & amare, quod odit. *S. Chrys. sup. Matt.*

V. In comparatione odij ita festuca est; sed festucam si nutrias trabs erit: si evellas & projicias, nihil erit. *S. Aug. in serm.*

VI. Gra-

*Cassiod. in Ps. 54.* VI. Gravissimum Inimicitiæ genus est, corde esse adversarium, & linguâ simulare devotum.

### *Damnum.*

VII. Irascimini, inquit David, & nolite peccare. Hoc quid velit intelligi, pleniùs Apostolus interpretatur: Sol non occidat super iracundiam vestram. Quid agemus nos in die judicij, super quorum iram, non unius diei, sed tantorum annorum sol testis occubuit? *S. Hier. ep. 36.*

VIII. Qui invidet vel odit, non alium priùs, quàm seipsum occidit. Qui exultat in adversis proximi, & affligitur in prosperis ejus, alieno proximum se petit gladio. *S. Ambrof. prec. 2. ad miss.*

IX. Vitam animæ quælibet culpa polluit, servatis verò contra proximum dolor occidit. Menti namque ut gladius infigitur, & mucrone illius ipsa viscerum occulta perfodiuntur. *S. Greg. l. 10. mor.*

## §. IV.

## EXEMPLA.

### *Qualitas.*

I. Esau semper oderat Jacob pro benedictione, quâ benedixerat ei Pater, dixitq; in corde suo: Venient dies luctus Patris mei, & occidam Jacob Fratrem meum. *Gen. 27. v. 41.*

II. Fratres Joseph videntes, quòd à Patre plùs cunctis Filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui. *Gen. 37. v. 4.*

III. Ægyptij Filios Israël summopere oderunt, & affluxerunt illudentes, atque ad amaritudinem perduxerunt vitâ eorum operibus duris luti & lateris, omníque famulatu, quo in terræ operibus premebantur. *Exod. 1. v. 12.*

### *Fuga.*

IV. David, quantoperè hoc odium fugerit, testatur ipse dicens: Locuti sunt adversum me linguâ dolosâ, & sermonibus odij circumdederunt me, & expugnaverunt me gratis. Pro eo, ut me diligerent, detrahebant mihi, ego autem orabam. Unde admirans S. Bernardus exclamat: O verè hominem secundùm cor DEI, qui se ulciscenti potiùs, quàm exprobranti succensendum putavit, quæstum existimans maledicta: at ille intendebat, quid in occulto ageret DEUS. *Ps. 108. v. 4.* *S. Bern. S. 34. in Cant.*

V. Job quoque de seipso confitetur, se in ruina Inimici gavisum non fuisse, nec exultâsse, quando malum illi occurrit. *Job. 31. v. 29.*

VI. Abbas Agathon dicebat de se: Secundùm voluntatem meam nunquam dormivi, retinens in corde meo adversus quemquam dolores; neque dimisi alium dormire habentem adversum me aliquid. *Vit. PP. l. 5. libell. 17. n. 6.*

VII. Joseph Patriarcha non solùm non odit Fratres suos, à quibus venditus est, sed osculatus est eos, & ploravit super singulos. Odium Fratrum, inquit S. Augustinus, lacrymis caritatis abluebat. Non cogitavit addictam pretio germanitatem, sed pro malis bona restituens, jam tunc necdum data Apostolica præcepta complevit. *Gen. 45. v. 15.*

### *Damnum.*

VIII. Amnon sororem suam Thamar post oppressionem, exosam habuit odio magno nimis, ita ut majus esset odium, quo oderat eam, amore, quo antè dilexerat; unde & ejici eam extra domum jussit. Sed & ipse simile odium ab Absalone, ipsamque denique mortem ex justa Numinis vindictâ tulit. *2. Reg. 13. v. 15.*

IX. Aman cùm ex odio erga Mardochæum pro ipso jussisset patibulum erigi, intentúmque toti Genti Judaicæ machinatus esset, conversâ fortunâ, ipse primus cum Familia sua in eo pependit, & interiit. *Esther. c. 8.*

X. Burgensis quidam cùm odium erga quosdam usque ad mortem fovisset, post mortem illius, dum in templo preces pro eo persolvuntur, Christus crucifixus manus suas retrahens auribúsque inserens clarè dixit: Non peperci, nec parcam. *Spec. Exempl. V. demittere ex. 4.*

XI. Mulier quædam cùm odium semel conceptum nunquam ampliùs dimittere consuêsset, in ultimo morbo, dum ei Sacerdos Viaticum porrigere voluit, avertit se ad parietem, & dixit: Sicut me averti ab hominibus, sic DEUS avertet se à me, nec unquam misericorditer aspiciet. Quibus dictis paulò post expiravit. *Ibid. ex. 5.*

## §. V.

## EXEMPLA PROFANA.

### *Qualitas.*

I. Timon Atheniensis usque adeò odium erga omnes homines imbiberat, ut ab omni eorum consortio se abstrahens, semper solus vivere consueverit. Quæsitus autem, quæ esset causa tanti odij? respondit: Improbos odi, quia improbi sunt: reliquos autem, quia improbos non oderunt. *Sabell. l. 2. c. 2. apud Jos. Lang. in Polyant.*

II. Hannibal adhuc puer interrogatus, quando odium inter Carthaginem & Romam finiendum esset? pedem solo infixit, & suscitato pulvere, tunc finiendum dixit, quando altera pars in pulverem redacta fuerit. *Plutarch. in Vita.*

III. Vatinianus adeò Romanos oderat, ut in proverbium abjerit illius odium, idemque esset Vatinianum ac Summum odium. *Textor in Officin. l. 5. c. 16.*

### *Fuga.*

IV. Theodoricus Rex Venantium Inimicum summis honoribus cùm auxisset, rationem hujus teddens dixit: Unde sic factum est, ut ei libenter daremus præmium, qui nostrum sic juvit inimicum, quia casti patrocinante contrario, tantò nobis reddebatur acceptus, quantò tunc cognosci poterat indevotus, id est, inimicus. *Cassiod. l. 2. var ep. 16.*

V. Cùm Lucius Cinna Augusto Imperatori insidias parâsset, Livia Conjux Augusti eidem suasit, clementiâ retraheret ab odio, exemplo Medici; qui extraordinaria media adhibet, quando ordinaria non prosunt. Quare Augustus consilium uxoris secutus, Cinnæ ad se *Senec. de Clem. l. 9.*

vocato dixit: Cinna, iterum tibi vitam do, priùs hosti, nunc insidiatori ac Parricidæ, eique consulatum obtulit, perpetuóque amicissimum habuit, ac solum hæredem reliquit.

*Ælian.l.12* VI. Phocion Imperator licet innocentissimus, cùm Atheniensium jussu lictore ei poculum venenatum porrigente, propinqui rogâssent, quid Filio mandaret? hoc unum, inquit, ut obliviscatur potùs hujus, quem nunc ab Atheniensibus oblatum bibo.

## §. VI.
## SIMILITUDINES.

### *Qualitas.*

*Plinius l.10.c.74.* I. Sicut inter animantes quædam sunt occulta dissidia, licet nulla appareat dissidiis ratio, ut inter araneas & serpentes, formicas & sorices, trochilum & aquilam; ita sunt, qui certam gentem aut homines oderunt, cùm nesciant, quare oderint.

*Erasmus in simil.* II. Sicut carboni semel exstincto, suffocatóq; si denuo flagret, major est vis; ita semel sopitum odium, si rursum exacandescat, acrius est.

*Idem.* III. Sicut ij, qui ex balneo calent, vehementiùs frigescunt; ita acriùs se oderunt, qui priùs fuerunt amici.

*Idem in apopht.* IV. Sicut flamma alacris, fumus verò intolerabilis est; ita sæpe tolerabilior est manifesta injuria, quàm occultum odium.

*Ibid.* V. Sicut facile est, ignem injicere, sed difficile injectum extinguere; ita longè faciliùs est, inimicitias excitare, quàm componere.

*Plutarch. in moral.* VI. Sicut vultures ad extincta corpora odore feruntur, sana non sentiunt; ita, qui odio habent alios, ad delicta aliorum accurrunt, ac carpunt; ad rectè facta autem sunt stupidi.

*Thriverus apopht. 178* VII. Sicut ea, quæ rupta sunt, eò difficiliùs coalescunt, quò magis priùs conjuncta sunt; sic amicorum & propinquorum odia tantò sunt vehementiora quantò arctiori priùs amicitiæ aut necessitudinis vinculo fuerunt constricti.

### *Fuga.*

*S. Chrysost. l. de Spectacul.* VIII. Sicut si infles in scintillam, excitas incendium; contrà si inspuas, extinguis; & utrumque tibi in manu est; sic odia inflatis & acerbis sermonibus magis excitantur; mansuetis sopiuntur juxta illud Salomonis; responsio

*Prov. 15. v. 1.* mollis frangit iram: Sermo durus suscitat furorem.

*Plutarch. in moral.* IX. Sicut cupimus cloacas quàm longissimè ab ædibus nostris abesse; ita odia velut vitiorum purgamenta fœtida, quàm longè possumus, à nobis removere oportet.

*S. Greg. in mor.* X. Sicut Rex in imagine sua honoratur; sic DEUS in homine amatur, vel odio habetur.

### *Damnum.*

*S. August. de recta conversat. Cathol.* XI. Sicut nullum in vulnere valet medicamentum, si intùs sit ferrum; ita nihil proficit illius oratio, in cujus pectore mortiferum versatur odium.

*Langius in Polyant. V. Odium.* XII. Sicut ex Ellychnio disflato, & nondum extincto nascitur plurimus fœtor, & aliquando etiam maximum incendium; ita ex odiis dissimulatis gravissimus sæpe oritur tumultus.

XIII. Sicut si flamma in domo exorta foràs non prodit, perniciosior est, quia nemine prohibente grassatur; ita odium occultum gravissimè nocet, quia aliorum auxilio sopiri & corrigi non potest. *Marcb. tab. Sac. tr. 4. lect. 4.*

## §. VII.
## MOTIVA.

I. *Quia DEO summè injuriosum est:* Ut qui ex toto corde amari se præcepit, & meritò, quia dignus est; per odium autem proximi tanquam imaginis suæ contemnitur, & odio habetur.

II. *Quia homine Christiano indignum est,* utpote cui à Christo specialiter mandatum est, ut proximum diligere, & ex hoc iudicio verus Discipulus ac Christianus dici studeat. Hanc jam olim de primis Christianis cum admiratione Ethnici dicebant: En quomodo amant se!

III. *Quia ipsi naturali inclinationi contrarium est hoc vitium:* hæc enim impellit nos ad proximos nostros velut Fratres & membra diligendos, eujus contrarium, odio perficitur.

IV. *Quia omnes labores nostros & opera infructuosos facit:* Si enim orationem repellit DEUS, quamdiu odium fovetur, quantò magis de aliis operibus id sentiendum erit?

V. Quia, teste S. Basilio, sicut is, qui caritatem habet, is DEUM habet; sic qui odium habet, *Diabolum nutrit.*

VI. Quia in manifestum beatitudinis amittendæ *periculum præcipitat;* cùm DEUS lege talionis uti erga nos non dimittimus debita, ita nec ipse dimissurus sit, atque adeò haud dubiè in infernum detrusurus sit.

## §. VIII.
## MEDIA.

I. *Christum in proximo aspicere,* & quasi dicentem sibi imaginari: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis: Ita S. Bernardus suasit dicens: Proinde, dilectissimi, pacem habete ad vos, & nolite lædere invicem, non facto, non verbo, non signo qualicunque; sic enim peccantes, in Christum peccatis, qui ait: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. *S. Bern. S. 29. in Cant.* *Matt. 25. v. 40.*

II. *Materiam odij subducere:* Uti Plutarchus suasit: Subduc materiam, & extinguetur ignis; subduc occasionem, conquiescet odium sive invidia. *Plutarch. apud Lang. in Polyant.*

III. *Sua peccata considerare;* sic enim odium quisque in se convertet. Ita S. Augustinus monuit his verbis: O quicunque ille es, attendis, quid tibi fecerit homo, & non consideras, quid tu feceris DEO cùm enim tu multùm graviora in DEUM peccata commiseris, quare non dimittis homini parùm, ut tibi DEUS dignetur remittere multùm? *S. Aug. S. 5. de S. Steph.*

IV. *Charismata meliora æmulari:* Juxta consilium S. Petri dicentis: Et quis est, qui noceat vobis, si boni æmulatores fueritis? *1. Petr. 3. v. 13.*

V. Du-

*Gen. 50. v. 19.* V. *Duplicem Personam intueri in iis, qui nos injuria affecisse videntur*: unam, quâ nobis malè volunt propria voluntate; alteram, quâ velut instrumentum à DEO assumptum id exequuntur, quod DEUS per providentiam suam ad majus nostrum bonum fieri decrevit; quo modo Joseph Fratres suos aspexit, dum dixit: Nolite timere: num DEI possumus resistere voluntati? vos cogitâstis de me malum (propriâ voluntate inferendũ) sed DEUS vertit illud in bonum (per suam singularem providentiam.

## §. IX.

## ASCETICA.

I. QUatuor præcipuè sunt, quæ ab Asceta specialiter circa hoc vitium notanda sunt. Primum est, ut bene addiscat, & distinguat, quid in Proximo sit odio habendum. *Cassiod. super psalm.* Qua in re Cassiodorus facem præfert dicens: Perfectum odium est, homines diligere, & eorum vitia semper horrere; nam in illa parte, quâ creatura DEI sunt, amandos esse non dubium est: in illa iniquitate horrendi sunt, in qua se polluerunt.

II. Alterum est, ut sciat, quomodo se defendere debeat contra activum odium, nimirum observando doctrinam ultimam priori §. datam; sic enim apprehensionem injuriæ vel offensæ, ex qua omne odium nascitur, facilè tollet, & cum ea tanquam radice ipsum etiam odii vitium exterminabit.

*S. Aug. ho. 40. ex 50.* III. Quintum est, ut sciat, quomodo se gerere debeat, si ipse fortè causam odii dedit alteri, videlicet si æqualis est, sequendo consilium S. Augustini dicentis: Ipsos inprimis admoneo, quicunque habetis discordiam cum Fratribus vestris, & revocatis ad vos, & consideratis vos, & justum judicium fertis in vobis intus in cordibus vestris, & invenietis vos non debuisse facere, quod fecistis, non debuistis dicere, quod dixistis. Petite veniam Fratres à Fratibus vestris, facite Fratribus, quod ait Apostolus: Donantes vobis ipsis, sicut & DEUS in Christo donavit vobis. Nolite erubescere veniam petere. *Ibid.* Si autem Superior sit, qui offendit, aliud ejusdem Sancti consilium audiat, dum ait: Ante oculos DEI pœniteat eum, ante oculos DEI puniat cor suum, & si non potest dicere servo suo, quia non oportet, da mihi veniam, blandè illum alloquatur; blanda enim appellatio veniæ est postulatio.

## §. X.

## CONCEPTUS PRÆDICABILES.

*Lev. 19. v. 17.* I. EX occasione thematis: *Non oderis Fratrem tuum in corde tuo*: explicari possunt causæ, cur Proximus odio non sit habendus, nimirum 1. quia *imago DEI* est, atque adeò, qui ipsum odit, DEUM odisse censendus est. 2. Quia *instrumentum DEI* est paternè nos corrigere volentis. 3. Quia *phrenesi* interiore animi conceptus est, atque adeò commiseratione potiùs, quàm odio dignus est 4. Quia *Membrum* est ejusdem corporis, cujus nos membrum sumus, atque adeò iterum amorem potiùs, quàm odium meretur, cùm nemo carnem suam odio habeat.

II. Ex occasione thematis: *Quâ mensura mensi fueritis, eâdem remetietur vobis*: ostendantur damna, quæ incurruntur per odium, scilicet par aut majus odium 1. apud *DEUM*, qui, sicut diligentes se diligit, ita se odio habentes in sua imagine pariter odisse solet. 2. apud *Proximos*: quia sicut hi diligi optant ab aliis, ita vel maximè detestantur eos, qui ejusmodi dilectionis officium prætermittunt, atque ad odium proni sunt. 3. apud *seipsos*: cùm enim odium & rancor omnem cordi lætitiam surripiant, necessariò fieri solet, ut ejusmodi homines ob internam tristitiam & melancholiam etiam sibi ipsis odiosi & graves sint, atque adeò infernum quendam experiri incipiant.

III. Ex occasione thematis: *Omnis, qui odit Fratrem suum, homicida est*: ostendi potest, quàm rectè S. Joannes Odium homicidio comparârit. 1. quia, quantùm est ex se, is, qui odit, occidit DEUM, quatenus est causa Passionis Christi. 2. Quia occidit Proximum, imprecando ei, machinando, aut etiam actu inferendo mortem vel corporalem, vel certè spiritualem peccati aut infamiæ. 3. Quia seipsum occidit, tum abbreviando vitam corporis per tristitiam & rumorem; tum animam occidendo per tristitiam & rancorem; tum animam occidendo per peccatum ipsum odii.

Vide plures conceptus in titulis Ira & dilectio inimici.

## §. XI.

## MISCELLANEA.

### *Qualitas.*

I. REctè dixit Seneca: Non est prudentis, errantes odisse; alioqui ipse sibi odio erit. *Seneca de ira.*

II. Fabius Maximus dicebat, absurdum sibi videri, si eùm equos & canes venaticos familiaritate, cibóque cicuremus potiùs, quàm catenis ac verberibus, homines feroces animo, non humanitate ac beneficiis nobis conciliemus, sed asperiores in illos simus, quàm agricolæ sunt in caprificos ac malos silvestres, & oleastros, qui has non protinus excidunt, sed incisione docent mitescere. *Plutarch. in apopht.*

III. Sigismundus Imp. cùm ei Laurentius Ungariæ Palatinus diceret, impudenter eum facere, quòd victos hostes in amicos reciperet, respondit: Tibi quidem videtur utile inimicum occidere, quia mortuus bellum non excitat; atqui ego inimicum occido, dum parco; & amicum facio, dum extollo. *Æneas Sylvius l. 3. comm.*

IV. Cùm duobus inimicis in navi, & quidem altero in puppi, altero in prora sedentibus, gravis tempestas interitum minaretur, interrogavit *Langius in polyanth. V. Inimicit.*

gavitis, qui in puppi sedebat, quâ parte Navarchus putaret navem priùs hauriendam; cúmque intellexisset, in prora citiùs mergendam, jam, inquit, mihi mors mea multò levior evadet, quando inimicum meũ priùs morientẽ videbo.

*Plutarch. l. c.* V. Ariston cùm ex quodam audivisset, amicis bene, inimicis malè faciendum, quin imò, respondit, præstantius est amicis benefacere, & ex inimicis etiam reddere amicos.

*Damnum.*

VI. Plutarchus dicere solebat, inimicos venenis similes esse, quæ alexipharmaca constituunt; nam & ipsi, licet mali, aliena mala tollunt, & corrigunt.

*Boëth. 63. de cons.* VII. Boëthius judicavit, nullam pestem esse efficaciorẽ ad nocendũ, quàm familiarẽ inimicũ.

VIII. Effectus odii pulchrè descripsit Seneca sequentibus.

*Seneca in Herc. furent.*
Si æterna semper odia mortales agant,
Nec cœptus unquam cedat ex animis furor,
Sed arma felix teneat, infelix paret,
Nihil relinquent bella, tum vastis ager
Squalebit arvis, subditâ tectis face
Altus sepultas obruet Gentes cinis.

§. XII.

AXIOMATA.

I. Figulus Figulum odit,
Ein Bettler hasset den andern.

II. Ex grandi amicitia nascuntur grandia odia.
Auß gutem Wein wird guter Essig.
Auß grosser Lieb / grosser Haß.

III. Odia oculta pariunt incommoda multa.
Heimlicher Haß / bitters Faß.

IV. Inclusa odia pariunt grandes tempestates.
Auff dicke Wolcken folgt groß Wetter.

V. Oderint, dum metuant.
Der Haß sehr wenig schaden kan/
Wann Forcht bey ihm stehe auff dem Plan.

VI. Odia inveterata rarò sanata.
Alte Füchs/ und alter Haß
Seyn schwer zu zämen.

§. XIII.

AUTHORES.

I. JOannes Busæus in Panario V. eodem.

II. Jacobus Marchantius in tuba Sacerd. tr. 4. lect. 4.

III. Josephus Langius in Polyanthæa V. eodem.

IV. Thomas Stapletonus tex. 2. in Dom. 5. post Pent.

# *TITVLVS XX.*

# OTIUM.

## §. I.

## QUOAD ESSENTIAM.

*Definitio.*

I.



Est Vacatio seu cessatio ab utili negotio; hinc negotium, quod est oppositum otio, sic dictum est, quia negat otium; & penitus excludit.

*Divisio.*

II. Dividi potest in *Physicum & Morale*; seu *Actuale & Interpretativum*. Illud est, quando aliquis necessariâ corporis quiete acceptâ ab omni negotio corporali vel spirituali abstinet, uti faciebant illi, quos Christus in Evangelio

*Matt. 20. v. 6.* allocutus est dicens: Quid hîc statis totâ die otiosi? Istud est quando quis varia quidem negotia suscipit, sed inutilia & nociva; quod

*Staplet. text. 2. in Dom. Sept.* Stapletonus aptâ similitudine declarat, dum ait: Sicut pueri in luteis casulis erigendis occupati, aut in arundine equitantes, occupatissimi sibi videntur, cùm tamen nostro judicio non nisi nugas tractent; Sic omnes occupationes terrenæ, in quibus vel DEI gloria vel salus Proximi, vel nostra non quæritur, etsi nobis seria ac gravis videatur, DEO tamen & Angelis, & Sapienti cuique nugæ & inane otium videtur. Hinc Christus Marthæ dixit: Martha, Martha sollicita es & turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium, MARIA optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea; dum scilicet solum divinæ gloriæ & salutis suæ negotium curandum suscepit.

*Actus.*

III. Primus est, *somno plus temporis tribuere*, quàm recta ratio postulet, idque temporis duntaxat fallendi gratiâ.

IV. Secundus est *otiosis & inutilibus cogitationibus se occupare*; uti fecerunt illi, de quibus Salomon ait: Solummodo hoc inveni, quòd fecerit DEUS hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus. *Eccl. 7. v. 30.*

V. Tertius est, *otiosis & inutilibus verbis tempus terere*; de quibus Christus in Evangelio dixit: Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. *Matth. 12. v. 36.*

VI. Quartus est, *operibus inutilibus se occupare*: quemadmodum faciunt illi, qui non nisi honores, divitias, ac voluptates inordinatè sectantur, atque adeò experientur olim, quod David dixit: Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum (& voluptatum ac honorum) in manibus suis. *Ps. 75. v. 6.*

VII. Quintus est, *tempus malè agendo consumere*: ut omnes Peccatores, maximè consuetudinarii, faciunt. Unde rectè concludit Seneca, totam ferè Hominum vitam otiosã esse, dum ait: Si volueris attendere, magna vitæ pars elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus. *Senec. ep. 1. ad Lucil.*

## §. II.

## EX S. SCRIPTURA.

### *Qualitas.*

*Prov. 12. v. 11.* I. QUi operatur terram suam, satiabitur panibus: qui autem sectatur otium, stultissimus est.

### *Fuga.*

*Eccl. 7. v. 16.* II. Non oderis laboriosa opera, & rusticationem creatam ab Altissimo.

*Eccl. 14. v. 14.* III. Non defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat.

*Eph. 5. v. 15.* IV. Videte, Fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.

*1. Thess. 4. v. 11.* V. Rogamus vos, Fratres, ut operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis.

*2. Thess. 3. v. 6.* VI. Denunciamus vobis, Fratres in nomine Domini nostri JESU Christi, ut subtrahatis vos ab omni Fratre ambulante inordinatè, & non secundùm traditionem, quam acceperunt à nobis.

### *Damnum.*

*Eccl. 40. v. 32.* VII. Desideria occidunt pigrum; noluerunt enim manus ejus quidquam operari: tota die concupiscit & desiderat.

*Eccl. 33. v. 28.* VIII. Servo malevolo tortura & compedes; mitte illam in operationem, ne vacet; multam enim malitiam docuit otiositas:

*Prov. 28. v. 19.* IX. Qui operatur terram, satiabitur panibus: qui sectatur otium, replebitur egestate.

*Matt. 7. v. 13.* X. Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & Filiarum ejus.

*Prov. 12. v. 30.* XI. per agrum pigri hominis transivi, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleverant urticæ, & operuerant superficiem ejus spinæ, & maceria lapidum destructa erat.

*Prov. 10. v. 3.* XII. Qui congregat in messe, Filius sapiens est: qui autem stertit in æstate, Filius confusionis.

*Ib. v. 4.* XIII. Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium divitias parat.

## §. III.

## EX SS. PATRIBUS.

### *Qualitas.*

*S. August. l. 22. c. 22.* I. QUid est, quòd cum labore meminimus, cum labore obliviscimur, cum labore discimus, cum labore nescimus, cum labore strenui, cum labore inertes sumus? nónne hinc apparet, in quid velut pondere suo proclivis & prona sit vitiosa natura, & quanta ope, ut hinc liberetur, indigeat?

*S. Chrysost. in hom. 18. in ep. ad Ephes.* II. Nihil boni facere, nihil aliud est, quàm facere aliquid mali. Exempli causa: Si Servum habes, non rapacem, non ebriosum, non contumacem, sed sobrium, moderatum, vitii omnis expertem, idem tamen si totos dies domi sedeat otiosus, omittátque ea, quæ ad munus suum attineant, nónne graviter vapulabit? atqui nihil mali fecit; sed satis maleficii est, munus suum officiúmque neglexisse. Si manus ita affecta sit, ut non linguam illa quidem præcindat, non oculos eruat, nihil denique detrimenti afferat, sed desidiosa cesset, nihil reliqua corpori inserviat, quis non istiusmodi manum inutilem, & ut paralyticam rescindendam potiùs, quàm retinendam putat?

III. DEUS posuit hominem ad laborandum, artúsque ejus ad hoc effinxit; ideóque otiosus ab ordine suo, & creatione deficit. *Idem in 2. ad Thess. c. 3.*

IV. Non otiosis aut dormientibus provenit regnum cœlorum, non otio & desidiâ torpentibus æterna beatitudo ingeritur. *S. Prosper. l. de con. & temp.*

### *Fuga.*

V. Quomodo non odio prosequendum otium, quod formicâ & ape pejorem efficit hominem, qui utique initio conditionis suæ positus est in Paradiso, ut operaretur, & custodiret eum? Primum igitur & maximè proprium humanæ conditioni studium est, ut operetur, ita ut iners otium sit propemodum præter naturam hominis, id quod asserit, se Dominus odisse. *S. Basil. in c. 1. Is.*

VI. Nulla sine labore virtus, quia labor processus virtutis est. *S. Ambros. l. 2. de Cain. c. 2.*

VII. Facito aliquid operis, ut te semper Diabolus inveniat occupatum. Si Apostoli habentes potestatem de Evangelio vivendi, laborabant manibus suis, ne quem gravarent, & aliis tribuebant refrigeria, quorum pro spiritualibus debebant metere carnalia, cur tu in usus tuos cessura non præpares? *S. Hier. ep. 4.*

### *Damnum.*

VIII. Otium malitię pars est, imò verò non pars, sed causa & mala radix. Omnem quippe malitiam docuit otium. *S. Chrys. ho. 16.*

IX. Per hanc (otiositatem) accendimur frequenter ad luxuriam, per hanc animamur ad superbiam, per hanc ducimur ad mundi gloriam, per hanc tentamur delicatè pasti, per hanc suffocamur pretiosè vestiti, per hanc ad superfluam dormitionem trahimur, per hanc ad verba secularia ducimur. Nunquam quis civis cælorum erit, si otiositatem amaverit. *S. Aug. s. 16.*

X. Mens otiosi nihil aliud cogitare novit, quàm de escis & ventre, donec inventa quandoque sodalitate cujusdam viri aut feminæ æquali tepore torpentis, rebus eorum ac necessitatibus involvatur, & ita paulatim reddatur noxiis occupationibus irretitus, ut tanquam serpentinis spiris obstrictus, nunquam deinceps ad perfectionem Professionis suæ se valeat enodare. *Cassian. l. 10. inst. c. 6.*

XI. Cùm arguantur otiositatis ipsi etiam, quos nemo conduxit; qui jam conducti sunt si otiosi inventi fuerint, quid merentur? fides quippe sine operibus mortua est. *S. Bern. s. 8. in Purif. B. V.*

XII. Omnium tentationum & cogitationum malarum colluvies est otium, summa mentis malitia, malorum omnium sentina, mors animæ. *Idem s. ad PP. de mont.*

XIII.

*Quidam apud Engelgr. to. 2. in Dom. Sept. §. 1.*

XIII. Otium est naturæ pudor, sentina Familiæ, hostis Artium, Magister ignorantiæ, Pater inopiæ, curarum prodromus, memoriæ situs, nox ingenii, pestis voluntatis, morborum fomes, leno pudicitiæ, virtutis exilium, vitiorum hospitium, Angelorum labor, Dœmonũ præsidium, animæ proditor, terræ probrum, cæli dolor, Numinis odium, Hominis vivi sepulchrum, mortui barathrum.

*S. Bern. l. 1. de consid.*

XIV. Otio velut januâ utitur Dœmon, ut illicitas cogitationum illecebras etiam in purissimas mentes instillet.

*S. Chrys. ho. 35. in acta Apost.*

XV. Quis utilior est, is, qui in deliciis est, an qui exercetur? quæ navis, ea, quæ navigat, vel ea, quæ in litore manet? quæ aqua, ea, quæ fluit, vel quæ stat? quod ferrum, an quod movetur, vel quo nemo utitur? nam illud quidem splendet, ac argento simile est, hoc autem rubigine consumitur, & ubique inutile est. Tale quid fit etiam in otiosa anima; rubigo enim quædam apprehendit illam, & consumit splendorem, ac alia omnia.

## §. IV.

## EXEMPLA.

### *Qualitas.*

*Engelgr. in Dom. Sept. §. 2.*

I. GAndavi cùm plures Senatores ante portam domûs senatoriæ sederent, & Mendicus quidam asserens, se morbum occultum, quem prodere pudor vetaret, habere, eleemosynam petiisset, omnésque dedissent, quidam illorum Famulum suum post illum misit, percontaturum, quis esset tandem morbus ille, quo laboraret? cui Mendicus, cùm omnia membra sana & robusta apparerent, confessus est tandem, morbum pessimum, quo tantopere singula sua membra affligantur, pigritiam & otium esse.

### *Fuga.*

*2. Thessal. 3. v. 7.*

II. S. Paulus de seipso ad Thessalonicenses scripsit: Scitis, quoniam non inquieti fuimus inter vos, neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore & fatigatione die ac nocte operantes, ne quem vestrum gravaremus.

*S. Hier. ep. 4.*

III. S. Hieronymus de Ægyptiorum Monasteriis testatur, quod nullum absque operis labore suscipiant, non tam propter victûs necessitatem, quàm propter animæ salutem, ne mens perniciosis cogitationibus vagetur.

*Cass. l. 10. inst. c. 24.*

IV. Abbas Paulus singulis annis folia palmarum intra annum collecta supposito igne cremabat, in tantum probans, sine opere manuum, nec in loco posse Monachum perdurare, nec ad perfectionis culmen aliquando conscendere, ut, cùm hoc fieri nequaquam necessitas victûs exigeret, pro sola purgatione cordis, & cogitationum soliditate, ac perseverantia cellæ, vel acediæ ipsius victoria & expurgatione perficeret.

*S. Bonav. in ejus vita.*

V. S. Franciscus & suâ ipse manu sæpe laborabat, & otiosum quendam, laborísque fugitantem, Fratrem Muscam appellavit, atque ab ordine suo removit.

*Surius 20. Aug.*

VI. S. Bernardus, cùm alios suos Fratres diligenter in labore corporali exercendos suscepisset, ne se quidem excipi voluit; & si quidem communem laborem sustinere non valebat, alio sibi commensurato labore compensabat.

### *Damnum.*

*2. Reg. 11. v. 4.*

VII. David, quamdiu se exercitavit in militia, non insultavit ei luxuria, sed postquam in domo otiosus remansit, laboravit adulterio, & homicidium commisit, ut loquitur S. Augustinus.

*S. Aug. s. 16. ad Fr.*

*Iud. 16. v. 21.*

VIII. Samson, dum cum Philisthæis pugnavit, non potuit capi ab hostibus, sed postquam dormivit in sinu Dalilæ, & otiosè cum ea remansit, mox capitur, & excæcatur ab hostibus.

*3. Reg. 11. v. 4.*

IX. Salomon, quamdiu occupatus erat in ædificatione templi, non sensit luxuriam, sed mox recedens ab opere persensit insultum luxuriæ, & deficiens feminâ instigante adoravit in thalamo vitulum aureum. Unde meritò concludit idem S. Augustinus: Vigilate itaque, Fratres mei, & nolite deficere; quia nec sanctiores Davide, nec fortiores Samsone, nec sapientiores Salomone vos esse cognosco.

*Salutius p. 1. Spec. c. 17.*

X. Quidam Patrum cùm Dœmonem è Fratris cujusdam cella modò ingredientem, modò egredientem vidisset, & ex Fratre quæsivisset, quid ageret? deprehendit, tum ingressum esse Dœmonem, quando otiosus fuerat; iterúmque exiisse, quando laboribus honestis & utilibus sese occupabat.

Vide plura tit. Acedia. §. 5.

## §. V.

## EXEMPLA DOMESTICA.

*Maff. l. 3. c. 6.*

I. S. Ignatius cùm duos, trésve rei familiaris Adjutores ad januam alieno tempore conversantes aspexisset, illico jussit acervum lapidum in proximo situm, in summam ædium contignationem sine cunctatione transferre; cùmque post tres menses iterum confabulantes reperisset, eundem acervum in priorem locum referre eos jussit, simúlque admonuit, nihil in DEI servitio periculosiùs esse, quàm otium. Hinc etiam in regulis præscripsit, ut omnes, quamdiu sani sunt, semper occupati esse studeant, ne otium malorum omnium origo domi nostræ locum habeat.

*P. 3 constit. c. 1. §. 6.*

*Annua 1603. Colleg. Cracov. f. 371.*

II. Paulus Vergius tam sedulò labori vacavit, ut varias quotidie laborandi rationes excogitaverit, dicere solitus, quò quis diutiùs in Religione vixisset, tantò minùs ei de quiete & otio cogitandum esse. Et qui perseverare ac mori benè in Societate velit, illi laboribus immoriendum esse.

*Annua 1650. prov. Med. coll. Taur. n. 13.*

III. Joannes Baptista Gentilis otium adeò execrabatur, ut non modò imperatos sibi labores peraccuratè expleret, sed alios etiam studiosissimè juvaret, ideóque pes & manus omnium diceretur.

IV. Hu-

*Annua. 1598. f. 140.* IV. Hubertus Vagenberg summus olot otii extiterat, ideóque laborem non minùs, quàm alii quietem amabat; unde cùm per semestre ob morbum lecto affixus esse cogeretur, nihil gravius ei accidebat, quàm quòd consuetis laboribus vacare non posset.

*Annua 1612. f. 54.* V. Joannes de Mendoza licet honestissimis ortus natalibus, tanta tamen cum sedulitate Ministerium ac labores Marthæ obibat, ut etiam, cùm debilitatus vix se sustentaret, ab iisdem cessare nolnerit, ne mors, ut dicere solebat, cessantem & imparatum occuparet.

*Annua.* VI. Joannes Farinæus etsi toto jam corpore exhaustus fuisset, nihilominus tamen nec momentum elabi sibi passus fuerat, quod non vel corporalibus, vel spiritualibus exercitiis impenderet.

## §. IV.

## EXEMPLA PROFANA.

### *Fuga.*

*Plinius l. 18. c. 6.* I. C Farius Ctesinus, cùm ex parvo agello multò copiosiores fructus, quàm alii ex amplioribus fundis perciperet, ideóque apud Senatum ut de veneficio suspectus accusatus fuisset, comparuit quidem, sed omnia sua instrumenta, bovésque, ac Filiam validam in forum addùcens, dicénsque: Hæc sunt, Quirites, veneficia mea, quibus tam copiosos fructus obtinui: nec possum vobis ostendere, aut in forum adducere lucubrationes, vigilias, & sudores meos. Quo audito omnium calculo absolutus est.

*Ælianus apud Eng. in Dom. Sept. p. 2.* II. Pisistratus Rex Atheniensis in forum accersiri jussit otiosos in foro deambulantes, edixitque, ut, si boves & sementem non haberent, de suo acciperent, ut terram excolerent; veritus, ne istorum hominum otium sibi insidias strueret, aut ad furta ac rapinas provocaret.

*Ibid.* III. M. Aurelius eam regionem felicem pronunciavit, ubi nulli otiosi forent, sed omnes proprio labore fruerentur, nec quisquam sudore alieno viveret.

*Iarricus to. 2. rer. Ind. l. 4. c. 25.* IV. Sinenses neminem otiari permittunt, quod usque adeò observant, ut cæcos etiam in pistrino laborare, claudos verò aut aliter pedibus malè affectos, manibus laborare cogant.

*Engelg. l. c.* V. Romanus Cato neminem in civem Romanum admittebat, qui non priùs manum suam inspiciendam dedisset, eámque per labores induratam, ac callosam ostendisset.

*Faber co. 2. in sept.* VI. Draco Rex Bithyniæ lapidari jussit eos, qui in otio deptehensi fuerant, præter Pueros & senes.

*Ibid.* VII. Sed & Romæ olim nemini in publicum prodire licebat, nisi insigne opificii vel artis, quâ aleret aut occuparet sese, secum portaret. Quòd si quis secùs fecisse compertus fuit, non solùm Puerorum insequentium clamoribus ut fatuus incessebatur, sed etiam à Censore condemnatus cum aliis ergastulis operi publico faciendo addicebatur.

*Plin. l. 36. c. 14.* VIII. Amasis Rex apud Ægyptios legem condidit, ut singuli singulis annis apud Provinciarum Præsides demonstrarent, unde viverent. Et qui hoc non faceret, aut, unde legitimò viveret, non demonstraret, velut inutile pondus terræ vitâ mulctaretur.

*Valer. Max. l. 2. de inst. antiq.* IX. Athenienses otiosos homines non aliter puniebat, ac si magnum aliquod delictum perpetrâssent.

### *Qualitas.*

*Seneca in epist.* X. Varia vir Prætorius nullâ aliâ re, quàm otio notus consenuit, propterea à transeuntibus dici solebat. Varia hîc situs est.

*Engelg. Dom. 9. post Pent. p. 6.* XI. Domitianus Imperator quotidie per horas aliquot se in cubiculo abscondebat, & muscas stilo configebat. Hinc percunctantibus, quis cum Imperatore esset? responsum: ne musca quidem.

*Ibid.* XII. Hartabus Hircaniæ Rex talpas capiebat: Eropus Macedoniæ Rex Lydiæ filo ranas colligebat: Ptolemæus omnium Artificum tabernas obambulabat.

## §. VII.

## SIMILITUDINES.

### *Qualitas.*

*S. Aug. ep. 21.* I. Sicut inter ignem & aquam tenenda est via, ut nec exuratur homo, nec demergatur; Sic inter apicem superbiæ, & voraginem desidiæ iter nostrum temperare debemus, sicut scriptum est: non declinetis neque ad dextram, neque ad sinistram.

*Drex. in Nic. c. 3. §. 1.* II. Sicut in Magnatum culinis, cùm ignis segnior est, butyrum affundunt, ut ad flammam irritent; ita Diabolus utitur otio ad corda hominum accendenda.

### *Damnum.*

*S. Bern. de ligno vitæ c. 5.* III. Sicut ex temperato labore carnis incendia cohibentur; sic ex otio foventur & crescunt.

*Idem de grad. perf. c. 9.* IV. Sicut aqua, quæ caret decursu, ac jacet in foveis, putrescit; ita & corpus otii tabe confectum, concupiscentiarum & voluptatum carnalium parit ac nutrit insaniam.

*S. Chrys. ho. 9. in 2. ad Cor.* V. Sicut terra non occupata semente aut consitione quamlibet herbam producet; Sic & anima, quoties non habet, quod agat rerum necessariarum, cùm omnino cupiat aliquid agere, pravis actionibus semet tradit.

*March. tub. Sac. tub. tr. 4. lect. 6.* VI. Sicut oculus non desinit cernere, atque ob hoc cernit mala, si bona non potest habere objecta; ita & cogitatio, quoties se abducit à seriis vel necessariis, circa inutilia versatur.

*S. Bern. de S. Andrea.* VII. Sicut per rimam sentinæ aqua latenter

tenter intrat, & excrescit, donec navis per nautarum injuriam demergitur; ita ex otio atque ignavia concupiscentiæ & cogitationes pravæ multiplicantur, donec navis cordis eis succumbens in pectore periclitetur.

*Engelgr. in sept. 10. 2.* VIII. Sicut Auceps sagittam in aves volantes dirigere non consuevit, sed, ubi consederint ac quieverint, in eas collimat ac ferit; ita Dœmon non nisi otiosos telo cupidinis inflammare solet.

*Lang. in Polyant. v. ocd.* IX. Sicut rubigo ferrum; ita vires otium emollit.

## §. VIII.

## MOTIVA.

*Act. 17. v. 28.* I. QUia hoc vitium dissuadent exemplo suo *DEUS & Christus*; cùm de DEO dictum sit: in ipso vivimus, movemur & sumus. *Jo. 5. v. 18.* Et iterum: Pater meus usque modò operatur, *Ps. 87. v. 16.* & ego operor. De Christo verò, quòd in laboribus fuerit à juventute sua.

*S. Aug. s. 16. ad FF. in erem.* II. Quia dissuadent *omnes res creatæ*: uti pulchrè S. Augustinus ostendit his verbis: Ecce Sol cursum anni perficit, Luna etiam mensibus & vicissitudinibus discurrit, & ceteræ stellæ. Omnia enim deputata sibi officia sine quiete exercent. Nunquid etiam animalia bruta ad suæ naturæ industriam otium fugiunt? numquid etiam laborant, ut conserventur in esse? numquid in suis necessitatibus deficere & pigrescere ea advertimus? absit. Omnia enim sub obedientia sunt, omnia agunt, quod agere debent. Quæ ergo dementia est, ut solus homo de ignavo otio agendo cogitet?

*S. Basil in const. Monast. c. 5.* III. Quia dissuadet *ipsa Natura* finem creationis improperans: neque enim eo consilio, inquit S. Basilius, Dominus hominem finxit, ut segnis ac lanquens desideret, sed potiùs, ut esset, qui se in laboribus honestis exerceret: quandoquidem & primo Adæ in Paradiso præcepit, ut laboraret, & paradisum custodiret; & tum deinde, postquam ex illo ejectus exulavit, sententiam tulit, ut pane suo in sudore vultus sui vesceretur.

*S. Basil. ho. 7. S. Chrys. ho. 36 in Matt. Drex. in Nic. c. 3.* IV. Quia ipsa *Otii malignitas* dissuadet: nam otium malesicii principium esse, nemo est, qui ignoret, teste S. Basilio. Hinc & S. Chrysostomus suos admonens, valde, inquit, desidero, vos bonis operibus esse occupatos, omnium enim vitiorum quasi Magistra quædam atque origo est otiositas. Et sicut cognata sunt vitia mentiri & furari, ita & proxima sunt nihil & malè agere: tempus perdere, & castitatem non retinere: otiari & luxuriari.

*S. Aug. tr. 3. in Io.* V. Quia *proemii* laboribus promissi magnitudo dissuadet: de quo sic S. Augustinus: Dicam DEO meo: propter verba labiorum tuorum custodivi vias duras, ad quam ergo mercedem? Audi, & noli deficere. Si deficiebas in laboribus, promissa mercede fortis esto. Homo promisit, qui te potest fallere, quantò fortior esse debes in agro DEI, quando promisit veritas, cui nec succedi potest, nec mori, nec fallere potest eum, cui promissum est. Et quid est? aurum est quod hìc multùm amant homines, an argentum? an possessiones, ob quas homines fundunt aurum? an amœna prædia, amplæ domus, multa mancipia, animalia numerosa? non est hæc merces quædam, ad quam nos hortatur, ut in labore duremus. Quid dicitur merces ista? vita æterna. Audistis, & gavisi exclamâstis, amate, quod audistis, & liberamini à laboribus vestris in requiem vitæ æternæ.

VI. Quia dissuadet *periculum* salutis amittendæ, quod otiosus incurrit, cùm is, qui laborat, ab uno tantùm, otiosus verò ab innumeris Dœmonibus infestetur, atque adeò facilè vincatur, uti jam olim antiqui Patres senserunt.

## §. IX.

## MEDIA.

I. A*Morem DEI ardentem procurare*: *S. Greg. in hom.* nam amor, teste S. Gregorio, nunquam est otiosus; operatur enim magna si est; aut si operari renuit, amor non est.

II. *Christi & SS. labores frequenter ponderare*; sic enim noleret quis sub capite, reliquisque membris laboriosis commembrum esse delicatum.

III. *Mundanorum exemplum ob oculos habere*, qui pro tam exiguis bonis tam magnos labores exantlant, atque adeò illam pu Ascetæ admonitionem sibi applicare: Erubesce serve *Th. K. l. 3. c. 3. §. 3.* piger & querulosè, quòd illi paratiores inveniuntur ad vanitatem, quàm tu ad veritatem. Pro vana re & parva promissione die noctùque fatigari non timetur; sed proh dolor! pro bono incommutabili, pro summo honore & gloria interminabili, vel ad modicum fatigari pigritatur.

IV. *Præmii laborantibus promissi magnitudinem frequenter meditari*? certè S. Mechtildis, *Baedenh. l. 8. coll. c. 31.* cùm semel à Christo visitaretur, has voces Beatorum audivit: O felices vos, qui in terris adhuc degitis, meritorum enim cumulos majores potestis vobis comparare! si enim, quantùm quotidie meritorum mortalis sibi acquirere potest, probè intelligeret, quo temporis articulo manè expergiscitur, summo perfunderetur gaudio, advertens diem sibi illucescere, quâ DEO vivere, & tantis se divitiis locupletare posset.

V. *Timor supplicii otiosis in altero orbe parati, velut flagello, sese ad laborem exstimulare*; Servus *Luc. 12. v. 47.* enim sciens voluntatem Domini sui, & non faciens vapulabit *multis*.

Vide plura in Verbo Acedia.

## §. X.

## ASCETICA.

I. TRia præcipuè de hoc vitio benè observare debet Asceta; Primum est, ut firmiter sibi & aliis persuadeat, quod Cassianus sequentibus verbis tradidit: Hæc apud Ægyptum *Cassian. l. 10. inst. mon. c. 23.* ab antiquis Patribus sancita est sententia, operantem Monachum Dœmone uno pulsari, otiosum verò innumeris spiritibus devastari.

II. Alte-

S. Hier. ad Demet. II. Alterum est, ut pariter æstimare nôrit, quod S. Hieronymus pronunciavit dicens: Nihil in sancto proposito deterius est otio, quod non solummodo non acquirit nova, sed etiam peracta consumit; Sanctæ vitæ ratio processu gaudet, & crescit, cessatione torpescit & deficit: quotidianis ac recentibus virtutum incrementis, instauranda mens est, & vivendi hoc iter non de transacto, sed de reliquo metiendum.

III. Tertium est, ut, si forsan ipse aut alius præteritum tempus minùs fructuosè impendit, noverit, quomodo hæc jactura reparari queat. Id, quod eleganter S. Augustinus in hæc verba docuit: Exspectatis à me fortè scire, quid est tempus redimere? dicturus sum, quod pauci audiunt, pauci ferunt, pauci aggrediuntur, pauci agunt: tamen dicam, quoniam ipsi pauci, qui me auditur sunt, inter malos vivunt. Redimere tempus hoc est. Quando aliquis tibi infert litem, perde aliquid, ut DEO vaces, non litibus perde. Ergo ex eo, quod perdes, pretium est temporis. Certè quando pro tuæ necessitatibus procedis ad publicum, das nummos, & emis tibi panem, aut vinum, aut oleum, aut aliquam suppellectilem, das & accipis; aliquid amittis, & aliquid acquiris, hoc est emere; nam si nihil amittas, & habeas, quod non habebas, aut invenisti, aut donatū accepisti, aut hæreditate acquisivisti. Quando autem aliquid amittis, ut aliquid habeas, tunc emis: quod habes, emptum est. Quod amittis, pretium est. Quomodo ergo perdis nummos, ut emas tibi aliquid: sic perde nummos, ut emas tibi quietem. Ecce hoc est tempus redimere. S. Aug. f. 16. de verb. Apost.

## §. XI.

## CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occasione thematis: *Domine, Puer meus jacet Paralyticus, & malè torquetur*: potest Otium Paralysi comparari propter triplicem causam. 1. Quia omnia membra impedit à labore, atque adeò etiam lucro, sicut Paralysis, qui effectus in Otio tantò magis est æstimandus, quantò præstantiùs est lucrum, quod per laborem DEI causâ susceptum sperari poterat. 2. Quia gravem valde dolorem creat, ut Paralysis; nam verè otioso applicari potest illud pii Ascetæ dictum: Tepidus habet tribulationem super tribulationem, quia interiori consolatione caret, exteriorem quærere prohibetur. 3. Quia admodum gravem molestiam creat domesticis, & aliis, quibuscum versatur otiosus, sicut Paralysis; quando scilicet alii ipsum alere, portare, sublevare, ejúsque labores & officia in se suscipere debent, idque non per modicum tempus, sed per totam quasi vitam. Ostendatur subinde, quomodo ab hoc morbo curari possint, scilicet ad Christum confugiendo, ejúsque vel exemplum ponderando, vel præsentiam cogitando, vel auxilium, in Eucharistia maximè, invocando. Matt. 8. v. 6. l. 1. de imit. c. 25.

II. Ex occasione thematis: *Qui sectatur otium, replebitur egestate*: potest explicari quadruplex egestas, quam patientur otiosi, nimirum. 1. *In bonis temporalibus*; juxta testimonium Salomonis: Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi. Et S. Pauli: si quis non vult operari, non manducet. 2. *In bonis famæ*: quia qui congregat in messe, Filius sapiens est: qui autem stertit in æstate, Filius confusionis, ut ait Salomon. 3. *In bonis gratiæ*: nam hîc vel maximè verificabitur proverbium illud Salomonis: Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium divitias parat. 4. *In bonis gloriæ*: quia qui parcè seminavit, parcè & metet. & unusquisque mercedem recipiet secundùm suum laborem. Prov. 28. v. 19. Prov. 20. v. 4. 2 Thess. 3. v. 10. Prov. 10. v. 5. ib. v. 4. 2. Cor. 9. v. 6. 1. Cor. 3. v. 8.

III. Ex occasione thematis: *Multam malitiam docuit otiositas*: demonstrari potest quomodo otium verè sit radix omnis malitiæ, idque ex triplici capite. 1. Quia denudat & spoliat hominem otiosum auxilio & præsidio divino; neque enim DEUS juvare solet hominem, qui cooperari non cupit. 2. Quia à pluribus, imò, ut S. Hieronymus ait, innumeris Dæmonibus infestari facit. 3. Quia hominem ipsi etiam quodammodo manus ligat, ut defendere se contra hostes non possit; quæ omnia facilè fusiùs diduci possunt.

IV. Ex occasione thematis: *Per agrum pigri hominis transivi, & ecce totum repleverant urtica, & operuerant superficiem ejus spinæ*: possunt explicari damna Otii, spinisque hoc comparari. 1. Quia sterile & infructuosum est, ut spina. Hinc Siracides ait: Desideria occidunt pigrum; noluerunt enim manus ejus quidquam operari, tota die concupiscit, & desiderat. 2. Quia impediunt etiam fructum seu semen bonorum operum, ut spinæ. 3. Quia fodicant & pungunt conscientiam, ut spinæ. 4. Quia sub eo se abscondunt venenatæ bestiæ, id est, peccata, sicut sub spinis. Excitentur proinde Auditores ad has spinas toto animi conatu evellendas. Prov. 24. v. 30. Eccl. 40. v. 32.

V. Ex occasione thematis: *Dicit piger: Leo est in via; & leæna in itineribus*: potest explicari radix & causa potissima odii, scilicet *timor difficultatis*, & molestiæ, quæ in operando solet intervenire, & ob horribilem speciem meritò Leoni potest comparari; Et *concupiscentia inordinata bonorum sensibilium*, quæ ob vim allicendi, & nocendi non incongruè Leænæ assimilari potest. Unde meritò jam olim Philosophi totam Philosophiæ & sapientiæ summam in geminis illis verbis: *Abstine, & sustine* collocârunt. Ostendatur proinde, quomodo gemina hæc causa seu radix evelli, sicque ipsum etiam otium eradicari debeat. Prov. 26. v. 13.

## §. XII.

## MISCELLANEA.

### *Qualitas.*

I. REctè de otio dixit Seneca: Otium sine literis mors est, & vivi hominis sepultura. Senec. ep. 82.

*Ergo'g. in Dom. Sept. §. 2. ibid.* II. Alexander Magnus dicere solebat, regium esse laborare, servile otio & luxui vacare.

III. Caij Marii apud Salustium imperatoria vox erat: Nemo ignaviâ immortalis factus est.

*Lancic. opusc. 1. n. 165.* IV. Gerradas Spartanus à quodam Hospite rogatus, quâ pœnâ mulctarentur adulteri, cùm nihil super hac re sancitum à Lycurgo sit? nullus apud nos adulter hospes est, respondit.

*Ibid.* V. Theophrastes interrogatus: quid esset amor? respondit, animæ otiosæ affectus.

*Senec. ep. 68.* VI. Demetrius vitam otiosam, & sine ullis fortunæ incursionibus mare mortuum reputabat.

### *Damnum.*

*Ovid. de remed. amor.* VII. Rectè cecinit Ovidius:

Otia si tollas, periêre cupidinis arcus,
Contemtæque jacent, & sine luce, faces.

*Æneas Sylvius in comm.* VIII. Fredericus Marchio Brandeburgensis, in extremis tabulis Fredericum secundò genitum Joanni primogenito prætulit, ac Marchionatum cum Electoratu Imperii hâc unâ de causâ transcripsit, quòd natu major utpote otii ac quietis amantior non bene administraturus hanc dignitatem videretur.

*Catullus ad Less.* IX. Otium & Reges simul ac beatas perdidit urbes, ut rectè jam olim Catullus cecinit.

*Seneca l. 7. tit. sapien. verdicta.* X. Appius Claudius sæpe dicere solebat, negotium Populo Romano meliùs, quàm otium committi, quòd adverteret, nimiâ quiete imperia in desidiam resolvi; & negotium nomine quidem horrendum civitatis mores in statu suo continuisse, blandæ appellationis quietem verò plurimis vitiis respersisse.

XI. Non malè damna otii Ovidius describit his versibus:

Cernis, ut ignavum corrumpant otia corpus? *Ovid. 1. Pont. eleg. 6.*
Ut capiant vitium, ni moveantur, aquæ?
Et mihi, si quis erat dicendi carminis usus,
Deficit, éstque minor factus inerte situ.

XII. Breviter etiam Lucanus: *Lucan. 1.*

Variam dant otia mentem.

XIII. S. Bernardus aliud damnum insinuavit dicens: Agnoscant homines, quòd, qui in laboribus non sunt, visitari ab Angelis non merentur. Agnoscant, quàm placeat Superis civibus labor, cujus spiritualis intentio est. *S. Bern. s. de nativ.*

§. XIV.

## AUTHORES.

I. Joannes Busæus in Panario. V. eodem.

II. Jeremias Drexelius in Niceta. c. 3.

III. Jacobus Marchantius. in tuba Sacerd. tr. 4. lect. 6.

IV. Henricus Engelgrave in Luce Evang. to. 2. Dom. Sept.

V. Matthias Faber conc. 2. in Dom. Septuag.

VI. Thomas Stapletonus text. 5. in Septuag.

VII. Josephus Langius in Polyanth. V. eod.

VIII. Didacus Stella. l. 3. de contemptu Mundi c. 16.

IX. Philippus D'Outreman in Pædagogo Christiano p. 1. c. 7. §. 8.

---

# *TITULUS XXI.*

# PECCATUM.

## §. I.

## QUOAD ESSENTIAM.

### *Definitio.*

I.

*S. Thomas 1. 2. q. 163. a. 1. & 1. 2. q. 21. a. 1.*



Est juxta S. Thomam, actus devians ab ordine debiti finis, contra regulam naturæ, rationis, vel legis æternæ. Vel aversio ab incommutabili bono, & conversio indebita ad commutabile bonum, juxta S. Augustinum. Aut juxta eundem: Est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam. Aut cum Jacobo Alvarez, ac Theologis, est actio libera, debitâ rectitudine carens, quâ quis legem se obligantem transgreditur. Quemadmodum enim effigies peccatum artis est, si regulis artis ac exemplari non consentiat; ita & humana actio peccatum moris est, si à dictamine rectæ rationis & legis divinæ, quæ sunt exemplar & regula rectè vivendi, discedat. Unde S. Dionysius Areopagita sic illud describit: Peccatum est malum, privatio & defectio, infirmitas, inconvenientia, atque frustratio: & destinatione, pulchritudine, vitâ, sensu, ratione, perfectione ac sede, & causâ privatum, indefinitum, infecundum, otiosum, imbecillum, inordinatum, dissimile, infinitum, tenebrosum, carénsque substantiâ, & ipsum nullo modo, nusquam & nihil existens.

*S. Aug. l. de lib. arb. lib. Idem l. 22. contra Faust. Jac. Alv. l. 1. p. 2. c. 1.* *S. Dionys. de div. nom. c. 4. p. 4.*

II. Distinguitur Peccatum à *crimine*, sicut excedens ab excesso; eò quòd *crimen* peccatum aliquod grande significet, peccatum autem & gravia & levia peccata involvat. Hinc S. Augustinus ait: Neque enim quia peccatũ est omne crimen, ideo crimen etiam est omne peccatum. Itaque Sanctorum hominum vitam, quamdiu in hac morte vivitur, inveniri posse dici-

dicimus sine crimine; peccatum autem si dixerimus, quia non habemus, ut ait S. Apostolus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est.

Distinguitur quoque peccatum à *Vitio*, quia peccatum significat operationem & actum malum; *Vitium* verò habitum, qui ad actum vitiosum inclinat, significat; quod quidem vitium S. Bernardus sequentibus verbis optimè depinxit: Vitium est privatio virtutis, cujus vastitas & enormitas tanta est, ut obruat, & opprimat: fœditas tanta, ut inquinet & inficiat: adhæsio tam pertinax consuetudinis, ut vix à se eam natura excutiat. Vitium est quasi corruptus humor, qui non in corpore, sed in anima morbos peccatorum procreat, plagas & fœda vulnera generat, & spiritualem salutem dominari non sinit. Vitium est radix mortis, & omnium malorum origo, quia est origo peccati, in quo omnium malorum cumulus invenitur. Vitium est indicium infamiæ, & signum ignominiæ, quod illo affectos, à Nobilium, id est studiosorum ac perfectorum hominum consortio repellit. Vitium est sordidum indumentum, quod nos ad nuptias agni vocatos illius convivio & mensâ reddit indignos. Vitium est catena, & vinculum animam in carcere rerum terrenarum detinens. Vitium est laqueus, de quo dictum est: In via hac, quâ ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi, quod nos servos Adversarij humani generis ac mancipia constituit. Vitium est dirus tyrannus (juxta S. Chrysostomum) qui nostram libertatem eripit, & operibus luti ac lateris satis laboriosis addicit. Vitia hostes nostri sunt, & gentes nobis infestæ atque inimicæ, de quibus in Deutronomio dictum est: Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum, neque sociabis cum eis conjugia.

*S. Bernard. S. ad Fratres de monte DEI.*

## *Divisio.*

III. Dividitur quinque potissimum modis. 1. *Ab objectis*: Et sic dividitur in *Carnalia*, & *Spiritualia*, juxta illud Apostoli; Emundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus. Carnalia sunt, quæ circa bona sensibus apprehensibilia, puta cibum, potum, luxuriam versantur; Spiritualia sunt, quæ circa bona insensibilia, v.g. honorem, potestatem occupantur.

IV. Secundò dividitur *ratione originis*, in *Habituale*, *Actuale*, *Originale*. *Habituale* est, quod nullam ampliùs physicam, sed moralem tantùm existentiam habet, & ratione hujus existentiæ perinde hominem afficit ac denominat, ac si actu existeret. *Actuale* est, quod propria voluntate committitur, & actu etiamnum existit. *Originale* est, quod à primo parente Adamo per carnalem propagationem hæreditatur.

V. Tertiò dividitur *ratione legis* in peccatum *Omissionis* & *Commissionis*; Illud est, quod contra legem aliquid affirmantem aut imperantem committitur; ut cùm quis Parentibus debitum honorem non exhibet. Hoc est, quod cum lege aliquid prohibente pugnat, ut cùm quis homicidium aut adulterium committit.

IV. Quartò dividitur *ratione eorum*, qui per illud offenduntur, in peccatum contra DEUM, proximum, & seipsum; quam divisionem S. Paulus indicâsse videtur, dum dixit: Sobriè, & piè, & justè vivamus in hoc sæculo; sobriè scilicet quoad nos; justè quoad proximum: piè quoad DEUM.

VII. Quintò dividitur ratione *Reatus* in *mortale* & *veniale*; Illud est, quod mortem animæ infert, & æternam damnationem annexam habet, atque adeò, teste Richardo, non sine grandi corruptione sui, sine gravi læsione proximi, & sine magno contemptu DEI committi potest. Istud est, quod, quantum est in se, amicitiam DEI minuit quidem, non tamen omnino tollit, nec vitam spiritualem gratiæ aufert; unde morbo decorem auferenti, aliisque effectus similes producenti comparatur, mortale verò peccatum ipsi morti, à quo & nomen hausit, æquiparatur.

*Richardus de differ. mort. & ven. pecc.*

VIII. Pleraque hæc peccata in alias species subdividuntur, nimirum 1. in *Proprium*, quod nos ipsi committimus; & *Alienum*, quod ab alio quidem perpetratur, sed à nobis sive propter approbationem, sive propter consilium, aut conniventiam, aut aliam similem causam participatur. 2. In peccatum *per se*, quod *ex genere suo aut naturâ* mortale vel veniale est; & per *accidens*, quod propter circumstantiam aliquam aut finem superadditum speciem suam mutat, & ex mortali veniale, aut vicissim evadit. 3. In *Internum*, quod sola interiori voluntate peragitur; & *Externum*, quod etiam actionem quandam exteriorem secum trahit; & in peccatum *oris* & *operis* subdividi potest. 4. In *Affectatum*, quod plena & deliberata voluntate committitur; & *non affectatum*, quod cum ignorantia, inadvertentiâ, aut metu culpabili patratur.

## *Actus.*

IX. Primus est, *illicitam objecti alienius concupiscentiam concipere*; de quo actu S. Jacobus locutus est, cùm dixit: Nemo, cum tentatur, dicat, quoniam à DEO tentatur; DEUS enim intentator malorum est; ipse autem neminem tentat. Unusquisque verò tentatur à concupiscentia sua, abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum, peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.

*Iac. 1. v. 14.*

X. Secundus est, *delectari in objecto aliquo illicito*: Veluti cùm quis voluntariè & cùm gustu concupiscentiæ objecti illiciti immoratur.

XI. Tertius est, *consensum præbere* ad prosecutionem objecti illiciti, vel fugam alicujus rei præceptæ; de quo consensu locutus est S. Gregorius, dum dixit: in suggestione semen, in delectatione nutrimentum, in consensu perfectionem inesse peccati.

*S. Greg. ad interr. S. Aug.*



S 3 XII.

XII. *Ipsum opus externum adjicere consensui:* id quod prioribus octo præceptis Decalogi ferè prohibetur.

*S. Isid. l. 2. de summ. bon. c. 23.* XIII. *Consuetudinem ex actibus frequentatis contrahere:* de qua S. Isidorus sic loquitur: Istis fomitibus quasi quibusdam gradibus coalescit omne peccatum. Cogitatio namque prava delectationem parit, delectatio consensionem, consensio actionem, actio consuetudinem, consuetudo necessitatem, sicque his vinculis homo implicatus, quâdam catena vitiorum adstrictus tenetur; unde de seipso fassus est

*S. Aug. l. 8. conf. c. 5.* S. Augustinus, dum dixit: Cui rei ego suspirabam ligatus, non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippe ex voluntate perversa facta est libido, &, dum servitur libidini, facta est consuetudo, &, dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas, quibus quasi ansulis quibusdam sibimet innexis, unde catenam appellavi, tenebat me obstrictum dira servitus.

## §. II.

## EX S. SCRIPTURA.

### *Qualitas.*

*Eccl. 11. v. 16.* I. ERror & tenebræ peccatoribus concreatæ sunt; Qui autem exultant in malis, consenescunt in malo.

*1 Reg. 2. v. 25.* II Si peccaverit vir in virum, placari ei potest DEUS; si autem in DEUM peccaverit vir, quis orabit pro eo?

*Eccl. 23. v. 21.* III. Duo genera abundant in peccatis. Anima callida, quasi ignis ardens non extinguetur, donec aliquid glutiat; & homo Scortator, qui corpore carnis suæ non conquiescit, donec ignem succenderit.

*Eccles. 7. v. 21.* IV. Non est homo justus in terra, qui faciat bonum (semper) & non peccet (aliquando.)

*1. Jo. 3. v. 8. & 9.* V. Qui facit peccatum, ex Diabolo est, quoniam ab initio Diabolus peccat. Omnis, qui natus est ex DEO, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex DEO natus est.

*Gen. 8. v. 21* VI. Sensus & cogitatio hominis in malum prona sunt ab Adolescentia sua.

*Thren. 1. v. 6. & c. 4. v. 1.* VII. Egressus est à Filia Sion omnis decor ejus. Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus! Filij Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? Nazaræi candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores eboreantiquo, Sapphiro pulchriores: denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt

*Osea 9. v. 10.* cogniti in plateis. Abalienati sunt in confusionem, & facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt.

*Ps. 50. v. 7.* VIII. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.

*Is. 64. v. 6.* IX. Facti sumus omnes nos ut immundus, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ, & cecidimus quasi folium universi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.

X. Qui faciunt peccatum & iniquitatem, hostes sunt animæ nostræ. *Tob. 12. v. 10.*

### *Fuga.*

XI. De propitiato peccato noli esse sine metu; neque adjicias peccatum super peccatum; misericordia enim & ira ab illo citò promanant. *Eccl. 5. v. 5.*

XII. Noli facere mala, & non te apprehendent. *Eccl. 7. v. 1.*

XIII. Tanquam à conspectu serpentis fuge peccatum; nam si accesseris, mordebit te. Dentes leonini sunt dentes ipsius, interficientes animas hominum. Quasi romphæa bis acuta hominis iniquitas, plagæ illius non est sanitas. *Eccl. 21. v. 2.*

XIV. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus; peccatum enim vobis dominabitur. *Rom. 6. v. 12.*

XV. Cave, ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini DEI nostri. *Tob. 4. v. 6.*

XVI. Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? *Rom. 6. v. 2.*

### *Damnum.*

XVII. Scito, & vide, quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum DEUM tuum, & non esse timorem ejus apud te. *Jer. 2. v. 19.*

XVIII. Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvere nequeat: sed iniquitates & peccata vestra absconderunt vultum ejus à vobis, ne exaudiat. *Is. 59. v. 1. & 2.*

XIX. Si averterit se justus à Justitia sua, omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur. *Ezech. 18.*

XX. Justitia elevet gentem, miseros autem facit populos peccatum. *Prov. 14. v. 34.*

XXI. Per quæ quis peccat, per hæc & punitur. *Sap. 11. v. 17.*

XXII. Super quo percutiam vos ultra, addentes prævaricationem? omne caput languidum, & omne cor mœrens. Terra vestra deserta, civitates vestræ succensæ igni: regionem vestram coram vobis alieni devorant. *Is. 1. v. 5.*

XXIII. Pluet super peccatores laqueos, ignis & sulphur pars calicis eorum. *Ps. 10. v. 6.*

XXIV. Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors. *Rom. 5. v. 12.*

XXV. Longè à peccatoribus salus, quia justificationes tuas non exquisierunt. *Ps. 118. v. 155.*

XXVI. Similiter odio sunt DEO impius, & impietas ejus. *Sap. 14. v. 9.*

XXII. Propter quod in ira DEI ad iracundiam provocâstis Dominum, traditi estis Adversariis. *Baruch. 4. v. 6.*

XXVIII. Anima, quæ peccaverat, ipsa morietur: Justitia justi super eum erit, & impietas impij erit super eum. *Ezech. 18. v. 20.*

XXIX. Quòd si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea: Si spreveritis leges meas, & judicia mea contempseritis, ut non faciatis ea, quæ à me constituta sunt, & ad irritum perduceritis pactum meum, ego quoque hæc faciam vobis. Visitabo vos velociter *Levit. 26. v. 14.*

in ege-

in egestate, & ardore, qui conficiat oculos vestros, & consumat animas vestras. Frustra seretis; quæ ab hostibus devorabitur. Ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hostibus vestris, & subjiciemini his, qui oderunt vos: Fugietis nemine persequente. Sin autem nec sic obedieritis mihi, addam correptiones vestras septuplum propter peccata vestra.

*Judith. 5. v. 16.* XXX. Quotiescunq; præter ipsum DEUM suum alterum coluerunt, dati sunt in prædam, & in gladium, & in opprobrium.

### *Veniale Peccatum.*

*3. Reg. 8. v. 46.* XXXI. Non est homo, qui non peccet.

*Prov. 24. v. 16.* XXXII. Septies cadit justus.

*1. Cor. 3. v. 12.* XXXIII. Si quis superædificat super fundamentum hoc (Christum) aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, uniuscujusq opus manifestum erit. Dies enim declarabit, quia in igne revelabitur, & uniuscujusque opus; quale sit, ignis probabit.

*Iac. 3. v. 2.* XXXIV. In multo offendimus omnes.

*Apoc. 21. v. 27.* XXXV. Nihil coinquinatum introibit in regnum DEI.

*Eccl. 19. v. 27.* XXXVI. Qui spernit modica, paulatim decidet.

### *Relapsus in Peccatum.*

*Io. 5. v. 14.* XXXVII. Ecce, sanus factus es: Jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

*Hebr. 6. v. 4.* XXXVIII. Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum verbum DEI, virtutésque seculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium DEI, & ostentui habentes.

*Ibid. v. 7.* XXXIX. Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam, illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à DEO, proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cujus consummatio in combustionem.

*2. Pet. 2. v. 21.* XL. Melius erat illis, non cognoscere viam Justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato; contigit enim eis illud veri proverbij: Canis reversus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti.

*Prov. 5. v 22.* XLI. Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.

*Eccl. 21. v. 1.* XLII. Fili peccâsti, ne adjicias iterum. Sed & de pristinis deprecare, ut dimittantur tibi.

*Ier. 2. v. 36.* XLIII. Quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas.

*Hebr. 10. v. 27.* XLIV. Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccato hostia, terribilis autem quædam exspectatio, judicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est Adversarios.

*Matt. 12. v. 43.* XLV. Cùm autem immundus Spiritus exierit ab homine, &c. vadit & assumit alios spiritus nequiores se, & intrantes habitant ibi, & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.

*Gal. 2. v. 18.* XLVI. Si quæ destruxi, hæc iterum ædifico, prævaricatorem me constituo.

## §. III.

## EX SS. PATRIBUS.

### *Qualitas.*

*S. August. super 30.* I. PEccatum nihil est, & nihil fiunt homines cùm peccant.

*Idem super Ps. 5.* II. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Non dicit: non sit, sed: non regnet. inest peccatum, cùm delectaris: regnat, cùm consenseris.

*S. Hier. sup. Ps. 80.* III. Quæcunque vitia habemus, & quotcunque peccata, tot recentes habemus DEOS. Iratus sum, ita mihi DEUS est. Vidi mulierem, & concupivi, libido mihi DEUS est. Unusquisque enim, quod cupit, & veneratur, hoc illi DEUS est.

*S. Isid. de sum. bono. l. 2. c. 18.* IV. Tantò majus peccatum esse cognoscitur, quantò major, qui peccat, habetur; crescit enim delicti cumulus juxta ordinem meritorum. & sæpe, quod minoribus ignoscitur, majoribus imputatur.

*Idem. c. 20.* V. Majoris est culpæ manifestè peccare, quàm occultè, dupliciter enim reus est, qui apertè delinquit, quia agit, & docet.

*S. Aug. in explic. ep. ad Rom.* VI. Non pertinet ad te, Domine, nec de tuis est, qui non diligit te; nec te diligit, qui te scienter offendit.

*S. August. l. 4. de civ. DEI. c 3.* VII. Bonus, etiamsi serviat, liber est; malus autem, etiamsi regnet servus est, nec unius hominis, sed quod est gravius, tot Dominorum, quot vitiorum. de quibus vitiis cùm ageret divina Scriptura, à quò enim quis, inquit, devictus est, huic & servus addictus est.

*Abb. Theod. apud Cass. coll. 6. c. 3.* VIII. In rebus humanis nihil malum est dicendum, nisi peccatum solum, quod à bono DEO nos separans, malo facit Diabolo comparari.

*S. Aug l. de nat. & grat. c. 36.* IX. Exceptâ S. Virgine MARIA, si omnes illos Sanctos, cùm hic viverent, congregare possemus, & interrogare, utrum essent sine peccato? Quid fuisse responsuros putamus? nisi quod Joannes Apostolus: Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.

*S. Bern. ep. 42.* X. Singuli motus animi mei sunt quædam in te, Domine DEUS, convitia, utpura iracundiæ motus in mansuetudinem tuam, invidiæ in caritatem, turpitudinis in castitatem, & innumera his similia, quæ de cænoso lacu prurientis pectoris mei etiam nunc incessanter ebulliunt, inundantes & impingentes in serenitatem præfulgentis vultus tui.

*S. Chrys. hom. 8. ad pop.* XI. Talis est peccantium consuetudo, omnia suspecta habent, umbras tremunt, omnem strepitum timent, & quemque putant contra se venire, & aliis inter se dissidentibus, peccati sibi ipsi conscij, putant illos de se sermocinari; Talis res peccatum est, nullo prodit arguente, nullo condemnat accusante, pavidum facit & timi-

timidum peccatorem, sicut justitia contrarium, Fugit, inquit Scriptura impius nemine persequente. Quomodo persequente nemine fugit? Intus habet agentem conscientiæ accusatorem, & hunc ubique circumfert: & sicut seipsum non potest fugere, sic nec intrinsecus ipsum agitantem, sed quocunque abeat, flagellatur, & vulnus habet immedicabile. at non talis justus: Sed qualis, audi: Justus tanquam leo, inquit, confidit.

*Tertullian. apoc. c. 1.* XII. Omne malum aut timore, aut pudore natura perfudit.

### *Fuga.*

*Idem ho. 28 in epist. ad Rom.* XIII. Peccatum Dœmone pejus ejiciamus. Dœmon siquidem nos omnino spoliat regno cœlorum, sed subinde fit, ut & prosit modesto ac vigilanti. Peccatum verò omnino excludit. Voluntarius quippe dœmon est peccatum, spontanea insania.

*Idem ho. 6. ad pop.* XIV. Fugiamus peccata, & à via mala recedamus; si enim hæc fugerimus, etiamsi inter innumeros hostes fuerimus, nemo nos lædere poterit; si hæc non fugerimus, etiamsi ad ipsum verticem montium ascenderimus, hostes etiam illic innumerabiles reperiemus.

### *Damnum.*

*S. Aug. in expos. epist. ad Rom.* XV. Unusquisque peccando animam suam Diabolo vendit, accepto tanquam pretio dulcedine temporalis voluptatis.

*S. Chrys. ho. 5. ad pop.* XVI. Malorum omnium causam constat esse peccatum. Ex peccato tristitia, ex peccato tumultus, ex peccato bella, morbi, atque omnes, quotquot nos premunt, passiones.

*S. Hier. ep. 2.* XVII. Nostris peccatis Barbari fortes sunt, nostris peccatis Romanus superatur exercitus, & quasi non hæc sufficerent cladibus, plùs penè bella civilia, quàm hostilis mucro consumpsit. Non amputamus causas morbi, ut morbus pariter auferatur, statimque cernamus pilis sagittas, tiaras galeis, caballos equis cedere.

*S. Laurent. Just. de S. Ioann.* XVIII. Unico peccati consensu immensas corporis ac animæ homo spirituales amisit divitias, sibíque cum dolore vendicat, quod gratis & sine labore perceperat. Innocentiæ quippe candorem, immortalitatis stolam, carnis incorruptibilitatem, animæ puritatem, contemplationis dulcedinem, spiritus libertatem, Angelorum contubernium, amicitiam DEI perdidit, ad quæ maxima cum fatigatione assurgit.

*S. Cyprian. s. 5. de lapsis.* XIX. Hoc sunt peccata lapsis, quod grando frugibus, quod turbidum sidus arboribus quod armentis pestilens vastitas, quod navigiis sæva tempestas. Omnes scilicet bonorum operum fruges destruit, animi facultates corrumpit, totum hominem ad interitum ducit.

### *Veniale Peccatum.*

*S. Greg. ho. 52.* XX. Nonnunquam in parvis deterius, quàm in majori peccatur. Major enim, quò citiùs culpa cognoscitur, eò etiam celeriùs emendatur; minor verò, dum quasi nulla creditur, eò pejus, quò etiam securiùs in usu retinetur.

XXI. Qui ut Filius, & non ut servus obedit DEO, etiam in minimis timet offendere. *S. Basil. in reg. fuse*

XXII. Cæterùm ab istis minutis peccatis, in quibus septies cadit justus, ut scriptum est, & resurgit, nunquam deerit pœnitudo; aut enim per ignorantiam, aut per oblivionem, aut per cogitationem, aut per sermonem, aut per obreptionem, aut per necessitatem, aut per fragilitatem carnis singulis diebus vel inviti, vel volentes frequenter incurrimus, pro quibus & David orans Dominum purificationem atque indulgentiam deprecatur dicens: ab occultis meis munda me. *ass. præm. Cassian. coll. 20. c. 12.*

XXIII. Mens Christo dedita æquè & in majoribus, & in minoribus intenta est, sciens, etiam pro verbo otioso reddendam esse rationem. *S. Hier. epist. 3.*

XXIV. Peccata levia, quæ ab incipientibus quotidiana satisfactione purgantur, à perfectis viris velut magna crimina evitantur. *S. Isidorus l. 2. sent. c. 10.*

XXV. Discite, Fratres, justum Judicem DEUM non modò, quid fiat, sed, quomodo fiat, considerare; & cavete deinceps, ne quis parva reputet, quamlibet parva, si scienter delinquere convincatur. Nemo dicat in corde suo: Levia sunt ista, non curo corrigere: non est magnum, si in his maneam venialibus, minimísque peccatis. Hæc enim, dilectissimi, impœnitentia, hæc blasphemia in Spiritum Sanctum, hæc blasphemia irremissibilis. *S. Bern. s. 1 in con vers. S. Pauli.*

XXVI. Admonendi sunt, qui, quamvis in minimis, sed tamen frequenter excedunt, ut nequaquam considerent, qualia, sed quanta committunt. Facta enim sua, si despiciunt timere, dum pensant, debent formidare, dum numerant. *S. Greg. p. 3. c. 34.*

XXVII. Nescio, an possimus leve aliquod peccatum dicere, quod in DEI contemptum admittitur; éstque ille prudentissimus, qui non tam considerat, quod jussum est, quàm quis jusserit: neque quantitatem imperii, sed imperantis cogitat dignitatem. *S. Paulin. epist. 14.*

XXVIII. Fugiamus modica mala, magna siquidem ab illis nascuntur. Quisquis enim ad quodlibet delictum dicere didicit consuetum illud: Nihil erit ab hoc damni: Paulatim omnia perdet. Istud quippe malitiam induxit, istud latroni portas aperuit, istud civitatis muros dejecit. Hoc & in corporibus magni morbi contrahuntur, quando modici contemnuntur. *S. Chrys. in 4. 7. ad Rom.*

### *Relapsus in Peccatum.*

XXIX. Usitata culpa obligat mentem, ut nequaquam surgere possit ad rectitudinem. Conatur & labitur, quia ubi sponte diu persistit, ibi, & cùm noluerit, cadit. *S. Greg. in hom.*

XXX. Cogita, ô homo, graviorem esse culpam post veniam, renovatum vulnus pejus dolere post curam: molestiùs hominem sordidari post gratiam. Quare indulgentiæ ingratus est, qui post veniam peccat. Sanctitatis indignus est, qui semetipsum, postquam sanatus est, vulnerat; nec mundari meretur, qui semetipsum post gratiam sordidat. *S. Chrys. hom. 2. sup. Matt.*

XXXI. Ina-

*S. August. in solil.* XXXII. Inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat; nihil prosunt lamenta, si replicentur peccata. Nihil valet à malis veniam petere, & mala de novo iterare.

*Cass. l. 4. de instit.* XXXIII. In peccato nil magis est impium, quàm in eo stare: & in casu nihil pejus est, quàm in eo jacere.

## §. IV.

## EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

*L. 1. c. 21. §. 4.* I. Materia justi doloris & internæ compunctionis sunt peccata & vitia nostra, quibus ita involuti jacemus, ut rarò cœlestia contemplari valeamus.

*L. 1. c. 22. §. 6.* II. O quanta fragilitas humana, quæ semper prona est ad vitia! Hodie confiteris peccata, & cras iterum perpetras confessa. Nunc proponis cavere, & post horam agis, quasi nihil proposuisses.

*l. 1. c. 24. §. 3.* III Quid aliud ignis ille devorat, nisi peccata? Quem autem adhuc peccata delectant, non mirum, si mortem & judicium timeat.

*L. 1. c. 25. §. 11.* IV. Major labor est resistere vitiis & passionibus, quàm corporalibus insudari laboribus. Qui parvos non vitat defectus, paulatim labitur ad majores.

*l. 3. c. 4. §. 3.* V. Nil sic timeas, sic vituperes & fugias, sicut vitia & peccata tua, quæ magis displicere debent, quàm quælibet rerum damna.

## §. V.

## EXEMPLA.

### *Qualitas*

*Spec. Ex. dist. 1. ex 181.* I. Arsenio quondam ostensum est, quomodo homines à salute impediantur, dum 1. Vidit Æthiopem ligna secantem, & cumulum semper augentem, quo indicabatur consuetudo peccandi. 2. Hominem aquam in cisternam pertusam fundentem, quo significabantur homines, qui, quod bonis operibus lucrantur, malis admixtis perdunt. 3. Duos lignum transversum portantes, & cum eo templum ingredi volentes, sed non valentes, eò quòd neuter alteri cedere voluerit, & alterum subsequi, ut aditus illis ad templum fieret, quo superbia figurabatur.

*Ib. dist. 5. ex. 81.* II. Miles quidam ob adulterium humana facie spoliatus est, ut omnes eum tam homines, quàm bestiæ fugerent; qui tamen per confessionem, pristinæ formæ restitutus est.

*Ibid. dist. 9. ex. 162.* III. Angelus quidam cum Eremita peregrinatus, transeunte Juvene eleganter vestito, sed peccatis immerso, nares cohibuit, cùm tamen ante cadaver transiens id non fecisset, significans scilicet coram DEO peccatorem turpiùs, quocunque cadavere, fœtere.

*Vita PP. l. de pat. & humil.* IV. Abbas Paulus cùm in templo orationi vacaret, vidit Peccatorē à Dæmone naribus tractum intrare in templum, & totum denigratum, sed eundem post peccata sua sinceris lacrymis deplorata, à vinculis liberum, faciéque clarissimâ exeuntem.

*Spec. Ex. tit. Infirm. ex 15.* V. Mulier quædam cùm per intercessionem S. Dominici à Dæmone, à quo obsessa fuerat, liberata, advertisset, se postea in varia peccata labi, maluit iterum à Dæmone obsideri, quàm peccati turpitudine fœdari.

### *Fuga.*

*Baeza in 1. in Evang. l. 18. c. 8. §. 37.* VI. Christus cùm omnes alias injurias, & etiā suspicionem dæmonij inhabitantis patientissimè tulisset, in peccati tamen suspicione tollenda acerrimus fuit, ideóque dixit: Quis ex vobis me arguet de peccato? cujus rationē reddens Boëza ait: quia non sic horribile est viro justo dæmonium habere ac peccatum, hoc omni dæmonio horribilius est, & multò magis vitandum.

*S. Birgitt. l. 3. revel. c. 8.* VII. B. Virgo ipsamet quondam S. Birgittæ revelavit, & dixit: Tam affluenter me totam replevit Spiritus Sanctus, quòd nihil in me vacuū reliquit, ad peccati alicujus introitum. Et ideo ego illa sum, quæ nunquam commisi peccatum veniale, vel mortale. Ego quippe in caritate Dei tam ardens eram, quòd mihi nihil placuit, nisi perfectio divinæ voluntatis. Fervebat enim in corde meo ignis divinæ caritatis.

*Dan. 13.* VIII. Susanna Hebræa castissima ad adulterium à duobus senibus sollicitata dixit: Melius mihi est, absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.

*2. Mach. 6.* IX. Eleazarus Judæus nonagenarius, scribarum Princeps, ad carnes procinas contra legem comedēdas compulsus, respondit, malle se præmitti in infernū, quàm Regis mandato obedire.

*Surius in Vita.* X. S. Chrysostomus nihil præter peccatum timebat; unde Ludoviæ Reginæ insidias adversus ipsum molienti quidam ex Aulicis illius dixit: frustra tentas omnia, Chrysostomus enim nihil præter peccatum timet.

*Theodoret. l. 5. hist. c. 18.* XI. De S. Ambrosio Theodosius Imperator dixit: Novi constantiam Ambrosij, & quòd nullo regiæ majestatis terrore divinam legem transgredietur.

*Surius in Vita.* XII. S. Anselmus Episcopus Cantuariensis dicere solebat: Si hinc peccati horrorem, inde inferni dolorem corporaliter cernerem, & necessariò uni immergi deberem, priùs infernum, quàm peccatum appeterem.

*Surius in Vita.* XIII. S. Edmundus Cantuariensis Episcopus dicere solebat: Malo insilire in rogum ardentissimum, quàm in peccatum lethale consentire.

*Vita c. 44.* XIV. B. Catharina Genuensis non valens ullo pacto DEI offensam videre dixit Domino: non detrecto, quin omnia Dæmonia, cum universis illorum terroribus & suppliciis mihi morienti demonstres; nihil enim illa facio cum intuitu offensæ tuæ, licet minimæ, comparata: Quæ tamen non potest esse minima, eò quòd tua celsissima Majestas offendatur.

*Joinvil. in ejus vita.* XV. S. Ludovicus Rex Galliæ cùm ex Senescalco Campaniæ quæsivisset, mallétne lepra infici, an peccato? isque peccato se infici malle, respondisset, acriter eum objurgans S. Ludovicus dixit: Toto cœlo erras. Ecquæ enim lepra peccato fœdior, quod etiam post mortem affligit? tu itaque, si me amas, eam mentē muta.

### *Damnum.*

*Gen. 3.* XVI. Primi nostri Parentes, quia peccârunt, & ipsi Paradiso ejecti, gratiáque originali privati sunt, & omnes posteros in eandem miseriam traxerunt.

*Iudic. 2.* XVII. Filij Israel, quia fecerunt malum in conspectu Domini, iratus est Dominus, & tradidit eos in manus diripientium, qui ceperunt eos, & vendiderunt hostibus.

*Gen. 6. v. 5.* XVIII. Videns DEUS, quòd multa malitia esset in terra, & cuncta cogitatio hominis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum, quòd hominem fecisset in terra, & præcavens in futurum, & tactus dolore cordis intrinsecus, delebo, inquit, hominem, quem creavi à facie terræ ab homine usq; ad animantia.

*Gen. 19. v. 24.* XIX. Quia clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est, peccatum eorum aggravatum est nimis, pluit Dominus super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cœlo, & subvertit civitates has, & omnem circa regionem & universos habitatores Urbiũ, & cuncta terræ virentiã.

*Beerlinck in theatro vit. hum. P. fol. 147.* XX. Anno 1056. Guntherus Henrici II. Cancellarius vidit in solio Majestatis suæ residere DEUM, & elevato in altum brachio, districtum gladium magno conatu vibrare, & circumstantibus dicere: Reddam ultionem hostibus meis, & his, qui oderunt me, retribuam. Quam visionem protinus mors Principum regni secuta est.

*Ibid. ex Greg. Tur. l. 2. hist. Franc. c. 6.* XXI. Cùm olim Metensis Urbs à Chunis incendio vastata esset, priùs quidam S. Stephanum cum SS. Petro & Paulo colloquentem, & talia dicentem audivit: Oro, Domini mei, ut non permittatis Metensem Urbem ab inimicis exuri; aut certè si aliter fieri non queat, saltem Oratorio, in quo reliquiæ meæ asseruantur, parcatur. Cui illi responderunt: Vade in pace, Frater dilectissime, Oratorium tuum liberabitur ab incendio, pro Urbe verò non obtinemus, quia Dominicæ Sanctionis super eam sententia jam processit; invaluit enim peccatum populi, & clamor malitiæ eorum ascendit coram DEO; ideóque incendio cremabitur.

*Raderus in Virid. sanct. p. 2. c. 5.* XXII. S. Simeon Stylita Edessenus solitus erat videre homines Angelis stipatos, sed non eodem modo; nam in gratia constitutis ponè astabant, & tanquam fidi viarum Duces lætabundi facem prælucebant; mortali verò peccato obstrictos, circumstantium Dœmonum constrictos vinculis, eminùs sequebantur illacrymantes.

*Surius in vita, 23. Iul.* XXIII. S. Birgittæ Snecæ quondam apparuit Christus totus sanguine perfusus, & eâ specie, quâ olim crucifixus fuerat, dixitque: Intuere vulnera mea. Cúmque illa illacrymans diceret: Heu, Domine mi, unde tibi hoc modò vulnera? respondit ille: ita me etiamnum vulnerant caritatis meæ contemptores.

*Surius in Vit. 3. 7.* XXIV. S. Coleta, cùm aliquando S. DEI Genitricem pro Peccatoribus rogaret, ista cum lance carnis, quasi infantis recèns occisi frustis plenâ sibi adstantem vidit, & dicentem audivit: Quis vis, ut pro illis intercedam, qui peccatis Filium meum, quantùm quidem ipsi possunt, ita, ut hic vides, in frusta discerpunt?

*Veniale Peccatum.*

*Fuga.*

*S. Hier. ep. 27.* XXV. S. Paula Romana levia peccata ita planxit, & detestata est, ut eam gravissimorum criminum ream diceres.

*Theodor. fol. 4.* XXVI. Eusebius quia sub lectione sacra oculos in campum conjecerat, lumbos zonâ ferreâ constrinxit, & gravissimum collare collo imposuit, ut hoc modo inclinatus cogeretur semper terram aspicere; sicque per quadraginta annos mansit.

*Surius 23. Iun.* XXVII. De B. Maria Oegniacensi Joannes de Vitriaco scripsit: Testem DEUM invoco, me nunquam in tota ejus vita vel conversatione vel unum peccatum mortiferum potuisse deprehendere. Si quod autem veniale admisisse videretur, cum tanto cordis dolore, cum tanta verecundia & rubore, cum tanta contritione id confitebatur, ut præ nimio angore instar parturientis exclamare cogeretur.

*Damnum.*

*Num. 20. v. 12.* XXVIII. Moyses, quia cum modica dubitatione percussit Petram, audivit à DEO: Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram Filiis Israël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.

*2. Reg. 24. v. 15.* XXIX. David quia populum suum numerari jussit (in quo eum non nisi venialiter peccâsse, plerique Authores putant) pestilentiâ, quæ 70000. hominum abstulit, castigatus est.

*4. Reg. 20.* XXX. Ezechias quia Legatis Regis Babyloniorum thesauros suos ostendit (quâ in actione iterum venialem duntaxat culpam agnoscunt probati Authores) audivit ab Isaja: Audi sermonem Domini. Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua, & quæ condiderunt Patres tui usque in diem hanc in Babylonem; non remanebit quicquam, ait Dominus. Sed & de Filiis tuis, qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur, & erunt Eunuchi, in Palatio Regis Babylonis.

*4. Reg. 2. v. 23.* XXXI. Pueri, quia transeuntem Elisæum irriserunt, dicentes: Ascende calve: egressi sunt duo ursi de saltu, & omnes quadraginta duos lacerârunt, licet venialiter tantùm ob imperfectum rationis usum peccârint.

*Act. 5. Lancic. op. 16. c. 10. n. 195.* XXXII. Ananias & Sapphira ob mendacium (quod docti viri, teste Lancizio, veniale tantùm fuisse putant) subitaneâ morte puniti sunt. Unde S. Augustinus ibidé citatus ait, eorum peccatum per mortem corporalem extinctum fuisse.

*Idem. c. 11. n. 197* XXXIII. Cellarius quidam ex Monasterio S. Rufi propè Valentiam post mortem quæsitus, cur sic in Monasterio tumultuaretur? respondit, se integro anno gravissimas in purgatorio pœnas luisse, quòd aliquoties ob nimias occupationes Psalmum *Laudate* loco psalmi *Miserere* in gratiarum actione post mensam facienda dixisset. Vide plura in tit. Purgatorium.

*Relapsus in Peccatum.*

*Exod. 15.* XXXIV. Pharao, quia post tot acceptas plagas non resipuit, sed in antiqua obstinatione permansit, cum toto suo exercitu in mari rubro submersus est.

*S. Bonav. in Vita* XXXV. Canonicus quidam lubricus cùm per S. Franciscum à gravi infirmitate signo crucis

*S. Franc. c. 15.* cis curatus esset, admonitus tamen, ut ad fomitum non rediret, paulò pòst repetens antiquam libidinem, in domo alterius Canonici, domo tota corruente, omnibus aliis illæsis, solus oppressus est.

*Thomas Cantipr. l. 2. c. 30.* XXXVI. Thomas Cantipratanus scribit, quòd, cùm quendam ad se cum Sacerdote venientem, & consuetudini malæ obnoxium, sæpiùsque à se absolutum ad Episcopum mittere vellet, Sacerdos eum rogirit, ut cum hac conditione adhuc absolveret, ut ipse Pœnitens flexis genibus rogaret DEUM, ut, si denuò in antiquum scelus recideret eum mox divina vindicta sequeretur. Absolutus ergo cum tali pacto recessit, sed paulò pòst iterum lapsus horrenda voce clamavit: Vindicta DEI super me, amarissimàque morte multatus expiravit.

*Surius 21. April.* XXXVII. Cùm S. Anselmus puerum cum avicula ludentem, & mox cum vinculo dimittentem, mox retrahentem vidisset, ad socios conversus, sic inquiebat, cum Peccatoribus Diabolus ludit; modò eum eos ad confessionem quasi liberos dimittit, modò per consuetudinis vinculum in antiquam captivitatem retrahit, ac reducit.

## §. VI.

## EXEMPLA DOMESTICA.

### Fuga.

*Lanciz. op. 16. n. 18.* I. S. Ignatius rogatus à P. Brandano Lusitano, quomodo Scholastici Societatis peccata venialia confiteri deberent? respondit, hominem etiam de minimis peccatis confundi debere in præsentiâ divinâ, si purâ conscientiâ gaudere velit; eò quòd objectum, contra quod sunt peccata venialia, sit infinitum, atque adeò etiam in infinitum aggravet.

*Idem n. 266. expresso Canon.* II. De B. Aloysio P. Ferdinandus Paterno testatus est, dum ejus Confessarius esset in curia Regis Hispaniæ, per quinque aut sex annos sæpe nec materiam absolutionis invenisse, idque non ex defectu solertiæ aut judicii accidisse, quia etiam ab ea ætate elucebat in eo prudentia & maturitas senilis in moribus. Idem postea de eodem etiam in Societate existente P. Hieronymus Natalis testatus est, cùm dixit, se in confessione generali sex mensium materiam capacem absolutionis non reperisse.

*Ibid. n. 264.* III. De S. Francisco Xaverio Vicarius S. Thomæ jurejurando testatus est, se, dum confessiones illius per hyemem excepisset, non invenisse peccatum veniale, quo DEUS offendi potuisset.

IV. De B. Stanislao Kostka P. Alphonsus Ruiz, qui totius vitæ confessionem exceperat, post mortem publicè edixit, eum totâ vitâ, quæ fuit novemdecim annorum, peccatum mortale nullum, & venialia valdè pauca commisisse.

*Lancit. in op. 5. n. 32.* V. Cardinalis Bellarminus paulò ante mortē sincerè fassus est, se totâ vitâ suâ, quæ fuit septuaginta novem annorum, nunquam deliberatè peccâsse. Sed & P. Fuligattus in ejus vita

*Vita c. 34.* scribit, se interdum per octo dies non invenisse in ejus confessione ullum peccatum.

*Ibid. n. 38.* VI. P. Ludovicus de Ponte voto se obligavit, nunquam deliberatè offendendi DEUM, hoc autem perfectè ab eo servatum fuisse juratus asseruit P. Petrus de Sandoval, qui per viginti annos confessiones ejus exceperat.

*Litera Pervan. de vita Mast.* VII. P. Jacobus Alvarez viginti sex annis ante mortem voto se astrinxit, se nullum peccatum veniale scienter admissurum, idque servatum literæ pervanæ testantur.

*Vita. c. 11.* VIII. P. Edmundus Campianus tam teneræ erat conscientiæ, ut sæpe à suo Confessario ad sacrum faciendum sine absolutione dimissus fuerit.

*Lanciz. op. 16. n. 267.* IX. De P. Bernardino Realino P. Annibal Vitalis juratus edixit, se per quindecim annos in ejus confessionibus nec unum quidem peccatum voluntarium reperisse.

*Idem opusc. 3. n. 51.* X. P. Martinus Polorius operarius indefessus toto anno, quo S. Nicolaus Lanczizius ejus confessiones exceperat, ne unicum quidem veniale minimum attulerat, etiamsi conscientiam suam accuratissimè discutere consueverit.

*Idem opusc. 16. n. 269.* XI. Alphonsus Rodriquez, etsi per quadraginta annos Janitoris fungebatur officio, ordinariè tamen in confessionibus materiam absolutionis non afferebat. Eundem cùm S. Franciscus cum Christo apparens quæreret, cur fleret? respondit ille: Cur non fleam, perspectam habens gravitatem meorum peccatorum, quandoquidem unum peccatum veniale contra Deū commissum mereatur, ut totâ vitâ defleatur.

*Vita l. 3. c. 9.* XII. Cùm S. Ignatio quondam objiceretur, operam in curandis meretricibus frustraneam esse, eò quòd illæ mox ad vomitum redituræ essent, respondit ille: Minimè sanè. Sed si omnibus vitæ meæ curis atque laboribus id possim efficere, ut vel unam noctem aliqua istarum peccato abstinere velit, omnes ego quidem nervos contendam, ut vel exiguo illo tempore DEUS non offendatur.

### Damnum.

*Nierenb. doct. asc. f. 199.* XIII. P. Christophorus Ortizius Vir Apostolicus, quia Superior Residentiæ designatus non promptè obedivit, fulmine ictus interiit; licet DEUS gloriam servi sui multis prodigiis illustraverit.

*Annua Ingolst. 1618* XIV. P. Jacobo Rhem quondam unus è Societate in sordida veste & forma apparens, causamque purgatorii rogatus respondit, non aliam esse, quàm quòd sæpiùs sine facultate se ipsum flagris castigâsset.

*Annua Neapol. 1603.* XV. Quidam Theologiæ Studiosus propè Neapolim mortuus cuidam socio suo apparens dixit, se in purgatorio graviter cruciatum esse, quòd aliquando sub sacro aliquantulum confabulati, nec confessi essent, ipse proin adhuc istud peccatum confiteretur.

## §. VII.

## EXEMPLA PROFANA.

*Ælius Spartianus in Caracalla.* I. Papinianus Jureconsultus, cum ab Antonio Caracalla Imperatore parricidium Fratris sui Gethæ approbare jussus est, tam constanter id recusavit, ut etiam mortem eâ de causa oppetere non dubitârit.

*Plutarch. in vita Demetrij.* II. Democles puer formosus cùm lavandi corporis causa balneum fuisset ingressus, idque Rex Demetrius, eum secutus abuti vellet, præcluso omni effugio in ahenum aquâ fervente plenum insiluit, mori malens, quàm peccaot tali contaminari.

*Plato.* III. Philosophus quidam dixisse fertur, se, si sciret, DEUM sibi peccatum admissurum, & illud homines ignoraturos, nihilominus ob solam peccati turpitudinem illud studiosissimè declinaturum.

## §. VIII.

## SIMILITVDINES.

### *Qualitas.*

*Staplet. tex. 6. in Dom. 11. post Pent.* I. SIcut elementum in loco suo naturali non gravat, secus verò si extra illum reperiatur; sic peccatum adhuc in voluntate & affectu manens non gravat, aut angit; secus verò, si affectus fuerit depositus.

### *Fuga.*

*Stapl. tex. 3. in Dom. 3. Quad.* II. Sicut si septem latrones domum tuam ingressi fuissent, & sex ejecisses, non quiesceres, donec etiam septimum ejiceres; ita non contento esse debemus, ut unum duntaxat alterúmve peccatum animo ejiciamus, sed omnia extirpanda sunt.

*Lanciz. 6. pusc. 16. n. 75.* III. Sicut si Mercator haberet famulum, quem adverteret fuisse causam, ne quotidiè centum millia ducatorum lucratus fuerit, eum unq; domo expelleret, nec unquam ampliùs admitteret; ita cùm sciamus, quod per peccatum ab inexplicabili lucro gratiæ & gloriæ cœlestis impedito fuerimus, meritò id à nobis expellere, & nunquam ampliùs admittere deberemus.

### *Damnum.*

*S. Basil. in Ps. 33.* IV. Sicut fumus apes fugat, & fœdus odor columbas expellit; ita Angelum vitæ nostræ custodem abigit, multâ lacrymarum aspergine dignum, ac graveolens peccatum.

*Staplet. tex. 3. in Dom. 9. post Pent.* V. Sicut columba accipitrem fugiens, mutat semper locum, ipsisque etiam vepribus ac spinis se immergit, nec tamen sic evadit, sed fatigata hosti in prædam cedit; sic Peccatores undique urget conscientiæ & gehennæ metus, nec tamen illum evadunt. Unde dicere coguntur cum Davide: Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me.

*S. Basil. apud Beirl. in Theatro V pecc. f. 151.* VI. Sicut adversus Viduam omnes ferè insurgunt, quia neminem habet, qui eam defendat; sic omnes Dœmones & Creaturæ adversus animam DEO destitutam, ut testatur S. David dicens: Qui quærebant animam meam, concilium fecerunt in unum dicentes: DEUS dereliquit eum: persequimini, & comprehendite eum, quia non est, qui eripiat.

*Iac. Alv. to. 2. l. 1. p. 1. c. 4.* VII. Sicut Paterfamilias furem suâ diligentiâ jam non valentem fugere, sinit plura furari, ut comprehensum evidentius de furto convincat, & severiùs puniat; ita DEUS peccatorem finit in plura peccata labi, ut graviùs postea castigetur.

*Arrias de gravitate peccati. c. 38.* VIII. Sicut si homo aliquis per terram extensus gestaret pondus ingentis turris aut rupis, etiamsi omnes ei voluptates offerrentur, nihil solatij inde perciperet, donec pondus amotum esset; ita nec homo, cui immensum pondus peccati incumbit, solidam consolationem percipere poterit, donec pondus hoc ablatum fuerit.

### *Veniale Peccatum.*

*S. Macar. ho. 43.* IX. Sicut hortus, licet quoad omnia bene excultus sit, si tamen vel à modica aquâ illidentis fluminis alluatur, paulatim consumitur; ita & animus hominis tandem collabitur, si frequenter à peccatis venialibus infestetur.

*S. Ambros. in Ps. 1.* X. Sicut in stipulam ignis exiliens inhæret, donec omne, quod corripuit, absumat; ita vel exigua scintilla peccati, si quo vitiorum fomite fuerit excitata, grande incendium excitat.

*S. Chrysost. in c. 3. Gal.* XI. Sicut in corporibus, quæ vulnera neglexerunt, febres gignunt & putrefactiones, ac mortem denique; itidem in animis, qui pusilla dissimulant, majora invitant.

*S. Anselm. l. de simil. c. 122.* XII. Sicut pisces decurrente aquâ vivarij moriuntur, si clausuræ ipsius minutatim ac læpe crepant, nec reficiuntur; ita omnis Religio funditus perit, si custodia ejus per modicarum contemptum culparum paulatim à fervore suo tepescit, attestante Scriptura: Qui spernit modica, paulatim decidet.

### *Relapsus in Peccatum.*

*Resign. l. 2. disc. rel. c. 19.* XIII. Sicut is, qui in eandem febrim incidit, graviorem semper experitur, ita ut denique omnino à Medicis desperetur; ita cùm anima ab æstu concupiscentiæ ad pristina peccata frequenter revocatur, denique omnino à Christo velut vero animarum Medico deseritur.

*S. Ambros. in Ps. 1.* XIV. Sicut ij, qui in luto se versant, quò magis volutantur, eò ampliùs inquinantur; ita qui se semel luto improbitatis asperserit, nisi ab eo velociter exiliat, gravius sibi dedecoris sui cœnum per singulos dies lutulentæ conversationis obducit.

*Stapl. text. 2. in Dom. 11. post Pent.* XV. Sicut qui cerasa manducant, ab initio non nisi duo aut tria manducare proponunt, sed illa tria sua dulcedine ad viginti, imò ad centum trahunt, & graviter valetudinem lædunt; ita unum peccatum repetitum ad frequentiorem repetitionem allicit.

*Idem tex. 1. in Dom. 21. post Pent.* XVI. Sicut animalia, quæ angustas venas habent, ex veneno non facilè pereunt, quoniam virus ad cor facilè penetrare nequit; quæ autem venas amplas sortita sunt, celeriùs veneno extinguuntur; sic qui conscientiam angustam ex timore DEI & justitiæ ejus habent, difficulter venenum peccati in cor admittunt; quibus verò larga conscientia est, nullo timore constricta, facilè cuilibet peccato consensum præbent.

*Idem tex. 6. in Dom. 3. Quad.* XVII. Sicut qui sæpius in carcerem conjicitur, tandem verecundiam & pudorem carceris exuit, nec detentionem magnopere curat; sic Peccator sæpius recidivus implet illud Jeremiæ: Frons meretricis est tibi, nescis erubescere. *Ierem. 3.*

XVIII. Si-

*Ibid.* XVIII. Sicut vestis ex nimio usu tandem sic destruitur, ut reparari nequeat; sic peccata in consuetudinem deducta ita debilem animam efficiunt, ut nec inspirationes DEI, nec hominum admonitiones quidquam proficiant in ea restauranda.

*Ibid.* XIX. Sicut ij, qui juxta rapidissima flumina commorantur, auribus usu obsurdescentibus, molestissimum aquarum fragorem, sine ulla molestia perferunt; sic consuetudo delinquendi minuit admirationem delicti, facitque, ut parùm de eo emendando cogitetur.

*Ibid.* XX. Sicut, qui vicinum habet Fabrum, cujus malleus die noctéque incudem ferit, principio quidem molestè fert, & somnum inquietum ducit; tandem tamen diu assuefactus nihil molestiæ percipit, sed inter ipsos ictus altùm stertit; sic peccator ab initio quidem suos remorsus sentit, sed consuetudine & usu peccati ita induratur, ut nullo conscientiæ, quantumvis valido ictu excitetur.

*Stapl. in Sexag. tex. 5.* XXI. Sicut cùm intus in domo omnia plena sunt tumultu, & strepitu, audiri non potest, qui foris pulsat, nisi fortissimè & crebrò id faciat; sic à corde insanis cupiditatibus pleno audiri verbum DEI non potest, nisi fortius intonet.

*Ibid.* XXII. Sicut ignis scintilla, facilè accendit ligna arida, difficulter verò viridia & humentia absumit; ita auxilium DEI recenter lapsos facilè, difficulter autem aut omnino nunquam diuturna peccandi consuetudine obduratos convertit.

*Staplet. in tex. 5.* XXIII. Sicut soporiferis febribus suporatos si vellices, & magnis clamoribus à somno excites, attollunt quidem oculos, sed mox humoris abundanriâ suppressi iterum obdormiunt; sic peccatorum somno, consuetudine ac voluptate consopitis accidit, ut, si pro concione excites, vigilare & emergere quidem nonnihil conentur, consuetudinis tamen pondere oppressi in pristinum somnum & mores delabantur.

*Staplet. text. 6. in Dom. 3. quadr.* XXIV. Sicut Samson primò duobus funibus lineis, deinde nerviceis, & demum septem funibus novis alligatus fuit, &, quantò magis in Dalilæ consuetudine perseverabat, tantò fortioribus eum vinculis alligabat; ipsósque tandem oculos eruit, ac Philistæis illudendum ac occidendum tradidit; ita peccator Dalilæ suæ, id est, carnis blanditiis obsequens, ex parvis malis in majora pertrahitur, & tandem omnino crinibus (id est, verecundiâ) & oculis rationis privatus Diaboli potestati traditur.

## §. IX.

## MOTIVA.

### *Pro peccati mortalis fuga.*

I. **Q**Uia *DEI gravissima offensa est*: uti colligi potest ex triplici capite. 1. ex eo, quòd DEO cultum debitum, imò & ipsam Deitatem auferat, & idololatriam induat, de qua Isaias dixit: Repleta est terra Idolis: opus manuum suarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum. Et incurvavit se homo, & humiliatus est vir: ne ergo dimittas eis. Nam ut rectè S. Hieronymus discurrit, ridiculum est, quòd aliquis judicetur Idololatra, qui duo grana thuris offert creaturæ, quæ debuit DEO offerre; & ille non judicetur Idololatra, qui totum servitium vitæ, quòd DEO debuit offerre, offert creaturæ. Imò, ut S. Bernardus ait, in ipsum desævit Authorem, &, quantùm in ipso est DEUM perimit. Omnino enim vellet DEUM peccata sua aut vindicate non posse, aut nolle, aut nescire. Vult ergo eum non esse DEUM, quia, quantùm in ipso est, vult eum esse aut impotentem, aut injustum, aut insipientem. 2. Ex eo; quod DEUS fecit in vindictam peccati; Nam teste S. Bonaventura, nihil posset cogitari, quin DEUS fecerit propter odium peccati; ipse enim propter peccatum semel dissipavit ferè omnia opera sua, scilicet totum mundum per diluvium. Alii Reges & potentes in præjudicium odiúmque suorum Inimicorum depopulant terras eorum, DEUS autem dissipavit terram propriam, quia peccatum intraverat terram suam. Alii homines propter vinum corruptum non projiciunt in mare vasa aurea, vel argentea, sed servant vasa, & vinum effundunt: DEUS autem non solùm peccatum, sed etiam vasa peccati, id est, creaturas rationales ad imaginem suam factas, & suo pretioso sanguine redemptas in odium peccati projicit in oceano infernali. 3. Ex eo, quòd ordinavit, ut pœnitentia Peccatoribus pœnitentibus semper valeat; nam, ut rectè S. Augustinus colligit, constat ei peccata multùm displicere, quæ semper præstò est, ea per pœnitentiam destruere. Si enim ea amaret, non ita semper destrueret. Sed semper destituit peccata, quæ invenit, ne solvantur, quod creavit: ne corrumpatur, quod amavit.

*Isa. 2. v. 8.* *S. Hier. in ep. ad Rust.* *S. Bern. s. 3. de Resurr.* *S. Bonav. in diat. sal. c. 1.* *S. Aug. de vera & falsa pæn. c. 5.*

II. Quia *ipsius etiam Christi gravissima offensa est*: id quod præclarè S. Bernardus ostendit dicens: Ex consideratione remedii, periculi mei æstimo quantitatem. Nesciebam, & ecce mittitur Virginis Filius, Filius altissimi DEI, & jubetur occidi, ut vulneribus meis prætioso Sanguinis illius balsamo medeatur. Agnosce, o homo, quàm gravia sint vulnera, pro quibus secundùm divinæ sapientiæ ordinem necesse est, Dominum Christum vulnerari. Si non essent hæc ad mortem, & mortem sempiternam, nunquam pro eorum remedio DEI Filius moreretur. Hinc meritò S. Bonaventura dicit: Apparebit Dominus DEUS cum vulneribus suis & clamabit dicens: videtis quanta à vobis, in vobis, & pro vobis passus sum: & tamen ingrati omnia contempsistis, & pro nihilo duxistis: Ite maledicti in ignem æternum.

*S. Bern. s. 1. in nat. Dom.* *S. Bonav. p. 1. stim. c. 1.*

III. Quia *turpissimam animæ maculam affert*: si enim tantò turpior est macula, quantò pretiosior est & pulchrior res maculata; quid animâ pretiosius? nihil ergo peccato sordidius, nihil immundius, ait rectè S. Chrysostomus.

IV. Quia *gravissimum pœnæ æternæ reatum adducit*: Si ergo nemo vel integrum etiam re-

gnum acciperet, ut per unicum diem in fornace ardenti jaceret, & torqueretur; quanta insania erit, æternùm sævissimis & inexplicabilibus inferni tormentis velle cruciari, ut levissimâ & momentaneâ voluptate quis fruatur.

*Ier. 2. n. 19.* V. *Quia summum animi cruciatum etiam in hac vita affert*: juxta illud Jeremiæ: arguet te *Gen. 4. v. 7.* malitia tua, & aversio tua increpabit te. Id quod Caino dixit DEUS: Nonne si bene egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus *S. Aug. super ps. 36.* peccatum aderit. Hinc S. Augustinus, Peccatoribus, ait, non est locus in his, quæ foris sunt, quia ibi patiuntur tribulationes, ubi conscientia illos consolatur. Non est illis bene secum, quia bene esse cum malo non potest. Quisquis autem malus est, malè secum est. Torqueatur, necesse est, sibi, seipso tormento. Ipse enim est pœna sua, quem totquet conscientia sua. Fugit ab inimico, quò potuerit, à se quò fugiet?

*Senec. ep. 98.* Sequitur seipse, inquit Seneca, & urget gravissimus comes, animi morbus, & conscientiæ mastix. Tuta enim scelera esse, secura non possunt. Multos fortuna liberat pœnâ, metu neminem. Quare? quia infixa nobis ejus rei aversatio est, quam natura damnavit. Potest *Iob 15. v. 21.* ergo nocenti contingere, ut lateat: latenti fiducia non potest. Hinc Job: Sonitus terro- *Levit. 26. v. 17.* ris semper in auribus illius, &, cùm pax sit, ille insidias suspicatur. Et ipse DEUS: Ponam faciem meam contra vos, & fugietis nemine persequente.

*S. Ambros. l. 2. de Iacob. c. 3.* VI. *Quia turpissimæ servituti subjicit*: nam teste S. Ambrosio, qui facit peccatum, servus est peccati, &, quod peius est, multorum servus est: qui subjectus est vitiis, multis se Dominis addixit, ut servitio ei exire vix liceat. Et ju- *S. Chrys. hom. 9. in 2. Epist. ad Corint.* xta S. Chrysostomum, barbarum est, peccatum, tyrannidem exercens in animam semel captam, sed in perniciem eorum, qui ipsum suscipiunt. *S. August. in expos. ep. ad Rom.* Imò ipsius etiam Diaboli servituti subjicitur, ut rectè S. Augustinus dixit: Unusquisque peccando animam suam Diabolo vendit, accepto tanquam pretio dulcedine temporalis voluptatis: si ergo Esau stultum judicamus, dum pro vili esca primogenituram vendidit; quantò magis insipientem censebimus hominem, qui pro vilissima voluptate non jus duntaxat suum, sed seipsum vendit?

*S. Cypr. de Card. oper.* VII. *Quia summè dedecet Christianum*: nam S. Cyprianus Martyr, non pertinet, inquit, ad te, Domine, qui te non diligit; nec diligit te, qui scienter offendit. Indignum enim prorsus, & à ratione alienum est, ut anima voluntariè delinquens copuletur Verbo DEI; *S. Laurent. Iustin.* & cœlesti sponso, ut rectè dixit S. Laurentius Justin.

## Pro peccato veniali.

*Euseb. Nier. de adorat. l. 2. c. 13.* I. **Q**Uia *deformitas minimi peccati excedit omnem deformitatem corporalem*, etiam possibilem, cùm pretiosioris rei pretiosior sit corruptio.

II. Quia peccatum veniale est *summum malum* post peccatum mortale, nocetque magis animæ quàm omnes morbi simul sumpti corpori nocere solent.

III. Quia *pœnâ* omnibus pœnis & doloribus huius mundi simul etiam sumptis *graviori punitur*; quis autem, si videret jussu Regis Sponsam & Reginam carissimam in ardentem fornacem conjectam, iudicaret, leve ab illa crimen commissum?

IV. Quia suspendit munificentiam DEI, & amorem nostrum erga illum in hac vita, & eius visionem in altera; quomodo ergo parvum dicetur? an parvum videbitur, quod ingens saxum de cælo cadens in aëre suspenderet?

V. Quia *tantum malum* est, ut priùs omittere illud debeat homo, quàm millies mori, quàm cælum & terram permittere in nihilum redigi, quàm totum genus humanum damnari: Unde B. Virgo maluisset, Filium suum sine peccato propriis manibus occidere, quàm in peccatum etiam minimum consentire.

VI. Quia *multitudo eorum periculum facit*; nam multæ arenulæ apprimunt navim, multæ locustæ agros destruunt, multæ guttæ magnam inundationem faciunt, multa parva vulnera mortem afferunt; ita si parva hæc peccata vitare negligimus, insensibiliter seducti, audenter etiam majora perpetramus, teste S. Gregorio. *S. Greg. l. 10 mor. c. 14.*

VII. Quia veniale peccatum vitando *majus B. Virgini & Christo obsequium præstatur*, quàm si in monte Calvariæ quis se loco Christi substituisset, ut pro illo crucem portaret, & in eam penitus affigeretur.

## Pro relapsu.

I. **Q**Uia per relapsum, *summum ingrati animi vitium committitur*, dum pro summo bono, scilicet animæ nostræ salute, summum malum rependimus, unde meritò Deum summè offendi necesse est; nihil enim perinde DEO displicet, præsertim in Filiis gratiæ, quàm ingratitudo, teste S. Bernardo.

II. Quia *impedit ab oratione, & fructu SS. Sacramentorum percipiendo*; si enim ij, qui morbo caduco laborant, ad Sacrificium in altari offerendum non admittuntur; quantò magis, qui morbo caduco spirituali laborant, pro Sacrificio orationis offerendo indigni censebuntur?

III. Quia *in manifestum salutis periculum* præcipitat: non minùs, quàm febris calida, si frequentiùs in illâ labi contingat, & plerumque vulnera recrudescentia periculosiora fiunt.

IV. Quia *turpissimam homini notam inurit*: si enim cibos, quos semel sumpsimus, resumere turpissimum censemus; quantò magis turpe erit peccatum semel è corde ejectum sponte resumere.

V. Quia difficiliorem emendationem reddit: quò enim frequentiùs vas aliquod liquore imbuitur, tantò difficiliùs ab eodem liberatur.

§. X. ME-

## §. X.

## MEDIA.

I. P*Ræſentia DEI aſſiduò cogitata:* nam teſte Seneca, magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis aſſiſtat; quantò magis ſi aſſiſtentem DEUM cogitemus? Certè hîc cum veritate quivis peccator illa S. Marthæ verba uſurpare poteſt: Domine, ſi fuiſſes hîc (per memoriam præſentiæ tuæ) Frater meus non fuiſſet mortuus.

*Jo. 11. v. 21*

II. *Noviſſimorum memoria*: ſic enim Siracides ſuaſit, dum dixit: In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternùm non peccabis.

*Eccl. c. 7.*

III. *Uſus frequens Euchariſtiæ*: Nam, teſte S. Bernardo, duo præſtat in nobis, ut ſcilicet ſenſum tollat in minimis, & in gravioribus tollat omnino conſenſum.

*S. Bern. in Serm. de cœn. Dom.*

IV. *Paſſio Chriſti in memoriam revocata*: hæc enim eſt Angelica contra peſtem; hæc eſt fel piſcis, quo S. Raphaël Dœmonium fugavit: maximè ſi ob oculos Chriſtus ponatur, & fingatur illis S. Auguſtini verbis alloqui: cur me graviore tuorum criminum cruce, quàm illâ, in qua pependeram, afflixiſti? gravior apud me peccatotum tuorum crux, in qua invictus pendeo, quàm illa, in quam tui miſertus aſcendi.

*S. Aug. ſerm. 181. de temp.*

V. *Oratio crebra*: nam, ut rectè Innocentius S. Scripſit, niſi magnis precibus gratia in nos implorata deſcendat, ne quicquam terrenæ labis & mundani corporis vincere conamur errores, cùm pares nos ad reſiſtendum non liberum arbitrium, ſed DEI ſolum facere poſſit auxilium. E contrario verò impoſſibile eſt hominem congruo precantem ſtudio, & aſſiduè DEUM orantem, Deóque continuè ſupplicantem, unquam peccare, unquam in peccatum incidere. Id quod fusè probat, ac demonſtrat. S. Chryſoſtomus l. c.

*S. Innocent ad Conc. Chartag.*

*S. Chryſoſt. ho. 79. ad Pop.*

VI. *Radicem peccatorum tollere*: Nam, ut bene advertit Abbas Prinuffius apud Caſſianum, nullus obtinere ſe poſſe credat, ut motus atque affectus, per quos pœnitenda commiſimus, de noſtris cordibus amputentur, qui non priùs ipſas cauſas atque materias, pro quibus in illa collapſus eſt crimina, omni ſpiritus fervore ſucciderit. Quænam autem ſit radix iſta, clarè indicavit S. Bonaventura, dum dixit: peccatum omne originem ducit ex inordinata converſione ad triplex illud commutabile bonum, divitias, honores, & carnis voluptates. Ex quo manifeſtum eſt, ſummam omnem ſalutis noſtræ in hoc conſiſtere, ut offenſiones & lapſus in triplici hac materia evitentur. Quâ ratione autem hæc radix tolli debeat, docuit S. Ambroſius dicens: ſi à radice vitia vis evellere, caritatis ignem applica, quo paſſiones univerſæ ac vitia ſuperantur. Nam, ut S. Proſper rectè dixit, ſi DEUM ex toto corde diligamus, nihil erit in nobis, unde peccati deſideriis ſerviamus.

*Caſſianus coll. 20. c. 10.*

*S. Bonav. in apolog. pauper.*

*S. Ambroſ. apud Beurl. ſb. 5. in feſt. S. Magd.*

VII. *Occaſionum fuga*: ſic enim hortatus eſt S. Grgorius dicens: non erubeſcamus fugere; glorioſa enim fuga eſt, fugere à facie peccati.

*S. Proſper. l. de vit. cont. c. 15.*

VIII. *Contra unum peccatum ſpecialiter*: ſic enim quondam Senex quidam Fratri quærenti, quomodo vitiis reſiſtere poſſet? reſpondit: non repugnes contra omnes, ſed contra unam; omnes enim cogitationes Monachorum habent unum caput; neceſſarium ergo eſt, quæ & qualis ſit, conſiderare, & adverſus illam reniti; ita enim & reſiduæ cogitationes humiliantur.

*Vita PP. l. 5. lib. 10. n. 88.*

IX. *Præparare ſe ad certamen, & prævidere hoſtis inſidias & artes*: nam, ut ſapienter Theodorus Studita dixit, expedit conſtituta habere, quæ formides, ante terrorem; ut egregiè bello commiſſo prodeamus in aciem. Facilis eſt enim animus vinci, imparatus, qui hand procinctus derepentè ineat certamen.

*Theod. Stud. ſer. 16.*

## §. XI.

## ASCETICA.

I. M*Ulta ſunt, quæ Aſcetam de peccatò ſcire oportet, ſed ſequentia præcipuè.* 1. Cur non tantùm magna, ſed etiam minima peccata fugienda ſint; nempe quia, qui ſpernit modica, paulatim in majora decidet. Hinc, teſte S. Marco Eremita, Diabolus modica delicta elevar, & extenuat; alioqui enim ad majus malum aut vitium hominem adducere non poſſet.

*Eccl. 19. v. 1.*

*S. Marcus. l. 1. de leg. Spir. n. 90.*

II. Secundò ſciendum eſt, cur ejuſmodi peccata ab Aſcetis, & virtutis aſſeclis ſpecialiter vitanda ſint, nimirum quia, ut S. Gregorius Nazianzenus rectè dixit, his ruga una turpior eſt, quàm maxima vulnera iis, qui in mundo vivunt; nec enim tam notabilē & conſpicuam in ſordidis, quàm in puris unius coloris veſtibus labes aliqua fœditatem habet. Quo nitidiores manus, inquit S. Bernardus, eò graviùs quivis nævus in eis offendit: & ſicut pretioſam veſtem exigua quævis macula turpiùs decolorat. Nobis ad immunditiam minima quælibet inobedientia ſufficit; nec jam nævus eſt, ſed gravis macula, ſi in actionibus noſtris vel minorum reſidet negligentia mandatorum. Quis enim ferat Filium, inquit Claudius Aquaviva Soc: JESU Generalis, dicentem: revera diligo Patrem, ſed citra lethalia vulnera & mortem, quidquid illi injuriarum & moleſtiarum inferre potero, faciam omnia ſine reſpectu ullo & liberrimè: nec tantillùm curo, magis an minùs ei placeam, modò hæreditate me non privet, vel morte puniat.

*S. Greg. Orat. de fuga.*

*S. Bern. ſ. de trepl. cuſt.*

*Claudius Aquav. Ind. c. 11. n. 6.*

III. Tertio ſciendum eſt, quæ peccata venialia ſpecialiter ab Aſceta vitanda ſint. Pro quo ſciendum, triplicis generis peccata venialia reperiri. Videlicet 1. *Majora*, quæ quidem ex ſe mortalia ſunt, ſed ob carentiam pleni & deliberati conſenſus, aut ob materiæ exiguitatem venialia redduntur. Qualia ſunt, cogitatio impudica, & appetitus vindictæ, cui negligenter, ſed ſine conſenſu, reſiſtitur: detractio in materia levi: violatio paupertatis in exigua quantitate, & ſimilia, quæ ligno comparantur, quia craſ-

crassiora sunt; & graviori ac longiori igni in Purgatorio materiam subministrant nisi hic expientur. 2. *Media*, quæ ex genere quidem venialia sunt, sed cum deliberata voluntate committuntur, ut sunt officiosa mendacia, otiosi sermones, scurrilitates, cachinnationes, curiositates audiendi, aut legendi vana, adulationes Prælatorum, aut Majorum, ambitiones, & similia, quæ fœno similia dicuntur, quia ut fœnum sunt pabulum Jumentorum, id est, imperfectorum, & igni quidem satis grandi, sed brevius duraturo materiam suppeditant. 3. *Minima*, quæ ex fragilitate & semiplena advertentia originem ducunt, ut sunt modica distractio in oratione, motus vanitatis, affectus complacentiæ, immoderatus rigor ex bono Zelo procedens, nimia mansuetudo in corrigendo, nonnulla tristitia & anxietas in operibus perficiendis, modicus excessus in cibo & potu sumendo, indiscretus fervor, & similia, quæ stipulis assimilantur, quoniam sicut palea citissimè à vento rapitur, & tenui flammâ consumitur, ita & ipsa, quia multùm infirmitatis, parùm autem voluntatis habent, citiùs igne purgatorio absumentur. Ex his ergo cùm omnia collectivè accepta vitari non possint absque speciali DEI gratiâ, ea saltem, quæ sub secundo & primo genere continentur, studiosè sunt ab Ascetis vitanda, utpote quæ à perfectione assequenda specialiter impediunt.

IV. Quartò sciendum est, cur DEUS etiam à perfectis viris ejusmodi peccata venialia, & quidem sæpe illis occulta, committi permittat; nimirum quòd, ut S. Climacus ait, sint apud viros spirituales quædam vitia plerumque vilissima, mirâ DEI dispensatione relicta, ut per illa, quæ sine peccato sunt, seipsos semper valdè accusantes, humilitatis opes inviolabiles acquirant. Occulta vero juxta S. Augustinum (id est, talia, de quibus periculosissimum sit definire) permittat, ne studium proficiendi ad omnia peccata cavenda pigrescat: quoniam si scirentur, quæ vel qualia sint delicta, pro quibus etiam permanentibus, nec profectu melioris vitæ absumptis intercessio sit inquirenda, & sperandа justorum, eis secura se obvolveret humana segnities, nec evolvi talibus implicamentis ullius virtutis expeditione curaret.

*S. Climacus grad. 26.*

*S. August. l. 21. de civ. c. 27.*

V. Quintò sciendum est, cur nonnulla peccata DEUS in hac vita puniat, & alia multa relinquat; nimirum quia, ut S. Gregorius ait, si nulla resecaret, quis DEUM res humanas curare crederet? Et rursus si hic cuncta percuteret, extremum judicium unde restaret? Quædam igitur feriuntur, ut Rectoris nostri super nos sollicitudinem formidemus; quædam verò inulta servantur ut adhuc Judicem restare sentiamus.

*S. Greg. l. 26. mor. c. 18.*

VI. Sextò sciendum, quousque possit homo omnia peccata venialia vitare, nimirum quòd 1. nemo Justorum viribus propriis, sine divina gratia ab omnibus venialibus peccatis abstinere possit, ita enim clarè S. Joannes pronunciavit, dum dixit: Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Impossibile namque est, quemlibet Sanctorum non istis minimis, quæ per sermonem, per cogitationem, per ignorantiam, per oblivionem, per necessitatem, per voluntatem, per obreptionem, per somnium admittuntur, incurrere, ut notat Cassianus. Nec facilè, teste S. Leone, provenit cuiquam tam incruenta victoria, ut inter multos hostes, frequentésque conflictus, etiamsi sit liber à morte, fit quoque immunis à vulnere. 2. Possit tamen cum auxilio divinæ gratiæ vitare singula & omnia peccata divisim sumpta, uti communis sensus SS. PP. & Theologorum contra Hæreticos docet. Unde rectè S. Chrysost. ait: Non potes dicere, non possum, neq; accusare conditorem. Si enim impotentes nos fecit, & dainde imperat, culpa ejus est; quomodo ergo inquis, multi non possunt? quomodo ergo, multi nolunt? si enim voluerint, omnes poterunt; habemus quippe cooperatorem & adjutorem DEUM tantùm velimus, tantum opere accedamus ad rem ipsam. Deus enim, ut ait S. Hieronymus ita concessit liberum arbitrium, ut suam per singula opera gratiam non negaret. Quocirca justè instat præcepto, ait S. Leo, qui præcurrit auxilio. 3. Possit cum divina gratia per totam vitam vivere sine peccatis cum plena deliberatione commissis; ita enim manifestè docet S. Clemens Alexandrinus, dum ait: Optimum est, nullo modo peccare, quod est solius DEI; Secundum nullum ex voluntariis attingere maleficiis, quod est proprium sapientis: Et multorum exemplis supra §. 5. & 6. ostensum est. 4. Possit etiam per longum tempus abstinere ab omnibus indeliberatis peccatis; uti fusè tum authoritate Conciliorum & SS. PP. tum exemplis plurimis probat Lancizius.

*1. Jo. 1. v. 10.*

*Cassian. coll. 11. cap. 10.*

*S. Leo f. 4. de jejunio. dec. mens.*

*S. Chrysost. ho. 16. in ep. ad Hebraeos.*

*S. Hier. in epist. ad Cypr.*

*S. Clemens l. 2. pæd. c.*

*Lanc. opusc. 16. c. n. 161.*

VII. Septimò sciendum, quomodo peccata venialia ad mortale disponere dicantur, scilicet duplici modo, ut docet Tannerus. 1. *Directè & per se*: quatenus generatim quendam DEI ac rerum divinarum neglectum inducunt, & in certâ materiâ, frequentata habitum generant, quo animus facilitetur ad actus similes etiam in gravi materia exercendos. 2. *Indirectè & per accidens*: quatenus removent prohibens seu obstaculum peccati mortalis, scilicet fervorem caritatis, & aliarum virtutum habitum, peculiaria quoque gratiæ auxilia, quibus alioqui homo fuisset à peccato mortali inhibitus. Quæ omnia complexus est breviter S. Albertus Magnus, dum in compendio suæ Theologiæ dixit: Peccatum veniale minuit fervorem caritatis, sicut aqua in ignem projecta, licet ignem non extinguat, fervorem tamen illius temperat. Item potentias animæ in bonis operibus lassat, sicut quando ponitur pondus super equum, minùs erit promptus ad ambulandum. Item bona cœlestis gloriæ diminuit, non quidem illa, quæ jam habemus ibi per meritum reposita, sed quæ deberentur, si venialia non fuerint, quia in eo tempore possunt aliqua bona fieri, quando illa fiunt.

*Tanner. l. 2. disp. 4. q. 5. dub. 3. n. 55.*

*S. Albertus l. 3. c. 13. comp. Theol.*

§. XII.

## §. XII.

## CONCEPTUS PRÆDICABILES.

### *De Peccato mortali.*

Luc. 7. v. 12. I. EX occasione thematis : *Ecce defunctus efferebatur :* potest peccator Adolescenti huic mortuo comparari, & 1. Ostendi, quòd & ipse per suggestioné à temperie & quiete mentis dimoveatur : per delectationem infirmetur : per consensum moriatur : per consuetudinem efferatur : per contemptum sepeliatur : per obdurationem gravi lapide opprimatur. 2. Quòd loculus extinctæ animæ sit corpus : Quatuor portitores amor peccati, timor pœnitentiæ, spes longioris vitæ, præsumptio de DEI misericordiâ, Sepulchrum stulta securitas conscientiæ, quæ velut gravi mole opprimit hominem, ne videat, in quo discrimine sit, 3. Quòd, ut ad vitam revocetur hic defunctus, debeat Christus per suas internas inspirationes ei efficaciter dicere : Adolescens, tibi dico, surge. 4. Quòd resideat hic defunctus, quando per peccati detestationem se erigit ad DEUM, & ad voluntatem ejus faciendam : incipiat loqui, cùm peccata confitetur : surgat omnino, cùm per opera satisfactionis, & vitæ emendationem ambulat in DEI lege : detur Matri suæ, cùm Ecclesiæ restituitur, ejúsque curæ ac sollicitudini commendatur.

Jo. 20. v. 17 II. Ex occasione thematis : *Noli me tangere :* potest narrari historia de Fenella Regina, quæ, cùm odium concepisset erga Maritum suum Kemetum, pomum præparari jussit exteriori quidem specie pulcherrimum, sed intus sagittis plenum, eáque arte confectum, ut in eum, qui pomum ab altero ablatum arriperet, omnes illæ sagittę erumperent ; hoc ergo simulans amorem & specialem benevolentiam cùm obtulisset Marito, ille incautè illud arripiens, miserè à telis erumpentibus interemptus est. Subinferatur postea idem cuivis Peccatori contingere à Mundo, carne, & Diabolo, dum & hi pomũ pulcherrimum, scilicet concupiscentiam divitiarũ, voluptatum, honorum offerunt, seu, quod idem est, ad peccatum per consensum arripiendum invitant, sed non alio cum effectu, quàm quòd innumera tela, id est, damna erumpentia miserè animam penmant. Unde poterunt breviter ejusmodi damna explicari, præcipuè quòd noceat peccatum fortunis, famæ, corpori, animo, privans omni & summo bono, & onerans gravissimo & summo malo, pœnâ scilicet æterna damni & sensûs. Unde meritò peccatori suadendum, ut prævideat hunc dolum Mundi, Carnis & Diaboli, ac in omnibus suis operibus ac tentationibus memoret novissima seu exitum hujus pomi arrepti, ut in æternum non peccet.

Eccl. 11. v. 35. III. Ex occasione thematis : *Attende tibi à pestifero, fabricat enim mala* : potest peccatum Pesti comparari ob quatuor potissimùm causas. 1. Quia sicut pestis est malum valdè hæreditarium, quod facillimè ex consortio pestiferorum aut usu rerum ab illis usurpatarum contrahitur, unde monet tam sollicitè Sapiens : attende à pestifero. 2. Quia, sicut pestis, citò interitum affert animæ ; anima enim, quæ peccaverit, morietur, teste Ezechiele. Ezech. 18. v. 4. 3. Quia sicut ulcus seu bubo per pestem generatus vehementer urit & cruciat corpus, ita peccatum gravissimum cruciatum animæ per stimulum conscientiæ affert. 4. Quia sicut ob pestem aversantur, & fugiunt homines pestiferum ; ita peccator ob peccatum mortale à DEO, Angelis, Sanctis, & etiam Hominibus in terra odio habetur, deseritur, & declinatur. Inferatur ergo, si homines pestem corporalem tantopere timent, & tam solliciti sunt in mediis pro ea avertenda præparandis & adhibendis, quantò magis similis cura & industria pro peste hac spirituali avertenda sit adhibenda. Et 1. Quidem DEUS & Sancti invocandi. 2. Consortia pestiferorum hominum, & loca peste infecta seu occasiones peccandi declinanda 3. Varia remedia pestiferum aërem excludentia usurpanda, præcipuè Angelica timoris Domini; succus amarus seu lacrymæ ex corde seriò pœnitente, & amore divino accenso expressæ ; cibus S. Eucharistiæ sumptus, quia qui ab hoc abstinent, & jejuni sunt, facilè contrahunt malignum peccati habitum : unguentum considerationis novissimorum temporibus, id est, intellectui & voluntati allitum.

IV. Ex occasione thematis : *De ligno scientiæ boni & mali ne commedas* : potest peccatum Gen. 2. v. 17. huic ligno comparari, & pessimi effectus ex ejus comestione secuti explicari ; videlicet 1. *apertio* Gen. 3. v. 7. *oculorum* juxta illud Sacri textus : Et aperti sunt oculi ambotum, quia, ut bene Serapion Scriptor Græcus advertit, fit quotidie in nobis, quod in primis Parentibus factum est : quando Apud Fab. conc. 1. in peccamus, tunc cæci sumus : ubi peccavimus, Dom. 7. post tunc primùm agnoscimus, quantùm mali ad- Pent. misimus, nostrique facti nos pudet, tædet, ac pœnitet. 2. *Nuditas* : nam & illi cognoverunt se esse nudos. Quod & per peccatum tantò detestabiliùs contingit, quantò gravior est ablatio gratiæ & virtutum supernaturalium, quàm vestium corporalium. 3. *Confusio & pudor* : ideo enim se foliis ficuum texerunt ; magis autem Rom. 6. peccator sentit hunc effectum, ut cui meritò ob- v. 21. jicitur illud S. Pauli. Quem fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis ? 4. *Stimulus conscientiæ* : hinc enim absconderunt se à facie DEI. Quod idem patitur peccator, quia, ut benè dixit Musonius apud Gellium, cùm quis per voluptatem aliquid turpe gessit ; quod suave est, abit : quod turpe & triste est, manet. Hinc & Caino dictum à DEO : si Gen. 4. autem malè egeris, statim in foribus peccatum v. 7. est, id est, stimulus peccati. 5. *Metus pœnæ* : hinc enim dixit Adam : vocem tuam audivi, & timui. Tantò magis autem timere debet peccator, quantò plura & graviora peccata admisit.

Incitandi ergo Auditores, ut vel primorum Parentum exemplo sapiant, & ab hoc pomo abstineant. Unde Fabrum l. c.

Luc. 17. v. 14. V. Ex occasione thematis : *Ite, ostendite vos Sacerdotibus* : potest peccatum lepræ comparari ob varias causas. 1. Quia sicut lepra totum corpus, ita peccatum totam animam inficit. 2. Quia sicut lepra tetrum odorem in corpore, sic peccatum in anima infamiam, quæ pessimus est odor moralis, generat. 3. Quia sicut lepra separat à consortio hominum, ideóque Leprosi ex urbe excluduntur; sic peccatum à consortio DEI & Sanctorum & civitate Cælesti excludit. Inferatur ergo, quàm æquum sit, ut cum decem Leprosis, de quibus Evangelium Dominicæ decimæ tertiæ post Pentecosten loquitur, ad Christum confugiatur, dicatúrque : JESU, Fili David, miserere nostri. Et quoniam Christus pariter dicit : Ite, ostendite vos Sacerdotibus : huic ipsius consilio seriò pareatur.

Luc. 18. v. 31. VI. Ex occasione thematis : *Ecce ascendimus Jerosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis* : potest Ostendi, quomodo per peccatum passio Christi renovetur, & 1. quidem *vendatur* pro vili pretio voluptatis cum Juda. 2. *Vinciatur* per funes & vincula inordinatorum affectuum. 3. *Negetur* cum Petro, dum verbis confitetur se
Ps. 128. v. 3. nosse ipsum, factis autem negat. 4. *Flagelletur* per actus peccatorum repetitos, sicque impleatur illud Psalmi : supra dorsum meum fabricaverunt peccatores. 5. *Coronetur* : per contemptum & congitationes malas in capite præcipuè residentes. 6. *Cruce gravetur* : peccata sua quâvis cruce graviora ipsi imponendo
Isaiæ 53. v. 12. juxta illud Isaiæ : Cum sceleratis reputatus est, ipse peccata multorum tulit. 7. *Crucifigatur* :
Hebr. 6. v. 6. juxta illud Apostoli : rursum crucifigentes sibimetipsis Filium DEI, & ostentui habentes. Unde meritò S. Bernardus sequentibus verbis homines peccatores alloquentem introducit : Cur me graviori crimimum cruce, quàm illa, in qua quondam pependeram, affixisti? gravior enim apud me peccatorum tuorum crux est, in qua invitus pendeo, quàm illa, in quam tui misertus, mortem tuam occisurus, ascendi. Videri potest hæc omnia fusiùs diducens Henricus Engelg p. 1. Lucis Evang. conc. in Dom. Quinquag. & Juhannus Hayneufue in fer. 6. Parasceve. Verit. pract.

Jer. 2. v. 12. VII. Ex occasione thematis : *Obstupescite cæli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer, dicit Dominus; duo enim mala fecit*
Eub. Nierenberg. in l. de adorat. l. 1. c. 6. *Populus meus* : potest gravitas peccati per ingeniosam Parabolam ab Eusebio Nierenbergio propositam in hunc modum proponi : Femina erat Æthiopissa & invenusta ( Anima ) quæ pedibus & manibus ligata [ finibus & vinculis peccatorum suorum ] trahebatur à Latronibus [ Dœmonibus ] & volutabatur per fœtida loca [ turpium voluptatum ] ut in fornacem ardentem [ inferni ] conjiceretur. Hujus Rex quidam [ Christus ] cui nemo similis, misertus, ut eum liberaret, [ solus erat ] exposuit se morti pro ea, & acceptis multis vulneribus, fuso toto cruore, fugavit Latrones, & illam sanguine suo mundavit, tum in Sponsam accepit, & Reginam coronavit, exstruxit illi aulam magnificam [ orbem terrarum ] miréque eam exornavit [ tot stellis & aliis rebus pretiosis ] undique sculptam relinquens imaginem sui [ nempe in omnibus creaturis ] ut amorem illius sibi conciliaret. Disposuit quoque Familiam, & donavit ei servos innumeros, quin & ipse ministravit illi in obsequiis humilibus [ tum per humanitatem assumptam, tum per cooperationem in omnibus actionibus ] delicias suas reputans esse cum illa. Insuper instituit hæredem regni sui, promissis donis multò majoribus, si fidem servaret. Verùm illa contempto Rege [ per peccatum ] sollicitavit ad adulteria servos viliores, qui stabula curabant, & renitentes, fidémque Regi servare cupientes cogebat ad adulterium; Subinde cùm benignior ergà illam esset Sponsus, omnino illum hostibus [ Mundo ac carni ] prodidit, tradiditque, qui excæcârunt illum, & illuserunt. Denique imagunculas Regis, quæ per angulos aulæ incisæ fuerant, contempto Rege venerabatur, cúmque Sponsus coram illa esset, amplexus illius desiderans, illa terga vertebat, pertæsa Regem, & Icones illas quæritans. Quo facto illa mala commisit, quæ Populum suum fecisse, DEUS tantopere questus est dicens : Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, quæ continere non valent aquas. Quæ omnia fusiùs apud Nierenb. l. c. explicata videri possunt.

VIII. Ex occasione thematis : *Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam* : possunt Matt. 9. v. 7.
explicari potiora media ad peccatum vitandum. 1. Ergo demonstretur, Peccatorem esse similem Paralytico ad probaticam Piscinam jacenti, cùm verè & is langueat in omnibus membris, seu potentiis, non possit se juvare, atque adeò auxilio Christi opus habeat. 2. Ostendatur, quòd & ipsi curato dicat Christus : *Surge* per veram pœnitentiam ac detestationem peccatorum : *tolle lectum tuum* deferendo occasiones peccandi, tam externas, quàm internas propriarum concupiscentiarum inordinatarum. Et *vade in domum tuam* : Id est, totis viribus ea, quæ ad tuam salutem & commodum spirituale pertinent, pertracta; in his enim tribus tota substantia veræ conversionis ac pœnitentiæ consistit. Vide Fabrum conc. 2. in Dom. 18. post Pent.

IX. Ex occasione thematis : *Homo quidam descendebat ab Hierusalem in Hiericho, & incidit in Latrones* : potest peccator huic homini Luc. 10. v. 30.
comparari, & 1. Ostendi, quomodo & ipse descendat ab Hierusalem (seu statu gratiæ) in Hiericho ( seu statum peccati ) incidat in latrones (id est, Dœmones) qui spoliaverunt eum ( virtutibus

bus

bus & meritis, & gratia) & plagis impositis (id est, vulneribus peccati inflictis) semivivum (nempe corporali duntaxat, & non spirituali etiam vità viventem) reliquerunt. 2. Ostendatur, quomodo curari debeat, scilicet per *oleum misericordiæ divinæ*, pro quo proinde sæpius orandus est Samaritanus Christus & per *Justitiæ vinū*, id est, propriā cooperationē ac pœnitentiā, de quibus vide Fabrum conc. ultima in Dom. 12. post Pent.

*Luc. 15. v. 18.* XI. Ex occasione thematis: *Surgam, & ibo ad Patrem meum*: potest Peccatoris status cum statu Filij prodigi comparari, Et 1. quidem ostēdi, quomodo & cū quo fructu recesserit à Patre, nempe quòd inprimis incurrat indignationem Patris, hæreditatem amittat, dissipet substantiā acceptam (id est, gratiam virtutes & merita tam præsentia, quàm futura) pascat porcos (id est, fœtentes cupiditates ac passiones suas (& delectetur siliquis porcorum (voluptatibus immundis, nec tamen illis ad votum satiari possit) 2. Quomodo redierit ad Patrem. Et ab initio quidem redierit in seipsum; Surrexerit & iverit ad Patrem exequendo statim propositum: doluerit de peccatis, eáque Patri confessus sit: satisfactionem se obtulerit dicendo: jam non sum dignus nominari Filius tuus. De quo vide Julianū Hayneufein Veritatibus practicis Fer. 5. infra hebd. 24.

## *De peccato veniali.*

*Eccl. 31. v. 8.* X. Ex occasione thematis: *Beatus vir, qui inventus est sine macula*: potest dici, quòd multæ quidem sint maculæ, quæ sponsam aliquam sponso minùs placentem & dilectam efficiunt, sed præcipuè scabies, utpote quæ totum plerumque corpus, atque adeò singula membra inficit, & maculat. Talis autem scabies est ipsum peccatum veniale, id quod fusiùs ex comparatione ostendi potest. Et 1. quidem propter *originem*: quia sicut scabies ex nimia abundātia malignorū humorum nascitur, ita peccatum veniale ex nimia concupiscentia rei alicujus creatæ. 2. Propter *fœditatem*: quia sicut scabies omnem corpori pulchritudinem tollit, ideóque, licet non omnino à consortio sponsi excludat, tamen minùs amabilem facit, & horrorem ac displicentiā parit; ita id ipsum respectu DEI peccatum veniale facit. 3. Propter *effectus*: quia sicut scabies valde magnā corpori molestiam & pruritū affert, ac interdū si ad interiores corporis partes repellatur, omnino mortem affert, ita & ipsa peccata venialia magnis valde pruritum animæ afferunt, propter inordinatas concupiscentias, quæ quiescere eam non sinunt, & sæpe, si augeantur, ad mortem peccati mortalis disponunt. 4. Propter *modū curandi*: quia sicut scabies plerumque per aquas & balnea curatur, ita peccata venialia per aquas lacrymarū. Ex pœnitentiæ fontibus haustas; ad quas proinde frequentiùs adhibendas Auditores excitentur.

*Luc. 4. v. 38.* XI. Ex occasione thematis: *Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus*: potest peccatum veniale Febri comparari. 1. Quia omnem animæ speciem & pulchritudinem, sicut febris corpori aufert. 2. Quia sicut febris immodico æstu & frigore corpus graviter vexat; ita ipsum graves & molestos æstus concupiscentiæ, & frigus tepiditatis spiritualis in anima producit. 3. Quia sicut febris corpus valde debilitat, & ad lucra ex laboribus capienda inutile facit; ita ipsum vires animæ summopere imminuit, atque à lucro meritorum cælestium impedit. 4. Quia sicut febris invalescens ad mortem disponit; ita & ipsū, nisi maturè per pœnitentiam curetur, paulatim per habitus malos generatos ad mortem peccati mortalis perducit. Excitentur proin Auditores, ut maturè ad Medicum Christum in Sacramento Pœnitentiæ & Eucharistia recurrant, quia, teste S. Bernardo, hoc Sacramentum & sensum minuit in minimis, & in gravioribus tollit omnino consensum. Vide Fabrum conc. 3. in Dom 5. post Epiph.

XII. Ex occasione thematis: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*: Ostendi potest 1. Quanti semper ab hominibus æstimata sit, & etiamnum æstimetur pulchritudo, quantásque vires ea habeat ad amorem omnium hominum conciliandum; quantò pluris proin facienda sit spiritualis animæ pulchritudo, per quam ipsius DEI, Cælitúmque amor concilia- tur. 2. Ostendatur, sicut pulchritudo corporalis per tria vitia corrumpitur, nempe per vultus nigredinem, maculas, & rugas; ita id ipsum in spirituali quoque pulchritudine contingere, utpote quæ & ipsa corrumpitur aut imminuitur vel per nigredinem peccati mortalis juxta illud Jeremiæ: Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis. Et Jobi: Cutis mea denigrata est super me, & ossa mea aruerunt præ caumate: vel per maculas peccati venialis, & rugas imperfectionum seu languoris spiritualis de quib' Apostolus locutus est dicens: ut exhiberet sibi ipse gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam. 3. Ostendatur gravitas hujus maculæ tum ex bonis, quæ impedit per diminutionem amoris, ex quo tanquam radice omnia bona oriuntur animæ; tum ex acerbitate lixivij aut balnei, quo in altera vita purganda est, nempe per purgatorii ignem. Qua de re videri possunt Nicolaus Lancız. opusc. 16. toto, sed præcipuè cap. 11. & Jac. Alvarez. de extinct. vitior. p. 1. l. 1. c. 6. & seq.

*Cant. 4. v. 7.*

*Thren. 4. v. 8.*

*Iob. 30. v. 30.*

*Eph. 5. v. 27.*

## *De relapsu.*

XIII. Ex occasione thematis: *Qui stat, videat ne cadat*: potest peccatum morbo caduco comparari, ob tres præcipuè causas. 1. Quia sicut Epileptici frequenter cadunt, & affliguntur in terram; ita & consuetudinarii peccatores. 2. Quia sicut illi arcentur a consortio hominum, & ministeriis sacris; ita & Epilepici Spirituales ab usu Sacramentorum, aliorúmque ministeriorum Sacrorum istis saltem istis repelluntur, & ad optatum cum DEO & Sanctis familiaritatem non admittuntur. 3. Quia sicut Epilepticus morbus præcipuè sanguinis humani haustu

*1. Cor. 10. v. 12.*

haustu curatur; ita, & relapsus in peccatum frequenti sumptione corporis & Sanguinis Christi cavetur.

*Luc. 11. 24.* XIX. Ex occasione thematis: *Non inveniens requiem, dicit: revertar in domum meam, unde exivi?* potest ostendi gravitas relapsûs ex triplici capite. 1. *Ex parte DEI*; quia talis peccator magis à DEO derelinquitur; nam, ut languor prolixior aggravat Medicum, & semel atque iterùm à Medico sanatum, suâ tamen culpâ recidentem, Medicus tandem fatigatus fastidit, & irrito labore fatigatus deserit; ita DEI indulgentiâ & misericordiâ sæpius abutentem, Justitia DEI deserit. Hinc Christus Sancto dixit: Ecce sanus factus es. Jam noli ampliùs peccare, ne deteriùs tibi aliquid contingat. 2. *Ex parte Diaboli*: quia sicut, quando captivus semel elapsus, iterùmque deprehensus arctiùs à lictore custoditur; ita & Dæmon eum, qui semel iterùmque per pœnitentiam manus illius evasit, cautiùs custodit, & vehementius impugnat, assumens secum septem Spiritus nequiores se. 3. *Ex parte Peccatoris*: quia ut convalescens periculosiùs labitur, & per frequentatos actus frontem & pudorem exuit, & consuetudinem induit; unde, ut expertus est S. Augustinus, ex voluntate perversâ fit libido, & dum servitur libidini, fit consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, fit necessitas, seu dura servitus. Ob quam causam S. Ambrosius dixit: Faciliùs inveni, qui innocentiam servarent, quàm qui congruè pœnitentiam agerent. Vide Stapl. text. 6. in Dom. 3. Quadrag.

*Ioan. 5. v. 14.*

*S. August. l. 8. conf. c. 5.*

*S. Ambros. l. 2. de pæn. c. 10.*

XX. Ex occasione thematis: *Noli ampliùs peccare, ne deteriùs tibi aliquid contingat*: potest explicari triplex potissimum motivum, ob quod relapsus caveri debeat. 1. *Propter summam ingratitudinem*: quæ enim major ingratitudo excogitari potest, quàm si captivus ad mortem damnatus, & summa cum difficultate & pretio, ab interitu liberatus, ultrò iterum se per antiquum delictum in pristinam captivitatem conjiciat? aut æger pretiosissimis medicinis, & maximis impensis liberatus, ultrò sibi & malitiosè antiquum morbum accersat? 2. *Ob turpitudinem summam*: quid enim turpius, quàm cum porcis in luto, unde paulò antè exierat, & ablutus erat, denuò volutari? quid fœdiùs, quàm materiam ex ore ejectam sponte resorbere, & ad antiquum vomitum redire? 3. *Ob stultitiam maximam*: quæ enim major stultitia, quàm semel cum avicula è laqueis ereptum esse, & tamen ultrò ad easdem insidias redire? cùmque ipsa etiam bruta, Asini maximè, nullâ vi adigi possint, ut ad locum, ubi semel ciderunt, redeant, solùm hominem ad pristinas peccandi occasiones redire, & recidere?

### §. XIII.

## MISCELLANEA.

### *Qualitas.*

*Vit. c. 15.* I. S. Catharina Genuensis dicere solebat: cognitissimum mihi est, quòd quando amor purus vel exiguissimâ imperfectionem deprehendit, si DEUS non averteret, in pulverem redigeretur, non corpus modò, sed & animam nisi esset immortalis.

II. Cicero in adversis casibus hoc se sapientem solari debere dicebat, quòd sciat, nullum malum esse nisi peccatum? *Cicero l. 3. Tusc. qq.*

III. S. Theresia dicebat: Faxit DEUS, ut timeamus id, quod debemus timere, & intelligamus, majus malum posse advenire ab uno peccato veniali, quàm à toto simul inferno, cùm hæc sit ipsissima veritas. *Vit. c. 25.*

IV. S. Catharina Genuensis aliàs dicebat: Quid putas præstarem, quandive facere, etiamsi tot sanguineas lacrymas profunderem, quot maris sunt guttæ, ut satisfacerem pro peccatis meis? arbitraris pro minimo peccato satisfactionem? nequaquam. Nam si tantùm paterer, atque tamdiu, quamdiu ipse Diabolus, adhæc tot cruciatus & martyria in hoc tempore sustinerem, quotquot mente comprehendi possunt, non crediderim, amore posse hæc apud DEUM significationis loco ducere, nec invenire vocabulum huic negotio congruum. *Vit. c. 39.*

V. Rectè de peccati gravitate mjori cecinit Juvenalis: *Iuven. Sat. 2.*

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimē habet, quāto major, qui peccat, habetur.

VI. Nec malè Seneca: Cùm videris forum multitudine refertum, & septa concursu omnis frequentiæ plena, & illum circum, in quo maximâ sui partem Populus ostendit, hoc scito, istic tantundē esse vitiorum, quantum hominum. *Seneca l. 2. de ira c. 8.*

VII. Philippus Rex dicere solebat, mirari se, quomodo peccati mortalis reus dormire aliquando posset. *Ped. Christ p. 2. c. 1. §. 1.*

VIII. S. Thomas mirabatur, posse hominem letalis culpæ conscium, atque adeò in damnationis æternæ periculo constitutum, unquam ridere & lætari. *Ibid.*

IX. Cùm Damocles Dionysii Regis felicitatem assiduò deprædicaret, jussu ejusdem Regis in aureo lecto, inter unguenta, coronas, odores, juxta mensam regiis cibis instructam collocatus, experiri regiam fortunam jussus est, quas tamen attingere non est ausus, eò quòd fulgentem gladium è seta equina suspensum, capiti suo impendere videret. Cùm autem & Peccator gladium vindictæ divinæ vertici suo semper imminentem videat, quomodo hic timor non omnes ei mundi delicias sordere faciet? Non malè sanè Plutarchus, Pravi homines, inquit malitiam in se suam contemplantes, ob voluptatem vanam statim gratiam habentem, inveniunt Spei inanem esse, eandēmque semper abundare metu, dolore, memoriâ tristi, & de futuro sinistrarum suspicionum plenam esse. *Ibid.* *Plutarch. de sera numinis vindicta.*

X. Apollodorus aliquando in somniis vidisse scribitur, sibi cutim à Segthis detrahi, deinde elixari se, & cor sibi ex lebete dicere: Ego tibi horum causa sum. Idem profectò etiam Peccatoribus cor suum dicit, dum futuras inferni pœnas illis ostendit. *Ibid.*

### *Fuga.*

XI. Aristoteles dicere in Ethicis suis ausus est: Meliùs est, mori, quàm facere aliquid contra bonum virtutis. *Aristotel. l. 3. Eth.*

II. Publi-

*Busaus in Panar. fol. 185.* XII. Publius Mimus quoque dixit: Tolerabilior est, qui mori jubet, quàm qui malè vivere.

*Stapl. tex. in Dom. 3. Quad.* XIII. Moyses contrivit vitulum aureum in pulverem minutissimum, & dedit Populo ex eo bibere, docens nihil prorsus peccati remanere in pectore debere.

*Ibid.* XIV. Pharao multis plagis percussus tandem DEI populum dimittere voluit, sed ita, ut oves & armenta in Ægypto remanerent; cui Moyses dixit: Cuncti greges pergent nobiscum; non remanebit ex eis ungula, quæ necessaria sunt in cultum Domini DEI nostri. Applica Peccatori & Diabolo.

*Ibid.* XV. In Levitico præcepit DEUS, carnem Juvenci & pellem ejus extra castra comburi, quia sacrificium erat pro peccato; ut hâc ratione insinuaret, nullas reliquias peccati in animo remanere debere.

*Deut. 7. v. 5.* XVI. In Deuteronomio quoque præcepit: Aras eorum subvertite, & confringite statuas, lucósque succendite, & sculptilia comburite: ut ostenderet, etiam omnem peccati memoriam esse abolendam.

*Thren. 2. v. 19.* VII. Idem significantiùs S. David expressit dicens: Effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini: nam de aliis liquoribus, si affundantur, vel pars aliqua, vel odor, vel color manet; nihil simile in aqua effusa videre est.

*1. Reg. 15. v. 3.* XVIII. Sauli præcepit DEUS: Percute Amalec, & demolire universa ejus: non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid: Sed interfice à viro usque ad mulierem, & parvulum atque lactentem, bovem & ovem, camelum & asinum. Idem de peccato dictum sibi credat peccator.

*Damnum.*

*Kisselius to. 2. Nili mystici. conc. 19. n. 8.* XIX. Tullia Filia Servij Imperatoris, ut citiùs regnaret, Patrem suâ manu interemit, & in plateas ejici jussit, ubi ipsa in regio curru transire debebat; hortante autem Aurigâ, Patris corpus conculcatum iri, si pergat, dixit illa: Perge, perge, regium calca sanguinem, dummodo imperem. Annon idem faciunt Peccatores calcantes sanguinem Christi, ut satisfacere queant cupiditatibus suis?

*Seneca l. de moral.* XX. Rectè de remorsu conscientiæ dixit Seneca: Nullum conscium peccatorum tuorum magis timueris, quàm temetipsum. Alium enim potes effugere, te autem nunquam. Nequitia autem est ipsa sui pœna.

*Stapl. text. 3. in Dom. 3. Quad.* XXI. Quidquid præter DEUM, & non in ordine ad DEUM diligimus, pignus Diaboli est: Quod à nobis, dum repetit, & ejus occasione aditum in cor nostrum habet, per illud unum ad alia peccata nos trahit, vel certè à Deo nostro satis distrahit.

*Plutarchus in apopht. Regum.* XXII. Lysimachus Thraciæ Rex coactus ob ingentem sitim, aquæ scypho se regnúmque suum hostibus tradere, epotâ aquâ exclamasse dicitur: DEUS immortalis! Quæ hæc mea infelicitas! Qui me, totúmque regnum meum tantillo corporis oblectamento vendidi. Quod ipsum tantò veriùs & majori cum dolore dicere potest peccator, quantò præstantius est regnum, quod pro vilissima voluptate vendidit.

*Gen. 27. v. 34.* XXIII. Esau, ubi audivit præreptam sibi à Jacob benedictionem esse, irrugiit clamore magno; quantò magis Peccator dolebit, si omnino Patris, & tanti quidem gratiâ excidisse se advertit?

*Beirlinck tom. 3. in festo S. Magd.* XXIV. Peccatum hydræ meritò comparatur, quæ septem capitibus constabat, sed uno abscisso, statim alia pullulabant, donec Hercules obtruncato capiti ignem admovit, & protuberantiam novi capitis impedivit. Meritò ergo & peccator ignem caritatis divinæ adhibet, ne amputato uno peccato aliud subnascatur.

*Fab. conc. 3. in Dom. 5. post Pent.* XXV. Phœnici quoque non malè comparantur Peccatores, quæ ad sui combustionem ligna comportare dicitur; sic enim & Peccator per peccata sua materiam pro æterno incendio congregat.

*Idem conc. 3. in Dom. 14. post Pent.* XXVI. Cassanus Tartarorum Rex cùm Filiam Regis Armeniæ post devictam Syriam in uxorem petiisset, hæc tam deformem peperit Filium, ut nulla ratione Rex persuaderi potuerit, hunc suum esse Filium, ideóque uxorem velut adulteram morti adjudicârit, à qua tamen per miraculum liberata est. Justiùs hanc sententiam vereri potest peccator, si per gratiam in sponsam à DEO electus tam deformem peccati partum illi pariat.

§. XIV.

A X I O M A T A.

I. Rectè Horatius cecinit: *Horatius.*

Seditione, dolis, scelere atque libidine, & ira.
Iliacos intra muros peccatur, & extra.
Durch Laster man an allem Ort.
Beleydiget GOtt fort und fort.

II. Humanum est peccare: at in peccato perseverare Diabolicum.

In Sünden fallen/ menschlich ist.
In Sünd verharren/ Teufflisch ist.

III. Procul à peccato, procul à fulmine.

Weit von der Sünd/ weit von der Höll.

IV. Peccatum blandè ingreditur, sed in fine mordet, ut coluber.

Die Sünd die schleicht zwar lieblich ein/
Zu letzt aber bringt höchste Peyn.

V. Peccati fructus, dira post crimina luctus.

Die Sünd/ die man begehet frey/
Laßt hinder sich groß Layd und Reu.

VI. Peccatum & infamia, sunt inter se confinia.

Wo die Sünd sich nur blicken laßt/
Hat Schand auch die Postur gefaßt.

VII. Nemo læditur, nisi à seipso.

Ein jeder schmidet jhm sein Vbel selbst.

VIII. Nullum malum, nisi peccatum.

Ausser der frey begangnen Sünd
Man auff der Erd kein Vbel findt.

§. XV.

A V T H O R E S

I. Franciscus Arrias tr. integro.
II. Joannes Busæus in Panario. V. eodem.
III. Petrus Canisius to. 4. de peccato in genere.
IV. Jacobus Alvar. de extinctu vitiorum.

V. Nicolaus Lancizius opusc. 16.
VI. Bernardinus Rosignolus. l. 2. de disc. relig. à c. 6.
VII. Philippus D'Outreman in Pœdagogo Christiano. p. 1. c. 2. & 3.
VIII. Ludovicus Granatensis in locis communibus fol. 226. & seq. in Duce peccatorum passim.
IX. Joannes Peleus de summo malo.
X. Josephus Langius in Polyanthæa. V. eodem.
XI. Matthias Faber conc. 3. in Dom. 5. post Pent. & conc. 4. in Dom. 13. post Pent. Item conc. 5. & 4. in Dom. 19. post Pent. & conc. 3. in Dom. 24. post Pentec.
XII. Laurentius Beerlinck in theatro vitæ humanæ: & in Promptuario text. 4. in Fer. 2. Pentec.
XIII. Henricus Engelgrave Dom. 6. post Epiphaniam.
XIV. Antonius Daurolthius in Floribus Exemplorum cap. 6. §. 1. 2. & 3.

---

# *TITVLVS XXII.*

# SUPERBIA.

## §. I.

## QUOAD ESSENTIAM.

### *Definitio.*

I.

S. August. l. 4. de civ. DEI c. 15. Definitur à S. Thoma & aliis, inordinatus appetitus propriæ excellentiæ. A S. Augustino perversæ celsitudinis appetitus. Perversa enim celsitudo est, deserto eo, cui debet animus inhærere principio, sibi quodammodo fieri atque esse principium. Hoc fit, cùm sibi nimis placet. Sibi verò ita placet, cùm ab illo bono immutabili deficit, quòd ei magis placere debuit, quàm ipse sibi.

### *Divisio.*

S. Gregor. l. 23. mor. II. Dividitur 1. Juxta S. Gregorium in quatuor species, dum ait: Quatuor sunt species, quibus omnis tumor arrogantium demonstratur. 1. *Cùm bonum à semetipsis habere existimant*; (1. Cor. 4. v. 7.) de qua specie Apostolus locutus est dicens: Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? (Eph. 2. v. 8.) 2. *Cùm à DEO quidem aliquod bonum datum credunt, sed pro suis meritis accepisse putant*: contra quos dixit idem Apostolus: Gratiâ salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed DEI donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur. (Apoc. 3. v. 17.) 3. *Cùm jactant se habere, quòd non habent*: Quo modo DEUS carpebat superbiam Episcopi cujusdam dicens: Dicis, quòd dives sum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis, quia tu es miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. (Luc. 18. v. 11.) 4. *Cùm despectis cæteris singulariter videri appetunt habere bonum, quod habent.* Ut Pharisæus fecit, dum dixit: DEUS, gratias tibi ago, quòd non sum sicut cæteri hominum.

S. Bern. S. 3. ex parv. Isaia. 5. 21. III. Aliam divisionem indicavit S. Bernardus dicens: Est superbia *cordis* quando homo in oculis suis magnus est juxta illud Isaiæ: Væ, qui sapientes estis in oculis vestris. Superbia *oris*, quæ & jactantia dicitur, quando homo non solùm magna de se sentit, sed etiam loquitur, de qua idem Psalmista dixit: Disperdat Dominus universa labia dolosa, & linguam magniloquam. (Ps. 11. v. 4.) Superbia *operis*; quando homo exteriori quâdam superbiâ, ut magnus appareat, agit; de qua idem Psalmista agit: Non habitabit in medio domûs meæ, qui facit superbiam. (Ps. 100. v. 7.) Superbia *habitûs*, quando quis pretiosis vestibus se ornat, ut gloriosus appareat; contra quos Dominus: Qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt, ubi superbia abundat. (Matt. 11. v. 8.)

### *Actus.*

IV. Primus est, *humanas laudes inordinatè appetere, iisque vanè delectari*: contra quàm Christus monuit dicens: Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis. (Matt. 6. v. 1.)

V. Secundus, *seipsum & opera sua vanè laudare*: contra Salomonis monitum: Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua. (Prov. 27. v. 2.)

VI. Tertius, *honores & dignitates inordinatè appetere*; non obstante Christi effato: Quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus. (Matt. 20. v. 26.)

VII. Quartus, *Sanctitatem & Justitiam famæ aucupandæ gratiâ simulare*: contra quam hypocrisin toties Christus in Evangelio detonuit. (Matt. 23. v. 13. & seq.)

VIII. Quintus, *Insolenter sibi attribuere, quæ non conveniunt*: quo modo Rex Assur peccavit dicens: In fortitudine manus meæ ego feci, & in sapientia mea intellexi, & abstuli terminos Populorum, & Principes Populorum deprædatus sum, & detraxi quasi potens in sublimi residentes. (Isaia. 10. v. 13.)

IX. Sextus, *Mente inaniter & superbè intumescere*: de quo actu S. Augustinus dixit: (S. August.) Est superbia non magnitudo, sed tumor; quod autem tumet, videtur magnum, sed non est sanum. Hinc superbi Bufoni Æsopico comparantur, qui videns bovem in eodem secum prato pascentem, invidere cœpit magnitudini illius, eique assimulari cupiens, tanto conanti

se in-

se inflavit, ut denique ruptus omnino interjerit.

*Rom. 11. v. 20.* X. Septimus, *Elato corde aliquid supra vires temere attentare:* Id quod Apostolus dissuasit dicens: Tu autem fide stas; noli altùm sapere, sed time.

*Luc. 18. v. 9.* XI. Octavus: *Alios arroganter contemnere:* Uti Pharisæus fecerat dum dixit: DEUS, gratias tibi ago, quòd non sum, sicut cæteri hominum.

*Prov. 3. v. 5. Rom. 12. v. 3.* XII. Nonus, *Suo judicio & consilio plus æquò & pertinaciter inhærere:* cùm tamen moneat Salomon: Ne innitaris prudentiæ tuæ. Et S. Paulus, non plùs sapere, quàm oportet, sed sapere ad sobrietatem.

*Prov. 13. v. 6.* XIII. Decimus, *Discordias cum aliis gerere & fovere:* Quod Salomon jam pridem prædixit dicens: Inter Superbos semper sunt jurgia, nam sicut vapores terræ in altum ascendentes, tonitrua, fulmina, aliaque impressiones tumultuantes generant; sic superbiæ vapores de corde in caput ascendentes, discordias & dissensiones excitant.

*Hugo de s. claustr. animâ.* XIV. Undecimus, *Nolle se aliis subjicere, & obedire:* Hinc Hugo ait: Inobedientiæ morbus ex Superbiæ timore procedit, ac sicut sanies ex ulcere, sic ex Superbia contemptus manet.

*2. Timoth. 3. v. 2.* XV. Duodecimus, *acceptum beneficium elato animo extenuare, contemnere, oblivisci:* Sicut Apostolus indicavit, dum ad Timotheum dixit: Erunt novissimis temporibus homines seipsos amantes, cupidi, *Superbi*, blasphemi, parentibus non obedientes, *ingrati*.

## §. II.

## EX S. SCRIPTURA.

### *Qualitas.*

*Prov. 29. v. 23.* I. Superbum sequitur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria.

*Prov. 16. v. 19.* II. Meliùs est, humiliari cum mitibus, quàm spolia dividere cum superbis.

*Prov. 18. v. 12.* III. Antequam conteratur cor hominis, exaltatur; & antequam glorificetur, humiliatur.

*Gal. 6. v. 3.* IV. Si quis se existimat aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit.

*Sap. 5. v. 8.* V. Quid nobis profuit Superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra.

*Prov. 6. v. 16.* VI. Sex sunt, quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus. Oculos sublimes, linguam mendacem.

### *Fuga.*

*Tob. 4. v. 14* VII. Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas; in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.

*Jer. 9. v. 23.* VIII. Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur dives in divitiis suis, sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me.

*Eccl. 11. v. 4.* IX. In die honoris tui ne extollaris, quoniam mirabilia opera altissimi solius, & gloriosa, & absconsa, & invisa opera illius.

*Eccl. 10. v. 9.* X. Quid superbit terra & cinis?

### *Damnum.*

*Prov. 11. v. 2.* XI. Ubi fuerit superbia, ibi erit & contumelia; ubi autem est humilitas, ibi & sapientia.

*1. Petr. 5. v. 5.* XII. Omnes autem invicem humilitatem insinuate; quia DEUS superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

*Isaia. 2. v. 12.* XIII. Dies Domini super omnem superbum & excelsum, & arrogantem, & humiliabitur.

*Matt. 23. v. 12.* XIV. Omnis, qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.

*Eccl 10. v. 18.* XV. Radices gentium superbarum arefecit Dominus, & plantavit humiles ex ipsis gentibus.

*Prov. 16. v. 5.* XVI. Abominatio Domini est omnis arrogans, etiamsi manus ad manum non fuerit innocens.

*Eccl. 10. v. 7.* XVII. Initium omnis peccati est superbia.

*Soph. 1. v. 9.* XVIII. Visitabo super omnem, qui arroganter ingreditur.

*Nu. 15. v. 30.* XIX. Anima, quæ per superbiã aliquid commiserit, sive civis ille sit, sive peregrinus, quoniam adversus Dominum rebellis fuit, peribit de populo suo.

*Amos 8. v 7.* XX. Juravit Dominus in superbiã Jacob, si oblitus fuero usque ad finem omnia opera eorum.

*Amos 6. v. 8.* XXI. Juravit Dominus DEUS in anima sua, dicit Dominus DEUS Exercituum: Detestor ego superbiam Jacob, & domos ejus odi, & tradam civitatem cum habitatoribus suis.

*Malach. 4. v. 1.* XXII. Ecce enim dies veniet succensa, quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem stipula: & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus Exercituum, quæ non derelinquet eis radicem & germen.

*Eccl. 10. v. 14.* XXIII. Initium superbiæ hominis apostatare à DEO; quoniam ab illo, qui fecit illum recessit cor ejus.

*Job. 40. v. 6.* XXIV. Disperge superbos in furore tuo, & respiciens omnem arrogantem humilia. Respice cunctos superbos, & confunde eos, & contere impios in loco suo. Absconde eos in pulvere simul, & facies eorum demerge in foveam.

## §. III.

## EX SS. PATRIBUS.

### *Qualitas.*

*S. August. in Reg.* I. Alia quæcunque iniquitas in malis operibus exercetur, ut fiant: Superbia verò in bonis operibus insidiatur, ut pereant.

*S. Hieron.* II. Superbia natione cœlestis, sublimium apperit mentes, & quasi ad proprios revolans ortus, appetit gloriam & potestatem hominum irrumpere, quæ de gloria & puritate Angelorum

rum erupit, ut, quos invenit participes naturæ, faciat consortes ruinæ.

*Isid. l. 3. de summ. bono.* III. Omni vitio deterior est superbia, seu quia à summis personis assumitur, seu quia de opere justitiæ & virtutis exoritur, minùsque culpa ejus sentitur. Luxuria verò carnis ideo omnibus notabilis est, quoniam statim per se turpis est, & tamen pensante DEO superbia minor est.

*Hugo. l. 2. de anim.* IV. Cætera vitia solas illas virtutes impetunt, quibus ipsæ destruuntur, ut luxuria pudicitiam, ira patientiam; sola verò superbia contra cunctas animi virtutes se erigit, & quasi generalis & pestifer morbus omnes corrumpit.

*Idem de claustr. anim. l. 2.* V. Quatuor sunt, quæ trahunt elationis currum, amor dominandi, amor propriæ laudis, contemptus, & inobedientia. Rotæ verò sunt jactantia mentis & arrogantia, verbositas & levitas. Auriga in hoc curru est spiritus superbiæ. Amatores mundi sunt, qui feruntur in hoc curru, infrenes sunt equi, volubiles rotæ, auriga perversus, &c, qui portatur, infirmus.

*Innocent. de vilit. condit. hom.* VI. Omnis ferè vitiosus diligit sibi similem, solus superbus odit elatos, unde inter superbos semper sunt jurgia.

*S. Basil ad Fil. Spir.* VII. Vir humilis DEO est similis, superbus autem cùm sit DEO odibilis, Diabolo similis est. Humilis licet in habitu videatur vilissimus, gloriosus est in virtutibus. Superbus autem etsi decorus videatur aspectu, tamen inutilem eum manifestant opera ipsius, & per incessum & motum dignoscitur ejus superbia, & ex verbis publicatur ejus levitas. Cupit semper laudari ab hominibus, & à virtutibus, à quibus est alienus, prædicari gestit. Ambulat semper tumens, ut uter vacuus, & ut navis gubernatore destituta à fluctibus huc illuc jactatur.

*S. Hier. ad Fabiol.* VIII. Nihil tam periculosum est, quàm gloriæ cupiditas & jactantia, & animus confidentia virtutum tumens.

*S. Greg. in mor. l. 14. c. 30.* IX. Cunctis superba apud se cogitatione tumentibus inest clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissoluto in hilaritate, furor in tristitia, inhonestas in actione, honestas in imaginatione, erectio in incessu, rancor in responsione. Horum mens semper est ad arrogandas contumelias valida, ad tolerandas infirma, ad obediendum pigra, ad lacessendos verò alios importuna.

*S. Climacus grad. 22.* X. Superbus Monachus Dœmone opus non habet; ipse enim jam sibi & Dœmon, & inimicus, & hostis est. Alienissimæ à luce sunt tenebræ, ita & superbus à virtute omni alienus est.

*S. Ambr. S. 7. in Ps. 118.* XI. Maximum peccatum in homine superbia est, quandoquidem inde manavit nostri origo delicti. Hoc telo nos primùm Diabolus vulneravit; nam nisi homo serpentis persuasione deceptus, sicut DEUS esse voluisset, nunquam feralis culpæ ad nos transisset hæreditas. Quid igitur hoc peccato potest esse deterius, quod à DEI cœpit injuria?

XXX

*Fuga.*

XII. Cætera vitia in malefactis valent, sola superbia etiam in rectè factis eâ cavenda. *S. August. l. de nat. & grat.*

XIII. Beatus, qui ubique te Ducem habet, Domine JESU, non illum refugam Spiritum qui statim ascendere voluit, & tota Divinitatis dexterâ percussus est. Nos autem populus tuus, & oves Pascuæ tuæ, sequamur te, per te, ad te, quia tu es via, veritas, & vita; Via in exemplo, veritas in promisso, vita in præmio. *S. Bern. S. 4. de Ascens. Dom.*

*Damnum.*

XIV. Humilitas homines sanctis Angelis similes facit, & superbia ex Angelis Dœmones facit; &, ut evidenter ostendam, ipsa est omnium peccatorum initium, & finis, & causa, quia non solùm peccatum est ipsa superbia, sed etiam nullum peccatum potuit, aut potest, aut poterit esse sine superbia. *S. Aug. ad com. quend.*

XV. Trabs in oculo grandis, & grossa in mente est superbia, quæ quasi corpulentiâ sui vanâ non sanat, tumida non solidat, oculum mentis obscurat, & veritatem obumbrat. *S. Bern.*

XVI. Superbia turrim evertit, linguam confudit, prostravit Goliath, suspendit Aman, interfecit Nicanorem, peremit Antiochum, Pharaonem submersit, & Sennacherib interemit. Sedes Ducum superborum destruxit DEUS, & radices gentium superbarum arefecit DEUS. *Innocent. de Vilit. condit. hom.*

XVII. Sub hoste, quem prostemit, moritur, qui de culpa, quam superat, elevatur. *S. Gregor. l. 20. mor.*

XVIII. Ad imperium cœlorum non pervenitur superbiâ, divitiis, præfectura, sed humilitate, paupertie, lenitate; arcta enim & angusta via est, quæ ducit ad regnum. Quisquis ergo honoribus inflatus fuerit, & auri thesauris dilatatus tanquam onustum & imperditum animal per angustum regni iter transire non poterit. Simul etiam ut se existimat pervenisse, sarcinam ejus exigua porta non capiens, repercusso limine retrorsum redire cogit.

XIX. Cùm inflatum videris hominem, qui meliorem se cæteris arbitretur, contemnique opinetur, si cæteris hominibus conferatur, nullum jam aliud signum vecordiæ hominis requiras. Tantò quippe ridiculosior his est, qui naturâ insaniunt, quantò ipse sponte hunc sibi morbum iniecit; nec hâc re solùm miser, verùm etiam quia in miseriæ fundum se detrusit, ut nihil sentiat. Quando enim is peccata sua, ut oportet, cognoscet? Quando nimiùm se delinquere sentiet? Certè quasi vile mancipium & miserum, & captivum Diabolus abducit, agitátque verberibus, & mille contumeliis, quocunque velit. *S. Chrys. ho. 59.*

XX. Nullum malum par elationi hominem reddit Dœmonem, blasphemum, contumeliosum, perjurum, cupidum cædium & homicidiorum. Elatus semper in doloribus vivit, semper indignatur, semper mœret, nihil est, quod ejus posset explere libidinem; sicut enim avari, quantò plura acceperunt, tantò pluribus egent: Sic superbi, quantò majori funguntur honore, tantò plùs concupiscunt. *S. Chrys. ho. 43. ad pop.*

XXI. Cùm

*S. Greg. l. 10. mor. c. 13.* XXI. Cùm hominem DEUS tumere conspicit, se sibi illum ostendendo derelinquit, & ejus mens derelicta, quid sit, inveniat, quæ malè in se secura gaudebat.

*S. Isid. de summo bono.* XXII. Superbia sicut est origo omnium criminum, ita ruina cunctarum virtutum; ipsa enim in peccato est prima, in conflictu posterna.

*Idem orat. de humil.* XXIII. Omnis superbia tantò in imo jacet, quantò in alto se erigit, tantóque profundiùs labitur, quantò excellentius elevatur. DEUS enim exaltat humiles, & deponit superbos de sede.

XXIV. Alia secta est in Africa, alia est in Oriente, alia in Ægypto, alia in Mesopotamia. Diversis locis diversa sunt, sed una Mater superbia omnes genuit.

## §. IV.

## EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

*l. 1. c. 2. §. 1.* I. MElior est humilis Rusticus, qui DEO servit, quàm superbus Philosophus, qui se neglecto cursum cœli considerat.

*l. 1. c. 8. §. 3.* II. Jugis pax cum humili, in corde verò superbi Zelus & indignatio frequens.

*l. 1. c. 4. § 1.* III. Superbus & avarus nunquam quiescunt; pauper & humilis in multitudine pacis conversantur.

*l. 3. c. 8. §. 5.* IV. Multùm præcave à vana complacentia & superbia; propter hoc multi in errorem ducuntur, & in cæcitatem penè incurabilem.

*l. 3. c. 42. §. 2.* V. Qui aliquid boni sibi attribuit, gratiam DEI in se venire impedit, quia gloria Spiritus Sancti cor humile semper quærit.

*l. 3. c. 50. §. 8.* VI. Quid est homo inde melior, quia reputatur ab homine major? Fallax fallacem, vanus vanum, cæcus cæcum, infirmus infirmum decipit, dum exaltat; & veraciter magis confundit, dum inaniter laudat. Nam quantùm unusquisque est in oculis tuis, tantùm est, & non ampliùs, ait humilis S. Franciscus.

## §. V.

## EXEMPLA.

### *Qualitas*

*Gen. 3.* I. EVa propter appetitum excellentiæ, cum audisset à serpente: Eritis, sicut Dij; de ligno vetito comedit.

*Gen. 11.* II. Superbia Babyloniorum volentium ædificare turrim, cujus culmen ad cælum pertingat, & per hoc cupientium sibi immortalem famam comparare, confusione linguarum damnata est.

*Gen. 16. v. 9.* III. Agar ancilla Sarai concepisse se videns, despexit Dominam suam, sed paulò post cùm partu suo ejecta domo audit ab Angelo: Revertere ad Dominam tuam, & humiliare sub manu illius.

*Spec. Ex. d. 1. ex. 3.* IV. Monachus quidam, cui DEUS propter virtutem quotidie panem miræ suavitatis & candoris in mensa posuerat, hoc meritis suis adscribens, & superbiens, ab initio quidem panem quotidie sordidiorem, demum verò aridissimum & quasi à muribus corrosum accepit; unde ex eremo in sæculum reverti statuens, dum aliis in Monasterio quopiam verbum salutis dividit, & ad constantiam hortatur, sibi applicans, pœnitentiam agit, & revertitur.

### *Fuga.*

*Ib. dist. 6. ex. 27.* V. Superbiâ tentatus Liffardus, qui priùs in sæculo nobilis, postea in Monasterio subulcus factus fuerat, cùm jam deserere sequenti die Cœnobium cogitaret, ostensis ab Angelo mortuorum fœtidis sepulchris, à tentatione liberatus, & in vocatione conservatus est.

*Vita PP.* VI. Abbas Isidorus, quoties cogitatio illi dicebat: Quia magnus es: respondit: Numquid talis sum, qualis Antonius, aut certè Abbas Pambo, vel reliqui Patres, qui DEO placuerunt. Et quoties hoc cogitabat, requiescebat.

*S. Hier. in epist.* VII. S. Hieronymus de seipso fassus est: nihil ita à pueritia vitare conatus sum, sicut tumentem animum, & erectam cervicem DEI contra se odia provocantem. Novi enim Magistrum & Dominum meum in carnis humilitate dixisse: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.

### *Damnum.*

*2 Reg. 24.* VIII. David, quia ex superbia quâdam populum numerari jussit, gravissimâ pestilentiæ regnum suum devastantis pœnâ punitus est,

*Dan. 5.* IX. Nabuchodonosor propter superbiam suã de regno depositus, & bestiis assimulatus est.

*2. Mach. 9.* X. Antiochus quia præ superbia existimabat, se terram ad navigandum, pelagus ad iter agendum deducturum, à vermibus consumptus interiit.

*Spec. Exempl. d. 1. ex 91.* XI. Blasphemus Clericus sententiam illam: Omnis, qui se exaltat, humiliabitur: falsam dicens, fulmineo ensem acie transfigitur.

*Is. 14. v. 13.* XII. De Lucifero dicit Isais: Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes. Qui dicebas in corde tuo: In cœlum conscendam, super astra DEI exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Verumtamen ad infernum detrahêris in profundum laci.

*Spec. Ex. dist. 5. ex. 99.* XIII. Simon de Torniaco, quia de humilitate Christi disputans, elato & procaci animo dixerat, tres fuisse in orde Seductores primarios Moysen Judæorum, Christum Christianorum, Machumetem Turcarum, mox eversis oculis pro humana voce mugire cœpit, & epilepsiâ in terram elisus, omníque scientia spoliatus, tertiâ pòst die mortuus est.

*Pæd. Christ. p. 1. c. 7.* XIV. Circa annum Domini 1370. Vesperi post Completorium visi Neapoli in quodam Cœnobio longo ordine accumbentes, quos cùm Prior domûs in virtute V. Sacramenti, quod manibus prætendebat, jussisset dicere, qui essēt, respondit unus, qui cæteris præesse videbatur, se omnes fuisse istius ordinis Religiosos, Doctores, Baccalaureos, Priores, Subpriores, Lectores, jámque ob superbiam & ambi-

ambitionem damnatos esse. Quo dicto, di-ductis tunicis, ardere visi sunt, & evanuerunt.

*Revel.l.6. c.52.* XV. Quædam persona ad Purgatorium damnata S. Birgittæ dicebat, quòd, licet gravissima sentiret in aliis membris tormenta, nullum tamen adeò cruciaret, quàm quòd ventus adeò venas penetret, ut rumpere videantur; hanc verò pœnam propter superbiam fuisse irrogatam.

*Marchant. in tuba Sac. tr.1. lect.4. in fine.* XVI. In Pervensi regno fuit magni nominis Theologus, qui familiaritate cujusdam mulieris ecstases patientis usque adeò deceptus est, ut crederet, se Regem & Pontificem futurum, sibi quoq; sanctitatem supra omnes Angelos & Sanctos concessam, quin & unionem hypostaticam oblatam, quam tamen noluerit acceptare. Denique datum esse mundi Redemptorem quoad efficaciam, cùm Christus quoad sufficientiam duntaxat fuerit. Omnem statum Ecclesiasticum, & cælibatum Clericorum tollendum, multitudinémq; uxorum concedendam. Quare Inquisitioni traditus cùm ad sanam mentem adduci non potuisset, flammis absumptus est.

## §. VI.

## EXEMPLA DOMESTICA.

*Vita.l.5. c.2.* I. Ignatius adeò omnem de seipso existimationem deposuerat, ut fateretur, nihil minùs se, quàm superbiam timere, addideritque se intra viginti annos ne minimam quidem hac in materia tentationem passum fuisse.

*Vita l.4. c.11.* II. S. Franciscus Xaverius pleràsque suas exhortationes ferè ponebat in arrogantia & propriæ virtutis opinione radicitùs ex animis evellenda.

*Vita.* III. P. Jacobus Laynes, dum ultima Societatis monita dabat, inter alia addebat: Ambitionem inprimis fugiendam censeo, ut & discordiam; conjunctionis enim civilis pestes eæ maximæ sunt, erúntque semper.

*Hist. Soc. l.16.n.91.* IV. P. Jacobus Equia (qui communiter Sanctus audiebat) solebat frequenter dicere, illum, qui putat, aliquid se scire, parùm scire: Qui verò putat, multùm, se scire, nihil omnino scire.

*Vita.l.3. c.19.* V. P. Caspar Barzæus dicebat: Qui habet aures audiendi audiat, & corde intelligat, ut nemo se suo spiritu decipiar, sed semper se provehat, de se non præsumat; spiritus quippe Societatis non potest esse superbus.

*Vita.* VI. B. Aloysius tantâ se demissione tractabat, ac si ex mendicatis sordibus sublatus esset.

*Hist. Soc. p.1.l.9.n.89* VII. S. Franciscus Borgias sub sæculari adhuc habitu has theses composuerat: Ex nihilo factus sum. Ad nihilum redactus sum. Quid sim, ignoro. Si aliquid scio, hoc tantùm scio, infernum domum meam esse. Problema: ex meipso facio nihil.

*Ex Hist. Epist. & Bourgh.* VIII. P. Thomas Sanchez ut Novitium primi anni per totam vitam se gessit, & ita haberi ab omnibus voluit.

*Vita to. de* IX. P. Franciscus Suarez, cùm ad summum literarum famæque fastigium pervenisset, candidè tamen fatebatur, se animi elatione neutiquam moveri, quòd sciret, etiam Rusticũ quemvis, si iisdem, quibus ipse à DEO juvaretur auxiliis, doctiorem evadere potuisse. *grat. præfat.*

*Syllabus Provinc. Peruan.* X. Augustinus de Petra sancta Coadjutor tanta animi contentione superbiæ fibras excidere studuit, ut ne diem quidem elabi permiserit, quo cum elatione & arrogantia manus non consereret; quare singulis noctibus cubiculum P. Rectoris adiit, eique non sine ubere lacrymarum profusione omnes animi etiam sevissimos motus, quos eâ die expertus fuerat, patefecit.

## §. VII.

## EXEMPLA PROFANA.

*Exod. 5. v.2.* I. PHarao tam arrogans & superbus fuit, ut dicere ausus sit: Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Israël? Nescio Dominum, & Israël non dimittam.

II. Nabuchodonosor statuam auream fieri præcepit, ut in ea tanquam DEUS adoraretur, hinc S. Gregorio teste, quia elocutione cogitationis suæ se supra homines extulit, ipsum, quem communem cum hominibus habebat, sensum amisit. *S. Greg. l.5. mor.c.6.*

*March. in tuba Sac. lect.5.* III. Diocletianus post triumphum de Persis humanam sortè oblivioni tradens, ut Deus adorari voluit, & Frater solis & lunæ haberi. Unde coram eo se homines prosternebant, & pedi osculum figebant. Sed superbiam istam mox ultio Divina subsecuta est; nam toto corpore intumuit, lingua blasphema vermes fœtidissimos protulit, postremò autem canis instar fœtidam animam exhalavit.

*Philo.l.de Legat. ad Caium.* IV. Caligula, ut pro DEO coleretur, hâc ratione persuadere id conatus est: Ovium Pastor non est ovis, nec bovum bos, nec caprarum capra, ergo nec hominum homo. Quid ergo? DEUS. Unde insignia Deorum, nempe Mercurij caduceum & talaria; Apollinis radiatam coronam, arcum & sagittas; Martis thoracem, gladium & clypeum assumebat.

*Plutarch. & Curt.l.4. de rebus Alex.* V. Alexander Magnus diu Jovis Filium se appellari passus est, donec tandem sagitta percussus, sanguinémque aspiciens dixit: Omnes me Filium Jovis, omnes DEUM & immortalem dicunt; sed hoc vulnus, & hic cruor me hominẽ morti obnoxiũ evidenter demonstrant.

*Marchant. l.supra. c. lect.4.* VI. Machiavellus cùm ex una parte cogitaret, Aristotelem, Platonem, Alexandrum M. esse damnatos; ex altera verò parte eos, qui inter Beatos censentur, homines ut plurimùm sæculo despectos consideraret, in hanc insanam erupit vocem: Malo cum illustribus viris in infernum descendere, quàm cum his infirmis in cælo degere.

*Langius in Polyanth. f.1109.* VII. Domitianus edici jussit, ut ne scripto quidem aut sermone aliter, quàm DEI nomine appellaretur. Statuas sibi in Capitolio non nisi aureas & argenteas poni permisit. Hinc illud Adulatoris carmen.

Edictum Domini, Deíque nostri,
Quo subsellia certiora fiunt.

VIII.

*Ibid.* VIII. Menecrates nullam ab iis, quibus, medebatur, mercedem solebat accipere, sed hoc tantùm petebat, ut liberati se servos illius faterentur, eùmque Jovem dicerent.

## §. VIII.

## SIMILITVDINES.

### *Qualitas.*

*March. tub. Sac. tr. 1. lect. 8.* I. Sicut specula quædam fallacia sunt, &c, quod longius vel minus est, ut propinquius vel majus repræsentant; ita superbia, quæ in se parva sunt, ut magna superbis ostendit, & per hoc altos spiritus excitat,

*Lang. in Polyanth.* II. Sicut ignis omnia extenuat, & annihilat; ita superbus nullius alterius Societatem tolerat.

*S. Bonav. in diata salutis tit. 1. c. 3.* III. Sicut fumus, quò altiùs tollitur, hoc magis evanescit; ita superbi, quò magis elevantur, tantò magis in seosu & cogitationibus vani efficiuntur.

*S. Chrysost. ho. 43. ad pop.* IV. Sicut avari, quantò plura ceperint, tantò plura concupiscunt; sic superbi, quantò majori funguntur bonore, tantò magis oovos honores appetunt.

*Stapl. text. 1. in Dom. 10. post Pent.* V. Sicut ridiculi nobis videntur pueri, qui de pileo aut tunica nova sibi vehementer placent, & aliis ideo se præferunt; ita non minùs coram DEO & Angelis ridiculi, imò & exosi sunt, qui de donis à DEO acceptis superbiendi occasionem sumunt.

*Ibid.* VI. Sicut ij, qui ex modico vino aut cerevisia inebriantur, per hoc ostendunt, se caput infirmum habere; ita qui ex modicis donis & talentis extolluntur, debilis se virtutis esse ostendunt.

*Ibid.* VII. Sicut ignis sulphureus aquâ injectâ roboratur, ipsâ aquâ materiam ei & alimentum præbente, quæ tamen cæteros ignes solet extinguere; sic superbia crescente virtute & rebus præclarè gestis magis inflammatur, & illis quasi materiâ utitur, cùm tamen alioqui ex cætera vitia perimere soleant.

*Ibid.* VIII. Sicut umbra corpus semper & ubique consequitur, nisi cùm in Zenith seu summo apice cœli sol consistit; sic superbia virtutem semper comitatur, donec aliquis ad enim perfectionis apicem veniat, ubi nulli amplius vitio locus est.

*Ibid. text. 2* IX. Sicut mare, ut seipsum purget, solet vicina litora fœdare, sordes suas in illa ejiciendo; ita superbi, ut se mundent, aliis maledicunt, maculámque aspergunt.

### *Fuga.*

*Richeomus in accad. honor.* X. Sicut is, qui cellam quidem amplam habet, sed vino vacuam, stultè ob illam gloriatur; ita nec ob ingenium aut naturam ad scientias & virtutes aptum quis prudenter extollitur, nisi actu illas possideat.

*March. tub. Sac. tr. 1. lect. 8.* XI. Sicut is, qui pictori imaginem artificiosissimam & perfectissimam pingenti, alias lineas & colores super inducere vellet, meritò injuriam faceret; ita qui homini, velut imagini perfectæ DEI colores splendoris & vanitatis extrinsecæ addere studet, non leviter eidem DEO displicebit.

### *Damnum.*

*Ibid.* XII. Sicut Basiliscus sese respiciendo seipsum interimit, reflexione quorundam radiorum ab ipsiusmet oculis procedentium; ita superbi seipsos & sua dona considerando, splendore eorum, sibi ipsis mortem animæ accersunt.

*S. Bonav. in diat. Sal. tit. 1. c. 3.* XIII. Sicut ventus lumen extinguit, rorem exiccat, pulverem excitat; sic superbia lumen sapientiæ obfuscat, exsiccat rorem gratiæ, & pulverem vanitatis suscitat.

*Pædagog. Christ. p. 1. c. 7. §. 1.* XIV. Sicut aranea, ut muscam capiat, seipsam texendo eviscerat; ita superbi, ut muscam vanæ æstimationis & famæ acquirant, seipsos consumunt, & bona sua prodigunt.

*Ibid.* XV. Sicut Gallina clamore suo ova prodit, & perdit; sic superbus bona sua per jactantiam amittit.

*S. Chrys. ho. de tetrazia.* XVI. Sicut is, qui oculis captus est, ab omnibus facilè offenditur; ita superbus oculo mentis destitutus ab omnibus facilè capitur.

*Bessaus in Dom. 10. post Pent.* XVII. Sicut Aquila ad prædam nata testas, testudines, nuces & similia altissimè evehit, ut in petram dejecta elidat; sic arrogantia superbos evehit, ut confringat juxta illud Psalmistæ: Dejecisti eos, dum allevarentur. Et illud *Psal. 72. v. 18.* Poëtæ: Tolluntur in altum, ut casu graviore ruant.

*Langius in Polyanth. f. 1109.* XVIII. Sicut modicum fellis optimum quemque succum destruit; ita superbia omnem virtutem labefactat.

## §. IX.

## MOTIVA.

*S. Greg. l. 31 mor. c. 17.* I. Quia superbia *vitiorum omnium Regina & Mater* est, teste S. Gregorio dicente: Vitiorum Regina superbia, cùm devictum cor plenè ceperit, mox illud principalibus vitiis quasi quibusdam suis Ducibus devastandum tradit, quos videlicet Duces exercitus sequitur, quia ex eis procul dubio importunæ vitiorum multitudines oriuntur. Cui etiam consentit S. Prosper dicens: Initium, inquit Scriptura, omnis peccati superbia, non alicujus, ut evidenter ostenderet, quòd ipsa sit peccatorum omnium causa; quoniam non solùm peccatum est ipsa, sed etiam nullum peccatum fieri potuit, potest, aut poterit sine ipsa: Siquidem nihil aliud omne peccatum, nisi DEI contemptus est, quo ejus præcepta calcantur. *S. Prosper. l. 3. de vit. contempl. c. 2.*

*S. Chrysost. ho. 30. ad popul.* II. Quia *brutis ipsis deteriorem efficit:* uti sapienter S. Chrysostomus advertit dicens: Unde igitur, ô homo, dignus es brutis imperare? ex ratione. Sed non inest superbo, cùm enim eâ, non ut debet, utatur, etiam illis pejor est.

§. X.

## MEDIA.

I. CONsiderare *exemplum Christi*; quis enim Famulorum auderet aureâ veste superbus incedere, si Regem & Dominum suum vili lacernâ indutum cerneret? Quomodo ergo servus Christi non erubescet, se super alios efferre, si Dominum suum & tantum tantopere humiliatum, & infra omnes homines depressum videt.

II. Considerare *B. Virginis humilitatem*; ut enim, qui Pharmacopolium ingreditur, invitus etiam odorem secum aufert; sic qui prædictam humilitatem considerat, non poterit non ad eandem sectandam excitari.

Huc etiam conducunt non modicè noti versus:

Unde superbit homo, cujus conceptio culpa,
Nasci pœna, labor vita, necesse mori.
Post hominem vermis, post vermem fœtor & (horror)
Sic in noo hominem vertitur omnis homo.

*S. Paulus 1. Cor. 4. v. 7.* III. Considerare, *unde & cur accepta sint dona*: uti S. Paulus suasit: Quod habes, quod oon acceperis; si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? In quem sensum etiam Epictetus monet: Nullâ debes alienâ præstantiâ gloriari. *Epictet. in Enchir.* Equus quidem elatus, si de seipso jactabundus diceret: Quàm sum egregius! foret tolerabile. At si tu dicas: Næ ego egregium equum possideo; nihil aliud, quàm de alieno bono superbis. tuum autem quid est? nempe solus opinionum usus, quem si secundùm naturam habueris, tum gloriare; ita demum enim de propria excellentia gloriaris.

*S. Chrys. ho. 39. ad pop.* IV. Considerare *vanitatem rerum*, de quibus oritur superbia: Uti S. Chrysostomus suasit dicens: Fortis es, & altum sapis, nónne propterea magis humiliari debes? Quare sapis altum in re vilissima? nam & leo te est aodacior, & aper fortior. At pulcher es, & speciosus. Cornicum ostentatio; non es pavone pulchrior, neque propter florem, neque propter alas.

§. XI.

## ASCETICA.

*S. Greg. in moral. l. 24. c. 28.* I. TRia sunt, quæ specialiter de hoc vitio benè observare debet Asceta. Primum est, ut bene agnoscere illud studeat: nam, ut S. Gregorius sapienter advertit, difficile in se quisq; inveteratam superbiam deprehendit; quia nimirum hoc vitiuio, quantò magis patimur, tantò minùs videmus.

*S. Chrys. ho. in Ioan.* II. Alterum est, quòd hoc vitium ab omnibus quidem, sed specialiter ab Asceta vitandum sit, quia, teste S. Chrysostomo, nihil longiùs ab amore DEI abducit; nihil tam facilè in gehennam intrudit, quàm superbiæ insania: & quia juxta Cassianum morbus superbiæ, licet ultimus sit in conflictu vitiorum, origine tamen & tempore primus est. Sævissima, & superioribus cunctis immanior bestia, perfectos maximè tentans. *Cassian. l. 12. inst. c. 1.*

III. Tertium est, ut beoe agnoscere studeat radicem hujus vitij, quo faciliùs & efficaciùs illud sanare possit; sic enim S. Gregorius monuit dicens: Vitium superbiæ ab ipsa radice secandum est, ut, cùm latenter oritur, tunc vigilanter abscindatur, ne profectu vigeat, nec usu roboretur. *S. Greg. l. 24. mor. c. 28.* Porro radix hujus vitij potissima est, quod bona, ob quæ quis effertur, ut propria aspiciat, & plùs æquo æstimet; unde duo potissimùm media ad hanc radicem extirpandam adhibenda erunt. Primum est, ot certò sibi quisque persuadeat, omnia bona, quæ habemus, DEI, dona esse, ac proin non modò ob ea extolli noo debere, sed graviter potiùs timere, ne, quò plura sunt collata, eò gravior, severiórque à oobis ratio exigatur. Alterum est, ut pariter bene sibi persuadeat, alia longè esse DEI, quàm hominum judicia, ut adeò meritò SS. Augustinus & Gregorius dixerint: Væ laudabili vitæ hominum, si remota pietate judicetur; quia unde ante oculos Judicis se placere suspicatur, obruitur.

§. XII.

## CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occasione thematis: *Non glorietur sapiens in sapientia sua, &c.* *Ier. 9. v. 23.* Potest ostendi, cur non sit superbiendum 1. ex *dignitatibus*, quia nemo propterea verè major est. 2. Ex *divitiis*; quia sunt laqueus Diaboli potiùs, quàm ornamenta hominis. 3. Ex *pulchritudine*: Quia vana & fallax est. 4. Ex *scientiis*: Quia sunt lumen à DEO mutuatum. 5. Ex *bonis operibus*: Quia sunt panous menstruatæ. Vide Fabrum conc. 4. in festo S. Mariæ Magd.

II. Ex occasione thematis: *Abominatio Domino est omnis arrogans:* *Prov. 16. v. 5.* Potest natura superbiæ ex comparatione cum aliis vitiis demoostrari. 1. Quia cætera vitia interdum cessant hominem impugnare defectu loci, temporis, materiæ opportunæ; Superbia autem ubique & semper impugnat. 2. Quia alia vitia consortio gaudent, superbia autem solitudinem amat, nullámque vult habere pacem. 3. Quia alia vitia non nisi à vitiis & materia vitiosa generantur & foventer; superbia autem ex ipsis virtutibus & sanctissimis operibus nascitur. 4. Quia reliqua vitia singulas perdunt virtutes; Superbia autem omnes destruit, & omnia bona radicitùs tollit. 5. Quia cætera vitia cum ætare languescunt; superbia sola tantæ est pertinaciæ, ut reliquis vitiis devictis sola audeat in campo manere. Vide fusiùs hæc in Stapletono fol. 233. text. 1. in Dom. 10. explicata.

III. Ex occasione thematis: *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur*: *Luc. 18. v. 14.* Potest 1. Superbia Goliatho comparari, tum propter magnitudinem,

tum

tum propter jactantiam, tum propter confidentiam in armis suis, gladio scilicet potestatis, hastâ dignitatis & eminentiæ, clypeo divitiarum, &c. 2. Potest ostendi, quomodo hic Goliath exemplo Davidis superari & humiliari debeat tribus etiam armis, scilicet fundâ, lapidibus, & nomine Domini, id est, consideratione magnitudinis Divinæ, infirmitatis propriæ, & vanitatis bonorum, de quibus superbiunt homi-

*S. Chrys. ho. 45. ad pop.*

oes; hæc enim tria media suggessit S. Chrysostomus dicens? Quomodo possumus superbiam extinguere? Si DEUM agnoscamus; nam si ex ignorantia DEI nascitur, cùm ipsum cognoscimus, expellitur omnis insolentia. Cogita ipsam naturam humanam, quòd nihil sit homo. Præsentium rerum vilitatem cogita, & quòd ab umbra somnióque nihil differant. Hæc poterunt nos à tali proposito abstrahere. Quæ omnia fusè & copiosè apud Fabrum in Auctario them. 4. in Dom. 10. post Pentec. explicata videri possunt.

*Tob. 4. v. 14.*

*Eccl. 10. v. 18.*

*Prov. 10. v. 2.*

*Num. 15. v. 30.*

*Amos 8. v. 7.*

*Malach. 4. v. 1.*

IV. Ex accasione thematis: *In ipsa initium sumpsit omnis perditio:* Ostendi potest per inductionem, quomodo omnis perditio ex superbia originem sumat. Et 1. Quidem perditio *in bonis temporalibus*: Quia radices gentium superbarum arefecit Dominus, uti Siracides testatur. 2. In *fama*: Quia ubi fuerit superbia, ibi erit & contumelia, juxta Salomonis effatum. 3. *In corpore*: Quia, cùm inter superbos semper sint jurgia, facilè præsumi potest, inter illos nec vulnera, nec mortes defuturas. 4. *In anima:* Quia anima, quæ per superbiam aliquid comiserit, quoniam adversus DEUM rebellis fuit, peribit de populo suo, uti jam olim DEUS prædixit, & minatus est. 5. *In gratia:* Quia Juravit Dominus in superbia Jacob, si oblitus fuero usque ad finem omnia opera eorum. 6. *In gloria:* Juxta illud Malachiæ: Ecce dies veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi, & omnes facientes impietatem stipula, & inflammabit illos dies veniens.

*Prov. 29. v. 23.*

V. Ex occasione thematis: *Superbum sequitur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria*: Potest pulchra illa historia ex Acroamatis Bidermanni recenseri de Rege, qui, cùm noller credere, veram esse sententiam illam: *Deposuit potentes de sede*: Aut in se impleri posse, misso Angelo, qui Personâ illius assumptâ regnum administravit, in summam egestatem & miseriam incidit, sed tandem suasu cujusdam Eremitæ se humilians iterum regno restitutus est, simúlque per partes explicari, quomodo idem suo modo superbis eveniat. Et 1. Sicut huic Regi, dum in aquis caloris temperandi gratia vestes ablatæ sunt; ita & superbis vestis gratiæ & caritatis eripiatur. 2. Sicut ille regno suo exclusus, & à suis Aulicis desertus est; ita superbi jure ad regnum cæleste priventur, gratiáque DEI & hominum excidant. 3. Sicut ille in summam miseriam incidit, ita idem superbis accidat, dum radices, ex quibus eorum temporalis & æterna felicitas oriri debebat, arefacta est. 4. Sicut ille per humilitatem, omnia priora bona & dignitatem recuperavit; ita idem superbi sperare possunt, si simili modo se humilient, ad quod proin faciendum seriò sunt adhortandi.

*Daniel. 4. v. 22.*

*Ibid. v. 11. seqq.*

VI. Ex occasione thematis: *Ejicient te ab hominibus, & cum bestiis ferisque erit habitatio tua*: Potest ostendi, quomodo superbis idem contingat, quod olim Nabuchodonosori evenit. 1. Ergo dicatur, quòd sint arbori illi magnæ à dicto Rege visæ similes. 2. Demonstretur, quomodo in illis impleatur sententia & pœna DEI in illum decreta: Quomodo scilicet *circumcidatur* per amissionem gratiæ & amicitiæ divinæ: *rami ejus*, ist est, virtutes *pracidantur*: *fructus*, id est, opera bona & merita, *dispergantur*: *Fugiant bestiæ, quæ subter ea sunt*, id est, appetitûs inferioris passiones eis rebelles fiant: *volucres cæli*, id est, Angeli & Sancti ab iis recedant: *Germen radicum ejus*, id est, vita corporalis *relinquatur*: *alligentur vinculo ferreo & æreo*, id est, diversis peccatis inter se concatenatis, & ex superbia oriri solitis: *rore cæli*, id est, aquis variarum tribulationum, quæ comparatione æternarum pœnarum, modicæ & leves sunt, adeóque rori meritò comparantur, *tingatur*: & *cum feris*, id est, peccatoribus & Dæmonibus, *sit pars illius*, 3. Similiter ostendatur, quomodo cum eodem Nabuchodonosore ex misero isto statu liberari debeant, scilicet *levando oculos ad cælum* per orationem, *sensum* humilem recipiendo per obedientiam mandatorum, & sinceram pœnitentiam, *benedicendo altissimo* per agnitionem & prædicationem magnitudinis ejus, & debitam subjectionem.

## §. XIII.

## MISCELLANEA.

### *Qualitas.*

*Plutarch. in Lacon.*

I. Cùm Philippus Rex epistolam & maculentam & insolentem ad devictum à se Archidamum Lacedæmonium Regem scripsisset, rescripsit iste: Si metiaris umbram tuam, haud reperies illam majorem, quàm ante victoriam.

### *Damnum.*

*Fab. conc. 4. in festo S. Magd.*

II. Equus Phaleris selláque ornatus ingenti hinnitu viam currebat, cui cùm asinus pondere onustus occurrisset, fremebundus ad illum dixit: Quid, ignave; obsistis equo? cede, aut pedibus te conculco. Cedente ergo asino, dum cursum ille intendit, rupto inguine, spoliatus est ornamentis, & carri vectori venditus; quem postea asellus sacco onustum videns, heus, bone, inquit, quid sibi vult istud ornamentum? Ubi aurata sella? frenum nitidum? Sic, amice, evenire necesse fuit superbienti.

III. Nux arbor procera & elegans, dum vicinis vepribus sterilitatem, humilitatem, & odium tangentium exprobrat, subitò diversi homines advenientes, & nuces maturas esse

advertentes, fustibus eam undique impetere, graviterque etiam lapidibus vexare cœperunt: quo viso vepres sibi de sua humilitate & securitate gratulatæ sunt.

*Ibid.* IV. Arbores duæ erant in silua, procera altera & recta, elegánsque; altera curva, humilis, aspera, nodosa, quæ, dum ab altera illuditur, adveniens Architectus securim arripit, altámque excidit, humili relictâ. Idem superbis sæpe à morte contingit.

*Ibid.* V. Cùm duo Galli acriter inter se certâssent, & alter victus fugisset, & abscondisset se; alter verò conscenso tecto triumphum caneret, casu prætervolans Aquila illum conspectum invadit, & exossat, altero sibi gratulante, & gregi suo præesse pergente.

*Seneca.* VI. Feriunt altos fulmine montes, rectè dixit Poëta periculum superbis capitibus imminens demonstraturus.

*Langius in Polyant. V. superb.* VII. Æsopus quondam interrogatus, quid faceret Juppiter? excelsa deprimit, & humilia extollit, respondebat.

*Plutarch. in Apoph.* VIII. Ephicrates cuidam ignobilitatem generis exprobranti rectè respondit: meum genus in me incipit, tuum in te desinit.

IX. Contingit superbis plerumque id, quod Icaro Dædali Filio evenit, qui affictis à Patre pennis, monitus, ne altius volaret, dum mandatum negligit, in aquas liquefactis à Sole pennis cecidit. Hinc illud Poëtæ:

Dum petit infirmis nimium sublimia pennis Icarus, Icarias nomine fecit aquas. *Ovidius 2. trist.*

X. Sed & Phaëthon, dum majora viribus præsumit, ut habet fabula, de cœlo præcipitatus cum equis Solis mundum incendit. *Idem l. 2. Metam.*

## §. XIV.

## AUTHORES.

I. Joannes Busæus in Panario.
II. Jacobus Marchantius in Tuba Sacerdotali tract. t. toto.
III. Philippus D' Outreman in Pœdagogo Christiano p. t. c. 7. §. t.
IV. Petrus Canisius to. 4. de vit. capit.
V. Bernardinus Rosignolius l. 2. de discpl. Christ. c. 23.
VI. Joannes Cassianus l. 12. de instit.
VII. Jacobus Alvarez de extinct. vitiorum. l. t. p. 2. c. 17.
VIII. Ludovicus Granatensis in Loc. comm. fol. 588. & in Duce Peccatum l. 2. c. 4.
IX. Laurennus Beyrlinck. V. eodem.
X. Thomas Stapletonus. in Dom. 10. post Pent. text. 1. 2 3. & 7.
XI. Josephus Langius in Polyanthæa V. eodem.

---

# *TITULUS XXIII.*

# SUPERSTITIO.

## §. I.

## QUOAD ESSENTIAM.

### *Definitio.*

### I.

*Busenbaũ. l. 3. c. 1.* EST cultus vitiosus veri vel falsi Numinis. atque adeò, ut S. Thomas dixit, est vitium religioni oppositum secundùm excessum, non quòd DEUS nimium coli possit, sed quod cum indebitis circumstantiis colatur, exhibendo cultum vel quem quis non debet; vel eo modo, quo non debet; vel illi, cui non debet.

### *Divisio.*

*Ibid.* II. Dividitur in Superstitionem *Cultus incongrui quoad modum colendi*, qui contingit, quando cultus falsus, perniciosus, superfluus, seu contra vel præter consuetudinem Ecclesiæ DEO exhibetur. Et incongruum *Quoad rem cultam*, cùm scilicet cultus DEO soli debitus falso DEO vel creaturæ defertur. Et hæc in alias quinque species subdividitur. Videlicet *Divinationem*, per quam tacitè vel expressè Dœmonis auxilium invocatur, ad res naturaliter incognoscibiles cognoscendas.

*Idololatriam*, per quam creatura quasi Deus colitur. *Vanam observantiam*, per quã effectus aliquis medio improportionato procuratur. *Magiam*, quæ ad effectus miros ope dæmonis procurandos ordinatur. *Maleficium*, per quod ex pacto cum Dœmone inito nocetur alteri.

### *Actus.*

III. Primus est, *DEUM per ceremonias abolitas colere.*

IV. Secundus, *Officium aut munus publici Ministri Ecclesiastici sibi arrogare*, v. g. Si confessiones Laicus excipiat, aut Sacrificiũ offerat.

V. Tertius, *propriâ authoritate aliquid velut ab Ecclesia ad DEI cultum ordinatum proponere*; ut si quis varias cæremonias in Sacramentorum administratione adhibeat.

VI. Quartus, *falsas reliquias, miracula, revelationes confingere, & proponere.*

VII. Quintus, *Dæmonem aut magos de rebus occultis consulere.*

VIII. Sextus, *Solem aut aliam creaturam pro DEO habere*; ut frequenter faciunt magi, Diabolum cultu latriæ adorantes.

IX. Septimus, *Varia amuleta aut ligaturas porta-*

*portare contra vulnera, vel subitam mortem aut alios similes effectus improportionatos.*

X. Octavus est, *rebus Sacris majorem vim, quàm conveniat, attribuere*; ut si quis aquam benedictam crederet habere virtutem infallibilem ad Dœmones & homines malos arcendos.

XI. Nonus, *Varia animalia ex tempore creare, aut ex alio loco longè dissito in momento adducere.*

XII. Decimus, variis incantationibus pecora aut agros alterius inutiles efficere.

## §. II.

## EX S. SCRIPTURA.

### *Qualitas.*

*Gal. 4. v. 9.* I. QUomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuò servire vultis? Dies observatis, & menses, & tempora, & annos.

*Eccl. 34. v. 5.* II. Divinatio errores & auguria, mendacia, & somnia maleficientium vanitas est. Et sicut parturientis cor tuum phantasias patitur: nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis in illis cor tuum; multos enim errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis.

### *Fuga.*

*Lev. 19. v. 31.* III. Non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos, ego Dominus DEUS vester.

*Deut. 18. v. 10.* IV. Non inveniatur in te, qui Ariolos sciscitetur, & observet somnia atque auguria, nec sit maleficus, neque incantator, nec qui Pythones consulat, nec divinos, aut quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus.

*Ier. 10. v. 2.* V. Hæc dicit Dominus: juxta vias Gentium nolite discere, & à signis cæli nolite metuere, quæ timent Gentes, quia leges populorum vanæ sunt.

*1. Cor. 10. v. 20.* VI. Nolo vos socios fieri Dœmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse & mensæ Dœmoniorum.

*Deut. 13. v. 2.* VII. Si surrexerit in medio tui Prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum atque portentum, & evenerit, quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus, & sequamur DEOS alienos, quos ignoras, & serviamus eis: non audies verba Prophetæ illius aut somniatoris, quia tentat vos Dominus DEUS vester, ut palàm fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima vestra.

### *Damnum.*

*Exod. 22. v. 18.* VIII. Maleficos non patiêris vivere.

*Lev. 20. v. 6.* IX. Anima, quæ declinaverit ad Magos & Ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam eam de medio Populi sui.

*Ibid. v. 27.* X. Vir sive mulier, in quibus Pythonicus vel divinationis fuerit Spiritus, morte moriantur; lapidibus obruent eos, sanguis eorum erit super illos.

XI. Veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardente, igne & sulphure, quod est mors secunda. *Apoc. 21. v. 8.*

XII. Projecisti populum tuum, domum Jacob, quia repleti sunt, ut olim, & augures habuerunt ut Philisthym. *Isaia 2. v. 6.*

## §. III.

## EX SS. PATRIBUS.

### *Qualitas.*

I. SUperstitiosa illa, quæ ægrotis applicatis, etiamsi mille modis philosophentur, qui quæstum ex ipsis faciunt, dicentes: DEUM invocamus, & prætereà nihil facimus, & quidquid ejusmodi prætendunt, & Christiana est hæc anus, & fidelis, idololatriam tamen sapiunt. Fidelis es? Crucis signaculo utêre. Dic, hoc duntaxat habeo scutum; hoc solum pharmacum, aliud ignoro. Dic mihi, si Medicus ad ægrotum accedens, relictis medicinæ pharmacis incantatione uteretur, an hunc Medicum diceres? Nequaquam, non enim videremus medicinæ pharmaca, ita neque hîc quæ sunt Christianismi. *S. Chrysost. ho. 8.*

### *Fuga.*

II. Nihil tibi amuletis, nihil incantamentis opus est, cum quibus pravus ille in leviorum hominum animos simul irrepit, venerationem DEO debitam furtim ad se transferens. Trinitatem ipsi da, magnum, inquam, illud & pulchrum amuletum. *S. Greg. Naz. orat. 40. in S. Baptisma.*

III. Nec sufficit, ut à mortifero Dœmonum cibo vitam suam custodiat Christianus, sed ut omnia abominamenta Gentilium, & omnes Idololatriæ tramites, sicut quædam serpentis Diaboli venena diffugiat. Partes enim Idololatriæ sunt veneficia, præcantationes, suballigaturæ, vanitates, auguria, sortes, observatio omnium, parentalia. *S. Gaudent. tr. 4. in Exod.*

IV. Post imaginem DEI, quæ in cordis ratione monstratur, & confessionem fidei, quæ ore profertur, consurgunt serpentes, & artes maleficæ, ad bella nos provocant. Sed nos, qui habemus pretiosissimum thesaurum in vasis fictilibus, quæ frangi possunt, ita ut quædam vix testa remanserint, in qua hauriri possit aquæ pusillum, omni custodia circumdemus cor nostrum. *S. Hiero. ad Fabiol. de 42. Mansion.*

### *Damnum*

V. Vidésne, quantùm mali importet auguratio? qui huic incumbit, studiúmque adhibet DEI providentia ac sollicitudine destituitur. Plerique autem Christianorum súsque déque habent talibus commentis aures accommodare, & illinc aucupari famam, nec pudet isti ominosæ suspicioni ac signis attentos esse. *S. Basil. in c. 2. Isaiæ.*

VI. Si levi morbo aliquo tentatus ilico resiliens à Domino ad Dœmones accurras, quam tandem veniam consequêris? quo pacto valebis illum

illum denuo tibi propitium reddere? quin potius nec alius quiquam pro te deprecari poterit, etiamsi tantùm valeat authoritate apud DEUM, quantùm Moses. Non est, inquam, quisquam, qui hoc facere potest. Non audis, quid DEUS loquatur ad Jeremiam de Judæis? ne depreceris pro populo isto, quoniam si surrexerit Samuel & Moses, non exaudiam illos. Adeò sunt peccata omnem remissionem superantia, quæque nullam recipiunt excusationem.

## §. IV.

## EXEMPLA.

*Qualitas.*

I. Bubulcus quidam in baculo suo pastorali schedam S. Blasii nomine inscriptam habebat, cujus baculi virtute porcos suos ab omni luporum rabie tutos credebat, etiam se absente. Quodam verò tempore cùm ipse abesset, alius quispiam casu ibi transiens, Dœmonem porcos custodientem vidit, quem cùm interrogâsset, cur id faceret? ob stultam, respondit, Pastoris confidentiam; nam schedam quandam baculo inclusit, cui propter S. Blasii nomen divinam tribuit virtutem; unde quia Blasius invocatus sæpe non venit, ego me substitui, ut hac ratione ipsum suâ vana confidentia retinere. *Majolus to. 2. can. de Sagis.*

II. Cùm aliquando Vetula quædam à studioso quopiam verba quædam incantatoria contra opthalmiam scribi petiisset, ille hæc duntaxat verba: Diabolus tibi oculos eruat, & foramina fimo repleat: inscripsit, quæ tamen ipsa, cùm collo illa suspendisset, paulò pòst sanata est. *Faber co. 5. in Epiph.*

*Fuga.*

III. S. David, teste S. Chrysostomo, diligebat Filium ægrotum, & in sacco quidem & cinere jacebat; verùm neque divinos, neque incantatores adduxit, quamquam tunc tales essent, id quod in historia Saulis liquet, sed DEO supplicavit. *S. Chrysost. ho. 10. in Epist. ad Coloss.*

IV. Lazarus Mendicus licet morbo sic debilitatum corpus haberet, ut nec canes ulcera lingentes abigere posset, haud tamen quærebat incantationem, non veneficos ad se vocavit, nec aliud quidpiam vetitarum artium tentavir, sed priùs habuit illi immori malis, quàm ulla parte deserere pietatem. *Idem in orat. 5. adversus Judæos.*

V. S. Bernardus cùm adhuc puerulus gravi capitis dolore vexatus in lectum decidisset, & mulier quædam dolorem carminibus mitigatura ad eum accessisset, acri indignatione commotus incantatricem clamoribus à se repulit, abegitque, & impetu quodam Spiritûs è lecto exiliens, mox divinitus ab omni dolore se liberatum agnovit. *Surius 20. August.*

VI. S. Paulo olim prædicante, multi, ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus. *Act. 19.*

VII. Philippus Rex Francorum audiens ceream quandam imaginem ita suo nomine incantatam, ut eâ destructâ ipsi moriendum sit, assumpsit imaginem, & in ignem abjecit dicens: Videbimus, an potentior sit Dœmon ad perdendum me, quàm DEUS ad salvandum me. *Fab. con. 5. in Epiph.*

*Damnum.*

VIII. Ochozias, quia de infirmitate sua Beelzebub DEUM Accaron consuli jussit, audiit ab Elia: Numquid non est DEUS in Israël, ut eatis ad consulendum Beelzebub? quamobrem hæc dicit Dominus: de lectulo, super quam ascendisti, non descendes, sed morte morieris. *4. Reg. 1.*

IX. Elymas Magus, quia magicis artibus multos deceperat, audiit à S. Paulo: ô plene omni dolo, & omni fallacia, Fili Diaboli, inimice omnis Justitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas? & nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, non videns solem usque ad tempus. *Act. 13. v. 10.*

X. Episcopus quidam cùm per Necromantiam Episcopatum adeptus esset, acquisitis postea multis adversariis, ex Dœmone quæsivit, an fugere deberet? cui ipse respondit: non sta securè. Venient enim inimici tui suaviter, & Domui tuæ subjicientur. Quòd cùm Episcopus sic interpretatus esset: non, sta securè &c. venerunt inimici, & castrum succenderunt. Cúmque Episcopus Diabolo deceptionem exprobrâsset, negavit ille, se decepisse, sed verè dixisse: Non sta securè: venient enim inimici suâ viter, & domus tuæ subjicient ur, id est, ignem. *Majol. to. 2. can f. 70.*

XI. Cùm in Aula Anglicana duo magi convenissent, & alter alteri per fenestram prospicienti subitò cornua cervina affinxisset, ut caput retrahere nequiret; hic in pariete humanam effigiem carbone pinxit, & alterum subire coëgit, qui pariete cedente ingressus nunquam amplius comparuit. *Faber. conc. 4. in Epiph.*

XII. Alius cùm in Hospitio Hospitis socium decollâsset, eique caput reimponere vellet, in hoc autem ab alio Mago assidente impediretur, inprimis eum, ne hoc faceret, semel iterúmque est hortatus, postea verò videns se nihil efficere, lilium in mensa excrescere fecit, quod ubi decollavit, etiam alter Magus decapitatus concidit. *Ibid.*

## §. V.

## EXEMPLA PROFANA.

*Fuga.*

I. Tiberius Imperator Romanus Christo in terris degente, & annum decimum octavum agente decretum contra Magos & Astrologos judiciarios fecit, & exteros quidem necavit, cives verò his artibus addictos patriâ excesse jussit. *Dio l. 57.*

II. Cato cùm esset consultus à quodam, qui sibi à soricibus caligas erosas diceret, respondit, illud non esse monstrum, sed verè monstrosum futurum fuisse, si sorices à caligis fuissent corrosi: sicque superstitionem alterius elusit. *S. Aug. l. 2. doct. Christ. c. 20.*

III. Cajus

S. Cypr. de idol. III. Cajus Cæsar, ne ante brumam in Africam navigaret, auguriis & auspiciis retinentibus sprevit, & eò faciliùs navigavit, & vicit.

### Damnum

Idem. IV. Regulus auspicia servavit, & captus est. Mancinus religionem tenuit, & sub jugum missus est. Pullos edaces Paulus habuit, & apud Caonas tamen cæsus est.

Diodor. l. 20. V. Amilcari Carthaginensium Duci contra Agathodem Syracusas obsidenti Aruspex prædixit, postridie Syracusis cænaturum; unde dum ille hoc vaticinio audacior factus, acriter urbem aggreditur, oppugnat, factâ eruptione captus ab hostibus, & in urbem introductus ibidem cœnavit.

Petrarcha ex Suetonio. VI. Neroni vix triginta annos supergresso respondit Delphicum oraculum, cavendum illi annum Septuagesimum tertium esse, unde omnia ausus, & subitò à suis derelictus, & ab inimicis ad necem quæsitus seipsum necavit, succedente Galba, qui annum septuagesimum tertium agebat.

## §. VI.

## SIMILITUDINES.

### *Qualitas.*

Fab. conc. 5. in Epiph. I. Sicut Judas cum Judæis pactum injit de Christo per osculum tradendo, etsi osculum illud secundùm se non fuerit signum offensionis & apprehensionis, sed potius benevolentiæ & amoris judicium; ita qui magicis utuntur figuris, precibus, & similibus rebus, licet hæ per se non sint malæ, nec vi suâ effectus, quos illi copiunt, producere possint, tamen per illos signum dant Dœmonibus, ut ex pacto tales effectus producant.

Ibid. n. 2. II. Sicut Latro unus in silva Viatoris lateri se adjungit, & Latroni socio in insidiis latenti fistulâ dat signum, ut peregrinum vel globo trajiciat, vel ad se veniat, ut eum junctis viribus occidere possint; ita Incantatores per sua signa magica Dœmones evocant, ut ea, quæ ipsi cupiunt, faciant, aut certè cooperentur in faciendis.

Ibid. III. Sicut Dœmon, licet sub forma aliqua Hominis vel Bestiæ appareat, DEO tamen disponente, semper cum aliquo defectu ex quo agnosci possit, se visibilem præbet, ut Delrio ex S. Chrysostomo notat; ita incantationes licet multa bona verba aut alia signa contineant, semper tamen aliquid superstitiosum & Diabolicum, per quod cognoscantur, includunt.

Ibid. n. 5. IV. Sicut Christus luto illuminavit oculos, cùm tamen lutum potius contrariam virtutem ad excæcandum haberet, & per hoc divinitatem suam ostendit; ita Diabolus mediorum ad effectum producendos improportionatorum usum persuadet, ut hâc ratione homines illis divinum quid inesse credant.

### *Damnum.*

Ibid. n. 6. V. Sicut Judæis scriptura Sacra, quæ salutem illis afferre debuerat, perperam intellecta perditionem attulit, dum scilicet eâ contra Christum & ad tuenda vitia abusi sunt; ita res sacræ, quæ Christianis ad animæ salutem præscriptæ & concessæ sunt ab illis suasu Dœmonis ad interitum adhibentur.

Ibid. n. 7. VI. Sicut serpentum domitores Pueris cor serpentis comedendum offerunt, ut nullum amplius serpentem timeant, sed innoxij contrectare & capere audeant; ita Dœmon sæpe ossa mortuorum, catenas suspensorum, aut annulos ex iis factos, aliáque similia abominanda indicia adhibere jubet, ut hac ratione homines pudorem & horroré exuant, & ad quævis inhumana & abominanda scelera perpetranda disponatur.

## §. VII.

## MOTIVA.

S. August. l. de vera relig. c. 55. I. Quia hoc vitium est singulariter in odium DEI à Dœmonibus inventum, ut per illud cultum DEO debitum in se transferant, atque adeò non potest non *graviter DEO displicere*: hinc rectè S. Augustinus monet: Non sit nobis religio cultus Dœmonum, quia omnis superstitio, cùm sit magna pœna hominum, & periculosissima turpitudo, honos est ac triumphus illorum.

S. Ephrem de abren. II. Quia valde *dedecet Christianum*, ut qui per baptismum abrenunciavit Dœmoni, nunc iterum cum eo amicitiam ineat. Quæ omnia pulchrè explicat S. Ephrem! dum ait: Abrenunciatio, quam in baptismo facimus, nominata quidem apparet parva, sed intellecta, admodum magna, quam qui servare voluerit, beatissimus erit: Paucis námque verbis cuncta, quæ nominantur, mala, quæque odit DEUS, valere jubemus & abrenunciamus, cujusmodi sunt non unum duntaxat, non duo, nec decem, sed quodcunque appellatur malum, puta, Abrenuncio Satanæ & cunctis operibus ejus. Quibus, inquam, operibus? audite, fornicationi, adulterio, immunditiæ, furto, invidiæ, *veneficio, divinationi, incantationibus, augurationibus, Spirituum immundorum interrogationibus* quæ cuncti novimus opera ac doctrinas esse Diabolorum.

S. Chrysost. l. contra Ind. orat. 5. III. Quia *turpe admodum est*, propter modicam correptionem aut tribulationem à DEO ad Diaboli inimicum confugere. Id quod sequentibus verbis egregiè S. Chrysostomus ostendit: Si tu Famulum tuum flagris cæcideris, & ille triginta aut quinquaginta plagis acceptis illico provocet ad libertatem, aut deserat Dominium tuum, & ad alios quospiam se conferet, qui te oderint, eósque in te concidet; dic mihi, num is abs te veniam impetraturus sit? an quisquam pro illo potens esse Patronus? nequaquam. Cur ita tandem? quoniam ossis

officium Heri est punire talem famulum; similiter ergo modo nec à DEO ad Dœmonem confugiendum ob modicam afflictionem, cùm is per has officium Patris ac Domini exerceat.

IV. Quia *auxilium desideratum* meliùs fugiendo ejusmodi superstitiones, quàm adhibendo *obtinetur*; uti clarè S. Chrysostomus iterum affirmavit dicens: Neque tantùm consequentur laudes rectè factorum, verùm etiam celerrima morbi levatio, quùm ipsâ tuâ præclarâ vo- voluntate conciliante tibi DEUM ad majorem benevolentiam, tum Sanctis omnibus gratulantibus tuæ promptitudini, atque ex intimo corde preces pro te fundentibus.

*S. Chrysost. l. c.*

V. Quia omnia, quæ per has magicas artes adhibentur, media, *plena sunt fraudibus & mendaciis*: Certè Joannes Picus asseverat, se, cùm longo tempore mutationem temporum observâsset, & ante oculos semper haberet Astrologicas observationes, intra centum triginta dies continuos non deprehendisse septem, in quibus non fuerunt hallucinati. Quod idem de aliis vanis observationibus & superstitionibus sentiendum. Quis ergo tam fallaci Magisterio se subdat, & addicat?

*Jo. Picus in lib. contra Astrol.*

## §. VIII.

## MEDIA.

I. *Magnam de DEI potentia, Sapientia & bonitate æstimationem concipere*: inde enim non modicè animus incitabitur ad auxilium ab ipso petendum & sperandum, uti S. Chrysostomus verbo & exemplo docuit dicens: Hoc est mihi corona, hoc diadema, propter te trophæum erigere, propter te salutem adipisci. Hoc autem dico propter eos, qui in morbis utuntur incantationibus, & alias exquirunt imposturas & præstigia ad suam levandam ægritudinem.

*S. Chrysost. in ps. 9.*

II. *Oratione se munire* contra Dœmonum insidias: ita iterum S. Chrysostomus suasit his verbis: Sicut nemo sine calceamentis vel vestimentis in forum descendere eligeret; Ita sine verbo hoc nunquam in forum prodeas, sed cùm es januæ vestibula transgressurus; hoc prius loquere verbum: Abrenuntio tibi Satana, & conjungor tibi Christe. Necunquam absque hac voce exeas, hæc erit tibi baculus, hæc armatura, hæc turris inexpugnabilis. Cùm hoc verbo & crucem in fronte imprime, sic enim non tantùm homo occurrens, verùm nec ipse Diabolus te quicquam lædere poterit, cum his te cernens armis apparentem.

*S. Chrisost. ho. 21. ad popul.*

III. Considerare, quantò *magis præstet*, vitam & bona temporalia amittere, quàm ejusmodi mediis servare, animámque & corpus necare. Qua de re iterùm S. Chrysostomus: morietúrne puer? inquis. Si hoc pacto vivet, tum mortuus est. Si verò sine istis mortuus fuerit, tunc revixit. Jam si videris Filium scortis deditum, mox velles defossum ac sepultum ac dicis? quid enim proficeret illum vivere? Cùm videas autem salutis illum subire periculum, vis ita viventem videre?

*Idem ho. 8. in Epist. ad Coloss.*

IV. Considerare, quàm *gloriosum & honorificum sit*, ab ejusmodi superstitionibus abstinere, eásque contemnere. Quemadmodum enim SS. Martyribus valdè gloriosum fuit, præoptari cædi flagris, torquerique, quàm falsos DEOS honorare, ab iisque auxilium petere vel sperare; ita non minùs honorificum erit, malle torqueri à morbis aut aliis afflictionibus, quàm ad ejusmodi superstitiosas artes confugere, & per illas opem à Dœmone emendicare. Quæ omnia fusiùs prosequens S. Chrysostomus, cùm ejeceris, ait, incantationes multa cum contumelia ex ædibus tuis, omnes hoc audito collaudabunt, mirabuntur, & inter se dicent: Ille ægrotans pluribus hortantibus, incantantibus, consulentibus, ut magicis quibusdam incantamentis uteretur, non assensit, sed respondit, satius est, hoc pacto mori, quàm deserere pietatem. Adhæc consequentur multi plausus ab his, qui audierint, cunctis stupentibus, Deúmque glorificantibus. Hoc quot Statuis tibi erit honorabilius? quot imaginibus magnificentiùs? omnes laudabunt, omnes tuam felicitatem prædicabunt, omnes te coronâ dignum judicabunt. Præterea ipsi quoque meliores fient, ac vicissim tuum exemplum æmulabuntur, imitabuntúrque fortitudinem, & si quis alius tale quidpiam fecerit, tu mercedem feres, qui exempli fueris auctor.

*Ibid.*

*Idem orat. 5. contra Iud.*

V. Considerare, quantò *majorem consolationem* ex contemptis superstitionibus, quàm admissis habiturus sis, nam, ut sapienter advertit S. Chrysostomus, etiamsi millies exurat febris, anima tua quovis liquore, quâvis irroratione meliorem, utiliorémque mitigationem adducet. Quemadmodum enim, postquam acceperis mutationem, sanúsque factus fueris (per magicas artes) miserior factus es iis, qui febre laborant, dum tecum reputas peccati magnitudinem; sic nunc quoque, etiamsi febricitetis, innumeráque patiaris mala, repulsis impiis illis, quovis sano meliùs eris affectus animo, gestiente præ gaudio conscientiâ, ac laudante te, probantéque ac dicente: Euge, euge, heus homo, Christi servus, vir fidelis, Athleta pietatis, qui malveris molestiis immori, quàm deserere tuam pietatem, proximo secundùm Martyres loco stabis illa die.

*Ibid.*

## §. IX.

## ASCETICA.

I. Tria sunt, quæ præcipuè circa hoc vitium ab Asceta observanda sunt. Primum est, ut, bene cognoscat fallaciam harum artium magicarum, ideóque illud S. Augustini semper ob oculos habeat: Fatendum, quando ab illis (Astrologis) vera dicuntur, instinctu quodam occultissimo dici, quem nescientes humanæ mentes patiuntur. Quod cùm ad decipiendos homines fit, Spirituum seductorum operatio est: quibus quædam verba de temporalibus rebus nôsse permittitur, partim quia subtilioris sensûs acumine, partim quia corporibus subtilioribus

*S. August. de vera relig. c. 17.*

lioribus vigent, partim experientia callidiore propter magnam longitudinem vitæ, partim à S. Angelis, quod ipsi ab omnipotente DEO discunt, etiam jussu ejus sibi revelantibus, qui merita humana occultissimæ justitiæ severitate distribuit. Aliquando autem iidem nefandi Spiritus etiam, quæ ipsi facturi sunt, velut divinando prædicunt.

II. Secundum est, ut bene cognoscat radicem ac causam, ex qua ejusmodi superstitiones oriuntur, quam quidem idem S. Augustinus sequentibus verbis assignavit: Homines negligentes & faciles, languida desideria, & fidem desidem habentes, etiamsi incipiant, non diu perseverant in operibus DEI, sed ubi se antedictis sacrilegiis abstinuerint, vel unam Diaboli nequitiam pertulerint, statim pœnitent, se ad Dominum conversos esse, & machinamenta Diaboli reliquisse, iterum revertuntur ad observationes auguriorum, velut canis ad vomitum suum. Unde suadet, ab initio semel iterúmque fortiter repellendos, qui ad ejusmodi artes impellunt; si enim semel, inquit, aut secundò nequitias, quas Diabolus immiserit, cum animo & tota fide contemseritis, ita ipsum Diabolum postea à vestra infestatione DEUS dignabitur repellere, ut nunquam possit vos suâ calliditate decipere. *S. August. s. 241. de temp.*

III. Tertium est, ut bene sibi aliisque persuadeat, quòd Diabolus nemini plùs nocere possit, quàm DEUS permittat, ut iterum S. Augustinus præclarè his verbis docuit: Illud ante omnia scitote, Fratres, quòd nec vosipsos, nec eos, qui ad vos pertinent, vel in parvis rebus Diabolus potest lædere, nisi quantùm à DEO potestatem acceperit. Quomodo nec S. Job facultatem ausus fuit Subvertere, nisi Domino permittente. Et sicut in Evangelio legimus, quando ab hominibus expulsi sunt dæmones, rogaverunt, ut vel in porcos ire permitterentur si in porcos non sunt ausi intrare Dæmones, nisi à DEO permissionem acciperent, quis ita erit infidelis, ut eos bonos Christianos credat posse lædere, nisi DEUS propria dispensatione permitteret? Permittit autem hoc DEUS ex causis duabus, aut, ut nos probet, si boni simus: aut corrigat, si peccatores. *Ibid.*

§. X.

CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occasione thematis: *Non declinetis ad Magos, neque ab Ariolis aliquid sciscitemini, ut polluamini per eos*: ostendi potest, quàm fœdè, multipliciterque polluantur, qui magicas artes exercent, aut ab aliis exerceri petunt. 1. Quoad *corpus*: dum ad turpissimos quosque corporis abusus incitantur per Dæmones, maximè in nocturnis conventiculis, ut ex variis historiis patet. 2. Quoad *animam*: dum ab uno peccato gravissimo in aliud præcipitantur. 3. Quoad *famam*: cùm velut turpissima Dæmonis mancipia DEO, hominibúsque fiant exosi: Vide Fabrum conc. 4. in Epiph. n. 3. *Lev. 19. v. 31.*

II. Ex occasione thematis: *Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum*: demonstrari potest, cur magis ad DEUM pro auxilio & solatio confugere debeamus, quàm ad Dæmones, nimirum 1. quia DEUS potest *universaliter* juvare, Diaboli verò non nisi, quantùm illis à DEO conceditur. 2. Quia DEUS *verè & absque fallacia* juvat, Dæmones autem plerumque decipiunt, aut destituunt invocantes se, ut ex multis historiis liquet. 3. Quia DEUS *sincerè*, id est, optimâ intentione juvat; Dæmones autem nequissimo animo, ac voluntate succurrunt, scilicet ut per ejusmodi auxilium in laqueos suos trahant incautos, miseréque perdant. 4. Quia DEUS *constanter* juvat, cùm motivum juvandi, scilicet bonitas ipsius, semper idem sit; Dæmones verò non nisi tamdiu juvant, quamdiu voto suo necdum sunt potiti; ubi autem semel in pedicas suas & desperationē perduxerint, spontè deserūt. *Eph. 4. v. 27.*

III. Ex occasione thematis: *Nolite locum dare Diabolo*: possunt fraudes Dæmonis explicari, quas erga ejusmodi superstitiosos homines exercet. 1. Quia promittit sæpe, quæ dare non potest; sicut Christo dixit: Hæc omnia tibi dabo; cùm tamen ad eum non pertinerent. 2. Quia falsas divitias, & voluptates pro veris offert; hinc sæpe constat stercus pro auro, mures pro avibus, cadavera pro vivis pulchrísque corporibus, ah eo fuisse oblata. 3. Quia in prædictionibus plerumque mendacia miscet, aut certè Amphibologiis utitur, ut faciliùs decipiat; quæ omnia fusiùs videri possunt explicata apud Fabrum conc. 4. in Festo. Epiph. n. 2.

IV. Ex occasione thematis: *Auferam maleficia de manu tua, & divinationes non erunt in te*: potest Concionator dicere, se quoque omnes superstitiones, quantùm in ipso erit, de cordibus Auditorum ablaturum, ideoque varias observantias quæ plerumque in figuris, verbis, diebus, ominibus somniis, rebus sacris &c. committi solent, relaturum, earúmque vanitatem ostensurum, prout fusè fecit Faber per totam conc. 5. in Epiph. *Michea 5. v. 11.*

V. Ex occasione thematis: *Non inveniatur in te, qui ariolos sciscitetur*: possunt inprimis varia divinationū genera ex astris, elementis, physiognomia, somniis, oraculis explicari. Deinde verò ostendi, quàm sit impium, stultum, & periculosum ejusmodi divinationes usurpare aut expetere. De qua materia Faber per totam conc. 4. & 6. in Epiph. agit. *Deut. 18. v. 10.*

VI. Ex occasione thematis: *In manibus tuis sortes meæ*: possunt inprimis varia genera sortis, scilicet divisoriæ, consultoriæ, & divinatoriæ, explicari, & quousque licitæ sint, ostendi 2. verò demonstrari, quàm fallaces, noxiæ, & vanæ sint sortes, quæ à fortuna aut dæmonibus petuntur; atque adeò multò meliùs & sapientius faciant, qui cum S. Davide dicunt: In te, Domine, speravi. Dixi, DEUS meus es tu, in manibus tuis sortes meæ. Per hanc enim sortem semper obtinetur optimum, quod desiderare possumus, scilicet id, quod divina de nobis voluntas disposuit, quódque non *Ps. 30. v. 16.*

non potest non esse optimum. Vide Fabrum conc. 6. in Epiph. n. 6.;

VII. Ex occasione thematis: *Maleficos non pătieris vivere*: potest institui judicium super maleficos, & 1. quidem gravitas peccati ab eis commissi ostendi per hoc, quòd ejusmodi peccatum sit contra omnes primarias virtutes tam Theologicas, scilicet fidem, spem, & caritatem, quàm morales prudentiam, Justitiam, temperantiam, fortitudinem. 2. Ne inaudiri damnentur, possunt eorum excusationes audiri & refutari, quòd scilicet etiam Christus & Apostoli Sathanæ imperaverint, ut aliquid faceret: quòd talia media reipsâ comprobentur, effectũ suum habuisse: quòd meræ res Sacræ adhibeantur &c. quæ omnia fusiùs apud Fabrum conc. 4. v. 3, refutata videri possunt.

### §. XI.

### MISCELLANEA.

*Qualitas.*

*Textor. in offic. c. 32.* I. APud Lygureos Thraciæ populos, Antistides Oracula redditurí, multo priùs vino se ingurgitabant. Contrà verò apud Clarios futura prædicturi aquam priùs largè hauriebant.

*Fab. conc. 4. in Epiph.* II. Olim Idolorum Sacerdotes antè, quàm responsa ab oraculis peterent, altiùs proclamabant: Procul hinc sit lotus & unctus, Christanus scilicet aquâ baptismali lotus, & oleo Chrismaris in confirmatione unctus. Hinc Sacrificanti quondam Juliano omnia irrita cedebant, quia Christianus, qui Gentilis credebatur, intererat.

*Fuga.*

*Textor. c. 33.* III. Cassandra Priami Filia, cùm Apollini copiam sui corporis promisisset, ab eodem vates facta est: cùm autem non stetisset promissis, iratus DEUS fecit, ut ejus vaticiniis fides non haberetur. An non autem hoc magis Dœmoni convenit?

IV. Phavorinus apud Gellium fidem divinationibus non esse adhibendam, hoc discursu suadere conatus est: aut adversa eventura dicuntur, aut prospera? Si adversa, & mentiantur, miser frustra fies timendo: si non mentiantur, jam inde ex animo fies miser, antequam è fato fias. Si prospera, & fallunt, miser fies frustra exspectando: si non fallunt, exspectatio rei suspensum fatigabit, & futurum gaudii fructum spes antè deflioravit. *Idem c. 32.*

*Damnum.*

V. Damna per artes magicas creari solita, rectè antiqui per figmentum Medeæ explicare conati sunt. Ut enim illa Draconem custodem velleris aurei sopivit, ita Magia conscientiam gratiæ custodem. Ut illa pallam veneno infectam Creusæ misit, eámque interemit, ita Magia suis muneribus animam necat. Et tandem ut Medea filios ex Jasone susceptos interemit; ita Magia fructus omnes bonorum operum perimit. *Ovid. l. 7. & Seneca in Medea.*

### §. XII.

### AUTHORES.

I. JOannes Busæus in Panario. V. eodem.
II. Josephus Langius in Polyanth. V. eodem.
III. Matthias Faber conc. 4. 5. & 6. in Festo Epiphaniæ.
IV. Jacobus Marchantius. in Horto Pastorum tr. 3. lect. 2.
V. Christophorus Lehman in Florilegio p. 4. V. eodem.

# *TITVLVS XXIV.*

# VANA GLORIA.

### §. I.

### QUOAD ESSENTIAM.

*Definitio.*

I.

*S. Ambros. super Epist. ad Rom.* 
ESt inordinatus Gloriæ appetitus. Gloria autem nihil aliud est, quàm clara aliorum de nobis bonâq; notitia seu æstimatio, quæ si intenùs subsistit, *Fama* vocatur; si verbis proditur, *Laus* appellatur; si aliis signis exterioribus manifestatur, *Honor* dicitur.

*Divisio.*

*S. Thom. 2. 2. q. 130. a. 1.* II. Dividitur à S. Thoma in tres species. 1. In eam, quæ quæritur ex rebus translatoriis, vel de non ente, vel de peccato. 2. In eam, quæ ab hominibus, & non à DEO quæritur. 3. In eam, quæ ad debitum finem non ordinatur.

*Actus.*

III. Primus est, *sua facta vel dicta plus, quàm oportet, æstimare*; ex hac enim æstimatione velut radice, ipsa postea inanis gloriatio oritur.

IV. Secundus est, *beneplacere sibi in suis operibus aut dictis*, seu, quod idem est, gaudium voluptatémque ex eorum consideratione percipere.

V. Tertius est, *desiderare, ut ab aliis quoque cognoscantur, & æstimentur*, sicque bonam apud eosdem famam quis acquirat.

VI. Quartus est, *desiderare, ut ab aliis non tantùm interiùs concipiatur hæc æstimatio, sed exteriùs etiam prodatur, verbisque manifestetur, in* in qua manifestatione *Laus* consistit.

VII. Quin-

VII. Quintus, *Variis artibus modisque hanc aliorum de suis factis æstimationem, laudémque venari.*

VIII. Sextus, *etiam propriis verbis eadem deprædicare*; quæ prædicatio proprio nomine *Jactantia* vocatur.

## §. II.

## EX S. SCRIPTURA.

### *Qualitas.*

*Isaia.40. v.6.* I. OMnis caro fœnum, & omnis gloria ejus, quasi flos fœni.

*Io.7.v.18.* II. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit.

*Io.8.v.54.* III. Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est.

*Io.12.v.43.* IV. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam DEI.

*1.Cor.4. v.7.* V. Non, qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem DEUS commendat.

VI. Quasi qui apprehendit umbram, & persequitur ventum, sic & qui attendit ad visa mendacia.

*Iob.20. v.4.* VII. Hoc scio à principio, ex quo positus est homo super terram, quòd laus impiorum brevis sit, & gaudium hypocritæ ad instar puncti.

### *Fuga.*

*Ps.113.v.9.* VIII. Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

*Luc.17. v.10.* IX. Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis dicite: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.

*1.Cor.4. v.7.* X. Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?

*Gal.5.v.26.* XI. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes.

*Matth.6. v.1.* XII. Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est.

*Prov.27. v.1.* XIII. Ne glorieris in crastinum, ignorans, quid superveniens pariat dies. Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua.

*Ier.9.v.23.* XIV. Non glorietur sapiens in sapientia sua: & non glorietur fortis in fortitudine sua: & non glorietur dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nôsse me.

### *Damnum.*

*Io.5.v.44.* XV. Quomodo potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam, quæ à solo DEO est, non quæritis?

*Aggæi.1. v.7.* XVI. Ponite corda vestra super vias vestras. Seminâstis multùm, & intulistis parùm: comedistis, & non estis satiati: bibistis, & non estis inebriati: operuistis vos, & non estis calefacti: & qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum.

XVII. Percussus est Ephraim, radix eorum exiccata est, fructum nequaquam faciens. *Osea 9. v.16.*

XVIII. Ventum seminabunt, & turbinem metent; culmus stans non est in eo: germen non faciet farinam; quod etsi fecerit, alieni comedent eo. *Ib.c.8.v.7.*

## §. III.

## EX SS. PATRIBUS.

### *Qualitas.*

I. INanis gloria hujus seculi fallax est suavitas, *S. August.*
& infructuosus labor, & perpetuus timor, *sup.Ps.7.*
& periculosa sublimitas, initium sine providentia, finis sine pœnitentia.

II. Tuba est omnis actus, vel sermo, per *S. Chrys.*
quam ipsa operis jactantia designatur; tubâ *sup. Matt.*
ergo canere est pompam vanæ laudis appetere.

III. Laudamus mendaciter, delectamur ina- *S. August.*
niter: & vani sunt, qui laudantur; & menda- *in quad.*
ces, qui laudant. *epist*

IV. Sæpe bono operi, dum laus humana ob- *S.Greg. in*
viat, mentem operantis immutat, quæ, quam- *moral.*
vis quæsita non fuerit, tamen oblata delectat.

V. Omnia vitia superata marcescunt, & de- *Cassian.*
victa per singulos dies infirmiora redduntur; *l.11. Instit.*
hoc verò dejectum acriùs resurgit ad luctam, *c.7.*
& cùm putatur extinctum, suâ morte vivaciùs convalescit. Et hæc est subtilis Inimici versutia, ut militem Christi propriis faciat telis occumbere, quem hostilibus armis non potuit superare.

VI. Vitiorum auctor Dæmon in eo, quòd *F.Fulg. ep.*
non potest vincere vitiis suis, vincit virtutibus *3.ad Pro-*
alienis: Armis, quibus eliditur, surgit, & vir- *bam.c.15.*
tute, quâ dejicitur, dejicit. Laudat, quâ se prospicit superari, virtutem, ut victus possit captivare innocentem.

VII. Si opera virtutum foras exierint, tatus *S.Cyprianus apud*
est, qui hominum judicia conspuat, & laudes *Alv to. 2.*
humanos contemnat. *l.1.p.2.c.15*

VIII. Valde perfectorum est sic ostenso *S.Greg.*
opere, autoris gloriam quærere, ut de illibata *l.22.mor.*
laude nesciat privata exultatione gaudere.

IX. Odium, quo apes fumum prosequun- *P.Basil.in*
tur, significat eos, qui DEO mellificant, re *Ascet.*
nullâ æquè offendi, quàm laudum humanarum fumo.

### *Fuga.*

X. O insipiens, quid tibi prodest hominum *S.Chrys.sup*
memoria, si, ubi es, torqueris; & ubi non es, *Matt.*
laudaris?

XI. Quisquis ex deteriore jam melior esse *Isid l.1.de*
cœpit, caveat de acceptis extolli virtutibus, ne *summ.bono*
graviùs per vanam gloriam corruat, quàm priùs per lapsum vitiorum jacebat.

XII. Laus sua justos cruciat, iniquos exaltat; *S.Greg in*
sed justos, dum cruciat, purgat; iniquos, dum *mor.*
lætificat, reprobos monstrat.

XIII. Nescit laudem, cùm suppetit, fuge- *Idem in*
re; qui ad hanc didicit, cùm deesset, anhelare. *Pastor.*

XIV. Qui pro virtute, quam agit, humanos *S.Greg l 8.*
favores desiderat, rem magni meriti vili pretio *mor.c.28.*

venalem portat; unde cœli regnum mereri potuit, inde nummum transitorij sermonis quærit.

*S. Greg. ho. 11 in Evang.* XV. Inventus thesaurus absconditur, ut servetur, quia studium cœlestis desiderij à malignis Spiritibus custodire non sufficit, qui hoc ab humanis laudibus non abscondit. In præsenti etenim vita quasi in via sumus, quâ ad Patriam pergimus; magni autem Spiritus, iter nostrum quasi latrunculi quidam obsident. Deprædari ergo desiderat, qui thesaurum publicè portat in via.

*S. Bern. S. de nat. S. Io. Bapt.* XVI. Stultus ut luna mutatur; quia sicut luna modò splendet sine fervore, modò plena, modò exigua, modò nulla videtur (mutuatum siquidem lumen nunquam in eodem statu permanet) ita qui conscientias suas in alienis labiis posuerunt, modo parvi, modò magni sunt, modò nulli, secundùm quod adulantium linguis vel vituperare placuerit, vel laudare.

*Stephan. Cantuar. inc. 15. Deut.* XVII. Oves non tondentur in hyeme, sed in æstate, ne asperitate hyemis opprimantur. Hyems est vita præsens, æstas verò futura. Oves in hyeme tondet, qui causâ inanis gloriæ opera sua æstimat; in æstate verò, qui pro vita æterna laborat.

*S. Chrysost. ho. 17. in epist. ad Rom.* XVIII. Nónne clementia est, cùm habeas theatrum in cælo constitutum, Spectatores tamen in terra tibi deligere? Athleta, ubi certat, ibi & probari cupit. Tu cùm in Superioribus certes, in inferioribus coronari quæris. Videamus tamen, si placet, coronas. Illa quidem superbiâ constat, hæc autem invidiâ: quædam ex ironia & adulatione, propter pecunias & adulatione, propter pecunias & alia: nonnulla etiam ex servili ministerio. Quemadmodum enim pueri ludentes ex fœno coronas alicui imponunt, coronatum autem suum post tergum irrident; sic sæpe fit, ut, qui te in faciem prædicant, apud semetipsos clanculùm subsannent.

*S. Chrysost. ho. 28. in Io.* XIX. Nemo Satellitum in hujus sæculi regus, iis omissis, quibus coronato Regi & in solio sedenti placere oportet, graculorum voces, muscarum & culicum obvolantium stridores prosequitur. Neque enim iis ulla ex parte potiores hominum laudes inveniuntur.

*S. Hieron. in vita S. Paulæ.* XX. Fugiendo gloriam, gloriam Paula merebatur, quæ virtutem quasi umbra sequitur, & appetitores sui fugiens, sequitur contemptores.

*Damnum.*

*S. Bern. in serm.* XXI. Time sagittam, leviter volat, leviter penetrat, sed dico tibi, non leve infligit vulnus, citò interficit. Nimirum sagitta hæc vana gloria est.

*S. Greg. l. 8. mor.* XXII. Cùm per accepta bona reprobi in sua laude se elevant, ipsis muneribus contra largitorem pugnant. Inde quippe contra dantem superbiunt, unde & amplius humiles esse debuerunt.

*Ibid.* XXIII. Qui inchoatæ virtutis ab humano honore laudem receperit, quasi ligni plantati fructus ante tempus comedit.

*Idem l. 22 mor.* XXIV. Quasi latrunculus est appetitus laudis humanæ; qui rectò itinere gradientibus ex latere jungitur, ut ex occultis, educto gladio gradientium vita trucidetur.

*S. Basil. const. mon. c. 10.* XXV. Inanis gloria est dulcis spiritualium operum exspoliatrix, jucundus animarum nostrarum hostis, blandissima bonorum nostrorum deprædatrix, eadémque mellis illitu fraudis suæ colorattrix, & mortifera hominum mentibus poculi porrectrix, quod ea de causa facit, ut vitio se illi avidiùs ingurgitent homines, nec ullâ illius expleantur satietate; dulce enim quid imperitis est gloria.

*S. Aug. l. 10. conf. c. 36.* XXVI. Qui plùs gaudet laudari se, quàm donum tuum habere, unde laudetur, iste te vituperante, laudatur ab hominibus. Et melior jam est ille, qui laudavit, quàm iste, qui laudatus est; illi enim placuit in homine donum DEI, huic placuit ampliùs donum hominis, quàm DEI.

*S. Greg. l. 20. mor.* XXVII. Sub hoste, quem prosternit, moritur, qui de culpa, quam superat, elevatur.

*Idem l. 21. mor. c. 14.* XXVIII. Quicunque se, dum benefacit, extollit, majorem culpam superbiendo peragit, quàm bonam mercedem largiendo; sitque nudus, dum nudum vestit, & fit deterior, dum pa rat meliorem.

*S. Chrysost. ho. 39 in ep. 1. ad Cor.* XXIX. Mater gehennæ est inanis gloria, ignémq; illum vehementer accendit, verménque pestiferum confovet.

*S. Chrysost. ho. 2. in Io.* XXX. Intolerabilis quædam ebrietas est vana gloria: quem suæ subjecit ditioni, is ægrè in sanitatem restituit. Et quam pestifera tabe infecit animam, à cælo abscindens terræ affigit, neque ampliùs sinit, ut ad veram lucem possit dirigere intuitum, qui enim hoc morbo afficitur, nullo Præceptore, omnia sua sponte operatur, quæ aliis placere arbitratur: ut aliis admirationi sit, præceps agitur.

§. IV.

## EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

*l. 2. c. 6. §. 2.* I. Brevis gloria, quæ ab homine datur, & accipitur. Mundi gloriam semper comitatur tristitia. Bonorum gloria in conscientiis eorum, & non in ore hominum.

*Ibid.* II. Qui veram & internam gloriam desiderat, temporalem non curat. Et qui temporalem requirit gloriam, aut non ex animo contemnit, minùs amare convincitur cœlestem.

*l. 2. c. 10. § 5.* III. Pleni veritate & gloria cœlesti non sunt vanæ gloriæ cupidi. In DEO confirmati & fundati nullo modo possunt esse elati.

*l. 3 c. 40. § 4.* IV. Verè inanis gloria mala pestis, vanitas maxima; quia à vera trahit gloria, & cœlesti spoliat gratiâ; dum enim homo complacet sibi, displicet tibi: & dum inhiat humanis laudibus, privatur veris virtutibus.

*l. 1. c. 7. §. 2.* V. Non placeas tibi ipsi de habilitate aut ingenio tuo, ne displiceas DEO, cujus est totum, quidquid naturaliter habueris.

*l. 3 c. 40. § 6.* VI. Omnis gloria humana, omnis honor temporalis, omnis altitudo mundana, æternæ gloriæ comparata, vanitas est & stultitia.

VII.

l. 3. c. 14. §. 4. VII. Quid est omnis caro in conspectu tuo? numquid gloriabitur lutum contra formantem se? Quomodo potest erigi vaniloquio, cujus cor in veritate subjectum est DEO? non enim totus mundus eriget, quem veritas sibi subjecit: nec omnium laudantium ore movebitur, qui totam suam spem in DEO firmavit. Nam & ipsi, qui loquuntur, ecce omnes nihil, deficient enim cum sonitu verborum: Veritas autem Domini manet in æternum.

l. 3. c. 9. §. 2. VIII. Qui extra me voluerit gloriari, vel in aliquo privato bono delectari, non stabilietur in vero gaudio, neque in corde suo dilatabitur, sed multipliciter impedietur, & angustiabitur. Nihil ergo tibi de bono adscribere debes, nec alicui homini virtutem attribuere, sed totum da DEO, sine quo nihil habet homo. Hæc est veritas, quâ fugatur gloriæ vanitas.

l. 2. c. 10. §. 4. IX. Qui totum DEO adscribunt, quidquid boni acceperunt, gloriam ab invicem non quærunt, sed gloriam, quæ à solo DEO est, volunt, & DEUM in se, & in omnibus Sanctis laudare super omnia cupiunt, & semper in idipsum tendunt.

l. 2. c. 6. §. 4. X. Qui nullum pro se extrinsecus testimonium quærit, liquet, quod totaliter se Deo commisit; non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.

ibid. §. 3. XI. Facilè erit contentus, & pacatus, cujus conscientia munda est. Non es sanctior, si laudaris: nec vilior, si vituperaris. Quod es, hoc es, nec major dici vales, quàm Deo teste sis.

l. 2. c. 11. §. 4. XII. Si dederit homo omnem substantiam suam, adhuc nihil est. Et si fecerit pœnitentiam magnam, adhuc exiguum est. Et si apprehenderit omnem scientiam, adhuc longè est. Et si habuerit virtutem magnam, & devotionem nimis ardentem, adhuc multùm sibi deest: scilicet unum, quod summè sibi necessarium est. Quid illud? Ut omnibus relictis se relinquat, & à se totaliter exeat, nihilque de privato amore retineat, cùmque omnia fecerit, quæ facienda noverit, nil se fecisse sentiat.

## §. V.

## EXEMPLA.

### *Fuga.*

Jo. 8. v. 50. I. CHristus de seipso dixit: Ego non quæro gloriam meam, sed ejus, qui misit me. Matt. 8. v. 4. Et aliàs frequenter, cùm alios vel à leprâ vel alio morbo curavit, iisdem dixit: Vide, nemini dixeris. Super quæ verba S. Chrysostomus ait: S. Chrys. ho. 26. in Matt. Ideo nulli dicere jubet, docens non diligere ostentationem & honorem: nam quòd alio loco sanatum à se Christus jubet beneficium publicare, non divulgari seipsum jussit, Luc. 8. v. 39 sed dari gloriam DEO. Narra, inquit, quanta tibi fecit DEUS. Per hunc ergo leprosum instruit nos, non esse vanè gloriosos, per istum autem non esse ingratos, sed omnia ad DEI laudem referre.

Luc. 1. v. 47. II. B. Virgo, cùm S. Elisabeth eam laudare, & inter mulieres benedictam dicere cœpisset, mox ad DEUM refundens eas laudes dixit: Magnificat anima mea Dominum.

III. Joab Dux Militiæ cùm regiam civitatem Rabat oppugnaret, jamque in sua ferè potestate haberet, nuntios ad Regem misit dicentes? Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obside civitatem, & cape eam, ne, cùm à me vastata fuerit Urbs, nomini meo adscribatur victoria. 2. Reg. 10.

IV. S. Petrus, cùm ob claudum ab eo sanatum populus vehementer obstupesceret, & ad ipsum quasi gratulaturus accurrisset, eidem dixit: Viri Israëlitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute ac potestate fecerimus hunc ambulare? Act. 3. v. 12.

V. S. Bernardus cùm ob varia, plurimáq; miracula multùm ab aliis laudari & æstimari se adverteret, in hæc verba prorupit: Ex Scripturis deduci, signa fieri vel per perfectos, vel per fictos. Ego nec perfectionis mihi sum conscius, nec fictionis. Nihil ergo mihi & signis istis, quandoquidem meæ illæ famæ magis, quàm vitæ noverim exhiberi, nec ad meam fieri commendationem, sed ad commemorationem potiùs, ad fructum autem aliorum, & ad fovendam de iis bonam opinionem. Sed & aliàs si à vana gloriâ se tentatum advertebat, dicere solitus est: Propter te non cœpi, propter te non desinam. Surius in Vita. c. 6.

VI. S. Gregorius Turonensis Episcopus semper reliquias Sanctorum è collo gestabat, ut, quoties miraculum ederet, non suis meritis, sed Reliquiarum beneficio adscriberet. Surius in Vita.

VII. S. Udalricus Augustanus Episcopus, cùm die Jovis sancto visi essent cum eo sacrum facientes SS. Fortunatus & Adalbero Antecessores, dextra quoque manus consecrans tempore consecrationis super eum apparuisset, tempore communionis Clericis, qui viderant, porrectæ, os compressit, ut visum occultarent, & pòst sub pœna vitæ amittendæ vetuit, ne patefacerent. Eâdem de causâ cùm morbum caducum curare posset, publicè id petentibus negavit. Sur. in vita 4. Iul.

VIII. S. Nicolaus Episcopus ad pauperes Filias elocandas argentum occultè per fenestram injecit, & tertiò hoc faciens, ubi se conspectum advertit, celerrimè proripuit. Surius in Vita 6. Dec.

IX. S. Eligius Episcopus cùm cœco largam eleemosynam obtulisset, illéque manum subtrahens, potiùs oculorum usum restitui sibi petiisset, manu mendici arreptâ dixit: Tu, amice, necdum nôsti te signare, docebo itaque te. Simúlque signum crucis fronti imprimens visum restituit, totúmque miraculum Fidei hominis attribuendum asseruit. Surius in Vita.

X. De S. Thoma Aquinate produnt historiæ, eum per omnem vitam nunquam vanâ gloriâ fuisse elatum, sive ex profundissimâ, quâ excellebat, cognitione, sive ex intellectu ipsius verè Angelico, sive ex aliis amplissimis donis, quæ in ipsum Divina bonitas plenâ manu effuderat. Surius in Vita 7. Mart.

XI. S. Guilielmus Episcopus Parisiensis, cùm aliquando à vana gloria se pulsatum advertisset, recede, ajebat, recede, ô gloria, & vade ad DEUM, ad quem solum pertines.

*Vita p. 2. c. 27.* XII. B. Clara de se dixit, se, si à toto mundo honoraretur, nullam mutationē in se, & nec initium vanæ gloriæ habituram; nec si ab omnibus vilipenderetur, & vituperaretur, ob id turbatum iri.

*Drexel. l. 2. Amuss. c. 4. §. 5.* XIII, Sara sacrarum Virginum Antistita, cùm Dœmonem tredecim annis impugnantem vicisset, illéque ipsi in faciem diceret; Vicisti me, Sara, vicisti: Respondit illa: Non ego te vici, sed Dominus meus JESUS.

*Lyram in apoph. 8. Ignat. 3. f. 443.* XIV. Joannes Avila si quando ad utilitatem eorum, quibuscum agebat, quidpiam dicendum incideret, quod sibi aliàs accidisset, semper istud velut de tertia persona dexterrimè exarrâsse dicitur.

*Damnum.*

*4. Reg. 20.* XV. Ezechias Rex, quia suos thesauros omnes Assyriis ostentavit, graviter à Propheta increpatus, & graviùs in Filio punitus est, à quo Assyrij omnes illas divitias abstulerunt.

*Vita S. Pachom.* XVI. S. Pachomius Monachum asserentem, se duas uno die storeas contexuisse, & vanam indè gloriam capientem, non modò graviter increpuit, sed insuper præcepit, ut storeas ante Fratres suos humeris portans rogaret, ut DEUM pro se precarentur, & veniam peterent, ut qui duas storeas pluris, quàm regnum cœlorum fecisset. Denique injunxit etiam, ut per quinque menses cellæ inclusus, & à nemine visus binas quotidie storeas conficeret.

*Salutius in speculo p. 1. c. 12.* XVII. B. Claræ de monte Falco propter exiguam tentationem vanæ gloriæ subtractus fuit à DEO annis quindecim Divinæ dulcedinis, & spiritualis illuminationis influxus; nec priùs potuit eum recuperare, quamvis multis lacrymis, jejuniis, ciliciis, flagellis & orationibus pro eo instaret.

## §. VI.

## EXEMPLA DOMESTICA.

*Rib. l. 5. c. 3.* I. S. Ignatius licet ab initio vehementer à vanâ gloriâ fuerit tentatus, id tamen DEI misericordiâ postea est consecutus, ut per multos annos, antequam è vita discederet, nullam inanis gloriæ cogitationem haberet; imò dicebat, nullum se vitium minùs, quàm vanam gloriam timere, quæ ex ignorantia plerumque & cæco sui amore ortum habet, & vel

*Rodriq. p. 1 tr. 3 c. 6.* cedros ipsas Libani evertere solet. Sed & magnus Hispaniæ Prælatus de ipso narravit, quòd rogatus aliquando, quonam modo ipsi mentalis oratio succederet, responderit, nolle se id dicere, nisi id quantùm utilitati aliorum deserviret; illud enim vanitatis, hoc caritatis

*Fab. conc. 3. in fer. cin.* necessitatisque esse. Aliàs dicere solebat; ut sanus sim in his, quæ ad DEUM pertinent, vehementius tamen mihi verendum est, & cavendum ab his, qui me temerè inflant: Laudantes enim me flagellant.

*Vita l. 6. c. 15.* II. S. Franciscus Xaverius ajebat, eum, qui non segniter suos defectus & peccata considerat, aliud, si à mundo laudetur, cogitare non posse, quàm quòd ridere ipsum & subsannare velit, nec aliter accipere laudes illas atque encomia, quàm pro vera ignominia & injuria: novit enim, omnem suam substantiam tanquam nihilum esse in conspectu DEI.

*Vita l. 4.* III. S. Franciscus Borgia, cùm aliquando ab aliquo variis titulis & encomiis compellaretur, fassus eidem est, se plùs titulorum illorum enarratione, quàm longo, quod paulò ante confecerat, itinere fatigatum fuisse.

*Vita to de Ang. prafa.* IV. P. Franciscus Suarez, licet ad summum famæ fastigium pervenisset, candidè tamen fatebatur, nullâ se vanæ gloriæ titillatione moveri. Vitabat hominum congressus, quantùm poterat, ne, ut fit, inter invitandum laudibus oneraretur; id verò cùm fieret, mox rubore suffusus manu vultum tegebat.

*Vita P. Balth. Alv. c. 46.* V. Cùm Christophorus Gonsalvus magnâ cum laude cursum Theologicum in Hispania perageret, & ob id vanâ gloriâ tentaretur, effecit, ut, falvis studiis, putarent alij, parùm ipsum scire; à quo tempore ad excelsum orationis donum promotus est.

*Vita l. 5.* VI. P. Josephus Anchieta ita virtutes suas arte admirandâ, humilitatis velo obtegebat, ut ipsam etiam humilitatem deprimeret; non enim ille sua facta elevando humilitatem præferebat, sui ludibrio venerationem aucupatus (versura siquidem est plurimorum improbitas, cùm ipsum honorem, quem spernere videntur, ambiunt quàm maximè) sed splendorem, qui ex eo erumpebat, ne emanaret longiùs, per multam dissimulationem obscurabat.

*Lyram l. 3. apop. c. 8. Ign. to. f. 447.* VII. Bernardinus Picinus cùm in tota Sicilia, tam scientiâ, quàm virtutis fama celeberrimus esset, ultro P. Generalem exoravit, ut in Italiam migrare, Tiburique ignotus pueros docere Grammaticam posset.

## §. VII.

## EXEMPLA PROFANA.

*Qualitas.*

*Laert. l. 6.* I. Cùm Diogenes aliquando in summo frigore penè nudus in aquis congelatis consisteret, ideòque plebs spectans commiserationе tangeretur, superveniens Plato ad astantes dixit: Si hujus hominis misereri vultis, eùmque hâc molestiâ liberare, discedite. Significans hoc dicto, id Diogenem tantùm vanæ gloriæ aucupandæ studio fecisse,

*Ælian. l. 12. var. hist.* II. Menecrates Medicus cùm Jovis titulum affectaret, Philippus Macedonum Rex eum ad convivium quidem invitavit, sed solam aceram apponi, & suffitum velut DEO fieri jussit, unde fame & siti urgente tandem hominem se fassus est.

*Plin. l. 9. Epist.* III. Plinius de seipso scripsit: Ego verò celebritate nominis mei gaudere non debeo? ego verò gaudeo, & gaudere me dico. & cur?

Quia

Quia nescio, quis alteri dixerit: Vides hunc? Plinius est.

*Fabin an 3 tt. f. in Dom. 3. post Epiph.* IV. Architectus quidam Venetianus pro duabus insignibus columnis erectis non aliam petiit mercedem, quàm ut lusoribus quibuscunque fieret libertas sub ea quocunque modo ludendi.

*Idem Dom. 4. post Pent. conc 3.* V. Hanon Dux Carthaginensium multo labore docuit aves caveâ inclusas hæc verba: Hanon est DEUS: pronunciare; sed illæ libertati redditæ ad suum naturalem redierunt cantum, nec Hanonis amplius meminerunt.

*Maffaus in Hist. Iap.* VI. In Japonia Operarij, licet magna illis pro labore merces offeratur, tristes tamen recedunt, si duo illa verba: Optimè laborâstis; non audiant.

*Fuga.*

*Plutarch. in Phoc.* VII. Phocion, cùm inter orandum ejus sententiam universa concio magno assensu excepisset, ad proximos conversus, me miserum, inquit: Vereor enim, ne quod mihi stultum verbum exciderit.

*Erasmus l. 8. Apoph.* VIII. Trentinus monumentum sibi exstrui vetuit his verbis; Impensa monumenti supervacanea est, memoria nostra durabit, si vitâ meruimus. Excelsi animi est, cùm præclara gesseris, gloriam contemnere.

*Drex in amuss. l. 2. c. 4. §. 6.* IX. Demosthenes antequam eloquio Græco innotuisset, operosioris cultûs nitorem appetiisse dicitur; sciebat enim à purpura vendi causidicum; at postquam fœcundiæ famam assecutus est, togâ viliore contentus dicebat, malle se à seipso, quàm à veste aut cultu exquisito gloriam quærere; quem enim suus attollit honor, vilitatem alienam non deprimere; sed nec alienum erigere honorem, quem sua vilitas humo affligit.

*Damnum.*

*Faber conc 3. in fer. cinor.* X. Thurinus Vetronius quia Principis benevolentiam simulato commendationis beneficio vendere solitus erat, à Severo Imperatore fumo perire jussus est, quòd fumum vendidisset.

*Act. 12. v. 21.* XI. Herodes Rex, quia à plebe sibi occini permisit: DEI voces, & non hominis: confestim percussus ab Angelo, & à vermibus consumptus expiravit.

## §. VIII.

## SIMILITUDINES,

*Qualitas.*

*S. Bern. S. 14. in Ps. qui habitat.* I. Sicut Basiliscus neminem interficit, nisi quem priùs ipse viderit; quòd si verò ipse priùs videatur, interit: ita & vana gloria cœcum quidem, negligentem ac videri ab hominibus volentem lædit, non tamen perinde eum, qui priùs ipsam viderit, hoc est, qui consideraverit, quàm vana, falsa, & perniciosa sit.

*Busæus in panar. V. Gloria vana. n. 6.* II. Sicut umbra corporis, quocunque colore corpus imbutum sit, semper nigra est; sic omnis sæculi glora vana est, quocunque ex objecto nascatur.

III. Sicut larva occultat vilitatem hominis usque ad vesperam, dimisso autem theatro, unusquisque apparet, quod est; ita si post multas tuas laudes auditas domum revertaris, & solus sis, omnia gloria defluxerit. *S. Chrysost. 43. ad pop.*

IV. Sicut Chamæleon non alio pascitur alimento, quàm aëris, & idcirco os semper hians & apertum habet; ita quosdam aura popularis alit, nec quidquam captant præter inanes laudes & gloriam. *Raterod. in simil.*

V. Sicut lumen magis prodest iis, qui vident, quàm illis, qui videntur, sic gloria magis confert iis, qui eam sentiunt, quàm quibus contingit. *Plutarch. in moral.*

VI. Sicut milvus altè quidem ascendit, & volat, sed semper humum spectat, ut prædam rapiat; sic vanæ gloriæ cupidi multa quidem præclara frequenter agunt, sed semper ad laudes hominum inde captandas intenti. *Stapl. tb 2. in Dom. 3. Adv.*

VII. Sicut summa dementia foret, ruinosi alicujus parietis rimas pretiosis lapillis implere atque fulcire; sic pro virtute humanos favores desiderare, & rem cœlo dignam vili pretio exponere. *Idem l. 3. in Dom. 5. post Epiph.*

VIII. Sicut meritò stultus crederetur, qui aquam perpetuò hauriret; ita & qui opera sua propter laudes hominum perficit. *S. Arsenius apud Sur. f. 257.*

IX. Sicut Amygdalus, quia florem citò emittit, flante vento celeriter amittit; sic qui virtutem suam facilè & citò ostentant, citò quoque amittunt. *Stapl. l. c.*

X. Sicut mulier ante tempus pariens partum imperfectum producit; sic qui ante mortem laudari cupit, nihil verè perfectum aget. *Ibid.*

XI. Sicut fructus arborum, quæ juxta viam publicam plantatæ sunt, raro maturescunt; quia ante maturitatem à prætereuntibus colliguntur; ita virtutum opera, quæ in conspectu hominum patrantur, raro matura ac perfecta inveniuntur. *Ibid.*

XII. Sicut probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum; ita probatur homo ore laudantis. *Prov. 27. v. 21.*

XIII. Sicut pueri ludentes ex fœno coronas alicui imponunt; coronatum autem suum post tergum irrident; sic sæpe fit, ut, qui te in faciem prædicant, apud seipsos clanculum subsannent. *S. Chrys. ho. 17. in epist. ad Rom.*

XIV. Sicut mulier quotidie se ornans, ut alienorum virorum oculis placeat, meritò non levem marito suo displicentiam generaret; ita & is non minùs displicet DEO, qui laborat, ut hominibus placeat. *Stapl. l. 7. in Dom. 11. post Pent.*

XV. Sicut venti globus convolvit stramina, & in altum evehit, mox tamen iterum dimittit; sic gloria inanis repentè evehit hominem, sed repentè etiam deserit. *Faber conc. 3. in Fer. cin.*

XVI. Sicut Aranea multo quidem labore telas texit, ut muscas capiat, sed illæ levi vento aut motu rumpuntur; ita qui muscas vanæ gloriæ captant, telas aranearum texunt, teste Isaia. *Ibid. n. 7. Is. 59. v. 5.*

XVII. Sicut pro necessitate quidem cibus sumitur, sed in ipsa comestione furtum gula surrepit, *S. Greg. l. 33 mor. c. 16.*

repit, & edendi delectatio miſcetur; ita licet opera noſtra cum optima intentione inchoentur, facilè tamen vanæ laudis & gloriæ cupido ac delectatio irrepit.

*S.Greg. l. 22.mor.c.7.* XVIII. Sicut arbor, quò altiùs ſe erexit, tantò ventorum vim vehementius ſentit; ita quò plùs quis majoribus operibus attollitur, eò ampliori ab ore laudantium flatu fatigatur.

*S.Chryſ. ho. 96 ad pop.* XIX. Sicut guloſi & honeſtatis expertes ad regale convivium vocati, nec congruam horam expectantes, parvulorum Infantium more ſuam corrumpunt lætitiam prævenientes, & vilioribus ſeipſos cibis ſaturantes; ita & hi mercedem hîc acquirentes & acceptantes futuram dimittunt.

*Fuga.*

*S.Greg. l. 8. mor.c.30.* XX. Sicut, qui in itinere deprædari formidat, abſcondat, neceſſe eſt, bona quæ portat; ita qui merita ac virtutes ſuas ſalvas cupit, occultas tenere debet.

*Stapl. t. 3. in Dom 3. Epiph.* XXI. Sicut Mercator ſtultiſſimè ageret, qui viliſſimo & incerto pretio merces venderet, cùm certo & ampliſſimo poſſet; ita non minùs ineptè agit, qui humanam gloriam tam incertam & inſtabilem pro operibus ſuis ambit, & accipit, cùm ſummam certámque DEI laudem pro ea habere poſſit.

*S.Doroth. doct. 2.* XXII. Sicut indutus purpurâ & ſerico, ſi ei lacerna immunda injiciâtur, declinat illam & fugit, ne indumentum pretioſum commaculet; ſic viri Sancti virtutes præclariſſimas induti humanam gloriam devitant, ne ab ea dehoneſtentur.

XXIII. Sicut Luna, quò magis fulget nobis, hòc magis à Deo diſtat; ita plerumque id, quod magis placet hominibus, diſplicet DEO.

*S.Chryſ. ho. 33 in epiſt. ad Hebr.* XXIV. Sicut puerulus, quando canis inſiliens placentulam vult auferre, mox eam Patri aut Matri quaſi defendendam porrigit; ita & nos, quando Diabolus opera noſtra eripere nobis per vanæ gloriæ inſultum cupit, per bonam intentionem DEO aut B. Virgini cuſtodienda offerre debemus.

*Balth. Alv. in vita.* XXV. Sicut pauper ſi parùm purpuræ laceris veſtibus adjeciſſet, ſtultè gloriaretur; ita &, qui de uno vel altero opere laudem ambit, inſipienter agit, cùm plura, imò pleraque imperfecta habeat.

*P.Tauſch. in font. p. 2. cor. 2.* XXVI. Sicut puer, qui Magiſtro eleganter manum ejus ducente & ſcribente, atramentum ſuper papyrum effunderet, ſtultè utique gloriaretur; ita & homines illi inſipientes meritò creduntur, qui præclaris operibus, quæ DEUS per illos operari decrevit, ſuas imperfectiones miſcent.

XXVII. Sicut iis, qui furto aſueti ſunt, conſultiſſimum eſt, occaſiones furandi fugere; ſic ij, qui, DEO per vanam gloriam ſuum honorem furari aſueverunt, optimum eſt, fugere hominum conſpectum.

*Petrus Pennoq. in Iſagog. doct. 1.* XXVIII. Sicut Phiala Chryſtallina radiis Solis illuſtrata peſſimè ageret, ſi ſibi ſplendorem illum adſcriberet; ita non minùs peccant, qui dona, deſurſum deſcendentia ſibi adſcribere, & ex iis vanam gloriam aucupari præſumunt.

*Damnum.*

XXIX. Sicut non poteſt ſimul herba creſcere, & ſemen naſci, ita impoſſibile eſt, ut laudem & gloriam ſæcularem habentes ſimul etiam celeſtem fructum faciant. *Vita PP. l. 3. n. 113.*

XXX. Sicut cera à facie ignis ſolvitur, ita & anima per laudem reſoluta perit ab intentione ſua. *Ibid. n. 114*

XXXI. Sicut ſævi quidam venti in tranquillum mare delati totum ab imo ſubvertunt, ita ut arena cum undis miſceatur; ſic excæcat mentis impetum gloriæ furor. *S.Chryſ. ho. 43.*

XXXII. Sicut Gallina, dum ovum cantu prodit, cauſam præbet, ut auferatur; ſic qui virtutes ſuas ſtatim prædicant, aut prædicari cupiunt, id agunt, ne illos virtutum actus ampliùs producant. *Stapl. t. 3. in dom. 3. Poſt Epiph.*

XXXIII. Sicut navis, quæ multos fluctus tranſiit, multáſque tempeſtates effugit, in ipſo autem portu tandem in ſcopulum impingit; jacturam totius in ſe reconditi theſauri facit; ita qui poſt multos labores ac virtutes linguam & mentem à cupiditate laudis non temperavit, in ipſo portu naufragium fecit. *S.Chryſ. ho. de profect. Evang.*

XXXIV. Sicut manus Moyſis extra ſinum extracta, leprâ percuſſa apparuit; ſic opus bonum intra ſinum cordis manens, ſanum & integrum manebit; foras prodiens vanitatis leprâ inficiebatur. *Stapl. t. 3. in Dom. Paſſ.*

XXXV. Sicut columbæ incautè in aëre circumvolitantes, & quaſi de volatu ſibi plaudentes, ſubitò ab accipitre invaduntur, & perimuntur; ita qui de ſuis operibus vanam gloriam quærunt, ſibique complacent, Diabolo in prædam cedunt. *Ibid.*

XXXVI. Sicut olim vermiculus à Domino paratus aſcenſu diluculi percuſſit hederam Jonæ, & ſtatim exaruit; ita vermiculus vanæ gloriæ non à Domino, ſed ab hoſte humani generis, advectus percutit ſtudia hominum, ut quod ad meritum attinet, ſtatim areſcant, & pereant. *Iac. Alv. to. 2. l. 1 p. 2. c. 16.*

XXXVII. Sicut luxurioſi & muliebres homines ab uxoribus velut mancipia tractantur, & contemnuntur; ſic qui ab inanis gloriæ cupiditate ſemel ſubacti ſunt, ab eodem in turpiſſima vitiorum ſervitute detinentur. *S.Chryſ. ho. 63. in Matt.*

## §. IX.

## MOTIVA.

I. QUia hoc vitium *DEO ſingulariter eſt exoſum*: Eripere illi cupiens, quod unicè ſibi reſervavit, ſcilicet gloriam, de qua dixit: Gloriam meam alteri non dabo. *Iſ. 42 v. 8.*

II. Quia *Diabolicum* eſt vitium: Ut qui unicè quærit, gloriam DEI in ſe transferre, & pro DEO adorari & coli.

III. Quia *odioſum* eſt vitium: ſicut enim Saul, quando audivit cantari Davidi: Percuſ-

ſit

fit Saul mille, & David decem millia: Non rectis illum ab eo tempore oculis respiciebat; ita idipsum ejusmodi laudis humanæ Venatoribus contingit.

*Cass. l. 11. inst. c. 6.* IV. Quia *periculosum* est vitium: nam, teste Cassiano, omnia vitia superata marcescunt, & devicta per singulos dies infirmiora redduntur; hoc verò dejectum acriùs convalescit. Cujus aliam causam reddens S. Chrysostomus sic loquitur: Nullum malum est, quod non habeat contrarium bonum, exceptâ vanâ gloriâ; ita quantavis bona feceris volens compescere vanam gloriam, tantò magis excitas eam. Et causa est ista, quia omne malum ex malo nascitur sola autem vana gloria de bono procedit & ideo non extinguitur per bonum, sed magis nutritur. *S. Chrys. ho. 19. in Matt.*

*S. Chrys. ho. 43. ad pop.* V. Quia *servile* est vitium: Non enim potest gloriæ servus homo non omnium servus esse, & ipsis servilior mancipiis (ut rectè advertit S. Chrysostomus) nec enim talia præcipimus servis, qualia captivis suis illa.

*S. Chrys. loc. cit.* VI. Quia *vanissimum* est vitium: Uti pulchrè S. Chrysostomus ostendit his verbis: Hæc inanis gloriæ natura, ut statim decidat. Nihil hominum gloriâ vilius. Nónne vides personas, quæ in Scena versantes induuntur, quàm sint pulchræ & splendidæ? potes mihi talem aspectum in veritate monstrare: nequaquam. Numquid unquam earum amore captus es? non. Quare? Quia vacuæ sunt, & imitantur pulchritudinem, pulchræ tamen non sunt. Similiter & gloria inanis est, & gloriam quidem imitari potest, non tamen est gloria.

*S. Chrys. 17. in Act.* VII. Quia *nocentissimum* est vitium: quia omnem operum mercedem destruit. Quid enim à DEO accipies, inquit S. Chrysostomus, qui nihil DEO dedisti? nam quod propter DEUM fit, DEO datur, & ab eo accipitur; quod autem propter homines fit, in ventos effunditur. Quid enim est hominum laus, quàm ventorum transeuntium sonus?

*S. Bernard. il. c. 3. tom. 3. Pop. pople* VIII. Quia *iniquissimum* est vitium: si enim tanto studio vitia nostra abscondimus, ne humanam gloriam amittamus; Quantò majori cura dissimulandæ virtutes sunt, ne cælestis gloriæ jacturam faciamus, inquit rectè S. Bernardus.

## §. X.

## MEDIA.

I. Considerare *DEI* suam laudem offerentis *præsentiam*: hæc enim pluris æstimanda est, quàm si ab omnibus hominibus & Angelis simul (impiis omni possibili conatu) quis laudaretur. Et propterea facili labore obtineri potest, cùm plus non requirat, quàm ut quisque, quantum in se est, faciat. Hoc medium suadens S. Chrysostomus, non vides, inquit, in equorum ludis, quomodo hi, qui equos agitant, non advertunt plausum populi assidentis, nec voluptatem ex eo plausu capiunt, sed in unum Regem in medio sedentem oculos intendunte ac ad nutum illius attendentes, totam multitudinem despiciunt. Hos & tu imiteris non magnificiendo hominũ famam, sed sententiam justi judicis exspectando, atq; ad nutum ejus omnia dirigendo. Huc meritò S. Basilius interrogatus, quomodo quis humanæ laudis captandæ vitium declinare possit? respondit: Si tibi certò persuaseris, ubique DEUM adesse. Siquidem est nemo, qui, cùm in oculis Domini sit, cum illius dedecore, conservo suo malit gratiosus esse, quàm Domino. *S. Chrys. ... S. Basil. in reg. brev. 234.*

II. Considerare aliorum *virtutes & dona*: Sic Abbas Isidorus exemplo suo docuit, qui, si occurrebat ejusmodi tentatio, dicere solebat: Numquid talis es, qualis magnus Antonius? Vel alii Patres, qui DEO tantopere placuerunt? *Pennequin in Isagog. diff. 1. §. 6.*

III. Considerare *suas imperfectiones*: sic S. Gregorius suasit dicens: Cùm bona, Fratres, agitis, semper ad memoriam mala acta revocate: Ut, dum cautè culpa conspicitur, nunquam de bono opere incautè animus lætetur. *S. Greg. in hom. apud Grav. f. 597. loc. cit.*

IV, Considerare illam Christi sententiam: *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.* Hoc medio Abbas Moyses usus est, dum pulsatus assultu vanæ gloria, quærebat: an omnia DEI mandata implêsset? Inimicos diligeret, de eorum bono gauderet? an se omnium peccatorum maximum diceret? an illud Christi implêsset: Cùm feceritis omnia, &c. Si eò non pervenisset, non haberet, unde gloriaretur? *Luc. 17. v. 10.* *Pennequ. l. c.*

V. Considerare *exitum & vanitatem* omnium rerum humanarum: Sic S. Basilius suasit dicens: Attende tibi ipsi. Mortalis enim tu; quippe terra es, & in terram abibis. Ubi jam, dic, qui civitatum amplissimos Magistratus capessebant? Ubi Rhetores invicti? Ubi exercituum Duces? Ubi Tyranni? Nónne omnia pulvis? non sunt in fabulam versa omnia? memoria vitæ eorum in quàm paucis ossibus retinetur? *S. Basil. ho. 3. in Verba Moys.*

VI. Considerare *vanitatem, falsitatem, & instabilitatem laudis humanæ*: Qui enim hodie tecum sunt, cras contrarium possunt, & è converso sæpe ut aura vertuntur, quemadmodum rectè Thomas Kemp. dixit. Et præterea, ut idem in sequenti quopiam capite dixit: Non es sanctior, si laudaris: Nec vilior, si vituperaris. Quod es, hoc es: nec major dici vales, quàm DEO teste sis. *Phal. l. 1. c. 1. §. 3.* *c. 6. §. 3.*

VII. Considerare, quòd *spernendo* meliùs & certiùs obtineatur vera gloria. Ita S. Chrysostomus suasit his verbis: Quoties difficile existimas, contemnere gloriam, ista tecum animo versa; si hanc despexeto, DEO æqualis, id est, similis efficiar; protinúsque subibit contemptus gloriæ ex animo. Nimirum velut umbra corpus, ita gloria ubique virtutem sequitur, teste S. Hieronymo; ita ut, quemadmodum Cassianus ait, in solitudine quoque cunctorum mortalium consortia gloriæ causâ fugientem persequi non desistant. Quantóque universum quis ampliùs vitaverit mundum, tantò eum acriùs insectetur. *S. Chrys. ho. 2. in epist. ad Titum.* *S. Hier. epist. 22. ad Eustoch.* *Cass. l. 11. c. 6.*

VIII. Assuefacere se ad *intentionem puram* singulis operibus præmittendam: uti Cassianus monet: *Cass. l. 11. c. 18.*

monet: Athleta Christi, qui verum & spiritualem agonem certare desiderat, hanc multiformem bestiam tali remedio poterit evadere, si primitùs nihil proposito vanitatis & inanis gloriæ capessendæ gratiâ fieri permittat. Deinde, quæ bono initio fecerit, observatione simili custodire nitatur.

## §. XI.

## ASCETICA.

I. QUatuor ferè sunt præcipua capita, quæ Asceta circa hoc vitium specialiter bene apprehendere debet: Primum est, ut bene cognoscat rationes, ob quas nihil sibi tribuere, omnémque laudis appetitum excludere debeat; Quæ ad quatuor pariter fontes revocari possunt. 1. Ad *DEUM*: Cui soli debetur gloria, tum quia sibi reservavit; tum quia tibi vires & gratiam ad opus contulit. Unde Apostolus: Si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? 2. Ad *ipsum*, qui *laudem appetit*: Qui, si omnes virtuosas actiones possibiles solus exercuisset, easque DEO obtulisset, ne unam quidem minimam partem ex infinito illo debito, quod apud DEUM contraxit, solvisset; quantò minùs ergo de unico tantùm vel altero bono opere, cui ipsi fortè plures imperfectiones mistæ sunt, gloriandum erit; an non stultus crederetur, qui laudari cuperet, quòd ex debito multorum millium talentorum obolum solvisset? 3. *Ad eos, qui laudant*: & in ordine ad veram bonitatem actionum judicandam perinde inepti sunt, ac infans aut stultus aliquis, cùm intentionem à qua omnis actionis bonitas dependet, non cognoscere queant, atque adeò plerumque pro affectu suo de rebus judicent. 4. *Ad ipsam laudem, quam appetit*: Quæ cùm nudissima sit cogitatio aut sonus, nihil utilitatis homini, cujus omnis gloria ab intus est, afferre potest. Unde meritò pius Asceta dixit:

*L.3.c.14. §.4.* Quomodo potest erigi vaniloquio, cujus cor in veritate subjectum est DEO? non eum totus mundus eriget, quem veritas sibi subjecit: nec omnium laudantium ore movebitur, qui totam spem suam in DEO firmavit. Nam & ipsi, qui loquuntur, ecce omnes nihil, deficient enim cum sonitu verborum, veritas autem Domini manet in æternum.

II. Alterum est, ut bene apprehendat, hoc vitium, uti perfectis maximè insidiatur, ita ab his speciatim cavendum esse; ut enim Piratæ illis navibus magis insidias struunt, quas pleniores mercibus esse sciunt; ita & Dæmon per vanam gloriam iis præcipuè insidiatur, quos in virtutibus magis profecisse novit. Unde rectè

*S. August. super Ps. 3.* S. Augustinus dixit: Qui bene didicit, vel expertus est vitiorum superandorum gradus, intelligit vitium inanis gloriæ vel solum, vel maximè cavendum esse perfectis, quo primo enim vitio lapsa est anima, hoc ultimum vincit.

*Apud Rod.* Hinc S. Nilus Abbas narrat, olim Tirones à provectioribus separatim fuisse institutos, & *p.1.tr.4.c.4.* illos quidem abstinentiam, carnisque mortificationem præcipuè doctos, hos verò adversus vanam gloriam fuisse munitos.

III. Tertium est, ut sciat, solidum & efficacem modum fugiendi hoc vitium: Qui in duabus potissimùm doctrinis consistit, quarum prior tradita est à Ludovico Granatensi his verbis: Quisquis humanæ gloriæ cupiditate tangitur, sibi ipsi dicere debet, quod Joseph Dominæ suæ ad adulterium invitanti respondit: Ecce, inquit, Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo sua, nec quicquam est, quod non in mea sit potestate, præter te, quæ uxor ejus es: Quomodo ego possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum? Verè enim omnium bonorum suorum participes nos DEUS efficiens, unam gloriam sibi tanquam legitimam Sponsam reservavit. Quid igitur indignius, quàm & hanc gloriam velle præripere, & Creatoris gloriam Creaturæ velle copulare? Posterior doctrina à S. Bernardo traditur sic loquente: Cavete oculos Basilisci. Sed cui nocere dicitur Basiliscus? ei, qui non viderit ipsum. Alioquin si tu eum prior videas, jam non nocet tibi (ut ajunt,) magis moritur ipse. Ita est, Fratres. Non videntes necat inanis gloria, cæcos & negligentes, qui se ei ostentant, qui se exponunt, & non potiùs ipsi aspiciunt: Non attendunt, non discutiunt illam, non vident denique, quàm sit frivola, quàm caduca, quàm vana, quàm inutilis. Si quis eum intueatur hoc modo, moritur hic Basiliscus, nec jam occidit eum gloria, sed occiditur magis, & occidit ei quomodo in pulverem versa, imò redacta in nihilum.

*Lud. Gran. loc. cit. 601. fol.*

*Bern. in Ps. qui hab. s.14.*

IV. Quartum est, ut sapienter cognoscat, quæ sit vera gloria, & quomodo acquirenda; ea scilicet, de qua S. Paulus locutus est, dum dixit: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Quid autem sit in Domino gloriari, clarè insinuat alibi, dum ait: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quòd in simplicitate & sinceritate DEI, & non in sapientia carnali, sed in gratia DEI conversati sumus in hoc mundo. Hoc enim est, quod ipse DEUS per Jeremiam dixit: In hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nôsse me. Sapienter ergo S. Bernardus conclusit: Virtus mater gloriæ est; sola enim est, cui gloria jure debetur. Quæ autem est sine virtute gloria, profectò indebitè venit, properè affectatur, periculosè captatur.

*1.c.1. 2.c.1. v.12.*

*Jerem.24.*

*S.B. in ser.*

## §. XII.

## CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occasione thematis: *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi*: Ostendi potest, quàm verè laus & gloria humana, inanis vocetur, quia vacua est, & caret omni fructu nam 1. Nihil utilitatis affert *bonis temporalibus*: Quia licet pauperem toto die laudes & prædices, nec obolo ditior inde efficitu *L.5.v.26.*

2. Non

2. Non *corpori* : quia etsi quis sanissimus & pulcherrimus prædicetur, si tamen revera talis non sit, irrisio potiùs hæc prædicatio, quàm vera laus censebitur. 3. Non *animo* : quia non est hic doctior aut sanctior, si laudatur : nec vilior, si vituperatur ; sed talis est, qualis est virtus ejus. 4. Non in *gratia & meritis* : quia, hæc non nisi ex operibus virtuosis generantur.

*Ps. 4. v. 4.* Concludetur ergo concio illis S. David verbis: Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?

*Matth. 6. v. 1.* II. Ex occasione thematis : *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus* : possunt explicari damna, quæ oriuntur ex hoc vitio inanis gloriæ. Quòd nempe 1. exerceat, & frangat corpus laboribus ; & ut sic Latroni comparari queat, qui associans se viatori, & amicum simulans, inopinatò vitam adimit. 2. Quòd spoliet meritis & præmio ; & ut sic Piratæ comparetur, qui naves mercibus onustas ex insidiis aggreditur, & spoliat. 3. Quòd suppliciis gravibus subjiciat, & ut sic Proditori comparetur, qui simulans se amicum, Hostibus tradit, gravibus suppliciis aut tormentis excruciandum. Vide Rodriq. p. 1. tr. 3. c. 3.

*Is. 59. v. 5.* III. Ex occasione thematis : *Telas araneæ texuerunt* : possunt vanæ Gloriæ cupidi araneis comparari. 1. Propter laboris fervorem & constantiam, ubi fusiùs enarrari possunt gravissimi labores, & maximè ardua facta propter vanam gloriam suscepti. 2. Propter prædæ speratæ æqualitatem : quia scilicet & ipsi nihil aliud, quàm muscas, id est, tenuem, inquietam, impudentem ( id est, omnia conspurcantem ) inanem gloriam venantur. 3. Propter similem exitum laboris : quia scilicet & horum telæ subitò per ventum adversæ fortunæ aut inconstantiæ humanæ dissipantur, id est, optato successu destituuntur, uti plurimorum exemplis demonstrari potest.

*Eccl. 34. v. 2.* IV. Ex occasione thematis : *Quasi qui apprehendit umbram, & persequitur ventum, sic & qui attendit ad visa mendacia* : potest mundana gloria umbræ comparari. 1. Quia sicut umbra, quantumcunque corpus aut pulchrum, aut aliis qualitatibus & ornamentis affectum est semper nigra, & nihil, id est, carentia lucis est; ita omnis gloria & laus mundana, ex quacumque demum causa oriatur, obscura & vana est, quia nihil utilitatis confert homini. 2. Quia sicut umbra frigida est, ideóque homines & animalia æstu solis accensa passim ad se trahit ; ita multò magis gloria mundana frigida est, seu calore caritatis divinæ destituta, ad quam proin Homines æstu concupiscentiæ inflammati undique confugiunt, & levamen quærunt. 3. *Iac. 4. v. 14.* Quia sicut umbra est vapor ad modicum parens, & tota à solis illuminantis radiis pendet; ita cùm & gloria nihil aliud sit, quàm aliena de nobis opinio & æstimatio, non potest diu stabilis durare, sed quovis ferè momento accedit, & recedit. 4. Quia sicut umbra hominem quidem repræsentat, sed tam imperfectè & obscurè, ut, quis, vel qualis sit, dignosci nequeat ; sic gloria, licet aliquo modo hominem manifestet aliis, & visibilem faciat, revera tamen ex ea dognosci non potest, quis & qualis homo coram DEO, & in seipso. 5. Quia sicut umbra fugientem sequitur, sequentem fugit ; ita hunc ipsum gloriæ mundanæ genium esse, tum quotidiana experientia, tum commune hominum judicium ostendit.

## §. XIII.

## MISCELLANEA.

### *Qualitas.*

I. PUlchrè Seniores nostri naturam morbi hujus in modum cepæ, bulborúmque describunt, quæ uno decorticata tegmine, alio rursus inveniuntur involuta, totiésque reperiuntur obtecta, quoties fuerint expoliata. *Cassianus. l. 11. inst. c. 5.*

II. Vires & efficaciam gloriæ non malè descripsit Ovidius dicens:

Excitat auditor studium, laudatáque virtus *Ovid. l. 4. de ponto eleg. 2.*
Crescit, & immensum gloria calcar habet.

III. Et alibi:

Denique non parvas animo dat gloria vires, *Ovid. l. 5. trist. 15. eleg.*
Et facunda facit pectora Laudis amor.

IV. Ardua per præceps gloria vadit iter. *Id. l. 4. trist. eleg. 3.*

V. Propertius quoque idipsum confirmans canit:

Magnũ iter ascendo, sed dat mihi gloria vires, *Propert. l. 4. el. 11.*
Non juvat ex facili lecta corona jugo.

VI. Trahimur omnes laudis studio, inquit Cicero, & optimus quisque maximè gloriâ ducitur. Ipsi illi Philosophi etiam in illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt : in quo prædicationem & nobilitatem despiciunt, prædicari se ac nominari volunt. *Cicero pro Archia Poeta.*

VII. Duplex est Gloria juxta Senecam una, adumbrata, & ex populari rumore progenita, propagatáque, quæ nec judicio provenit, nec firma perdurat : quam veluti vitium Sapiens minimè expetit. Altera vera & solida ac durabilis, quæ ex consensu bonorum nascitur, sicut enim consuetudo sermonis est consensus eruditorum, ut Quintilianus ait, sic consentiens laus bonorum gloria appellatur, quam D. Augustinus dixit, esse opinionem hominum bene de nobis judicantium; hæc autem bonis viris non est contemnenda, cùm sapiens non gloriâ, sed conscientiâ rectè factorum virtutem metiatur. *Seneca in l. 18. epist.*

VIII. Democritus dicere solebat : Oratio operis est umbra, significans, laudem ex factis, non aliis qualitatibus nasci. *Laërtius l. 9. c. 7.*

IX. Socrates hanc viam compendiariam ad gloriam dicebat, si quisque id ageret, ut, qualis haberi vult, talis sit. *Cic. l. 2. Offic.*

X. Antiqui vanam gloriam per Pavonem repræsentabant, quia hic pennas suas tunc potissimùm explicat, & ostentat, cùm plurimos ad spectandum convenisse advertit. *Langius in Polyanth. f. 481.*

XI. Alii per bullam expresserunt, quæ inflata vix comparet, & iterum evanescit. *Ibid.*

XII. Plato dicebat, vitium inanis gloriæ esse vestem, quæ omnium ultimò exuitur. Cui con- *Lancic. opusc. 9 n. 265.*

non poteſt non eſſe optimum. Vide Fabrum conc. 6. in Epiph. n. 6. ;

VII. Ex occaſione thematis : *Maleficos non patieris vivere* : poteſt inſtitui judicium ſuper maleficos, & 1. quidem gravitas peccati ab eis commiſſi oſtendi per hoc, quòd ejuſmodi peccatum ſit contra omnes primarias virtutes tam Theologicas, ſcilicet fidem, ſpem, & caritatem, quàm morales prudentiam, Juſtitiam, temperantiam, fortitudinem. 2. Ne inauditi damnentur, poſſunt eorum excuſationes audiri & refutari, quòd ſcilicet etiam Chriſtus & Apoſtoli Sathanæ imperaverint, ut aliquid faceret : quòd talia media reipſa comprobentur, effectũ ſuum habuiſſe: quòd meræ res Sacræ adhibeantur &c. quæ omnia fuſiùs apud Fabrum conc. 4. v. 3, refutata videri poſſunt.

### §. XI.

### MISCELLANEA.

*Qualitas.*

*Textor. in offic. c. 32.* I. APud Lyguteos Thraciæ populos, Antiſtides Oracula reddituri, multo priùs vino ſe ingurgitabant. Contrà verò apud Clarios futura prædicturi aquam priùs largè hauriebant.

*Fab. conc. 4. in Epiph.* II. Olim Idolorum Sacerdotes antè, quàm reſponſa ab oraculis peterent, altiùs proclamabant : Procul hinc ſit lotus & unctus, Chriſtianus ſcilicet aquâ baptiſmali lotus, & oleo Chriſmatis in confirmatione unctus. Hinc Sacrificanti quondam Juliano omnia irrita cedebant, qua Chriſtianus, qui Gentilis credebatur, interetat.

*Fuga.*

*Textor. c. 33.* III. Caſſandra Priami Filia, cùm Apollini copiam ſui corporis promiſiſſet, ab eodem vates facta eſt : cùm autem non ſteriſſet promiſſis, iratus DEUS fecit, ut ejus vaticiniis fides non haberetur. An non autem hoc magis Dœmoni convenit ?

IV. Phavorinus apud Gellium fidem divinationibus non eſſe adhibendam, hoc diſcurſu ſuadere conatus eſt : aut adverſa eventura dicuntur, aut proſpera ? Si adverſa, & mentiantur, miſer fruſtra fies timendo : ſi non mentiantur, jam inde ex animo fies miſer, antequam è fato fias. Si proſpera, & fallunt, miſer fies fruſtra expectando : ſi non fallunt, expectatio rei ſuſpenſum fatigabit, & futurum gaudii fructum ſpes antè defloravit. *Idem. c. 32.*

*Damnum.*

V. Damna per artes magicas creari ſolita, rectè antiqui per figmentum Medeæ explicare conati ſunt. Ut enim illa Draconem cuſtodem velleris aurei ſopivit, ita Magia conſcientiam gratiæ cuſtodem. Ut illa pallam veneno infectam Creuſæ miſit, eámque interemit, ita Magia ſuis muneribus animam necat. Et tandem ut Medea filios ex Jaſone ſuſceptos interemit ; ita Magia fructus omnes bonorum operum perimit. *Ovid. l. 7. & Seneca in Medea.*

### §. XII.

### AUTHORES.

I. JOannes Buſæus in Panario. V. eodem.
II. Joſephus Langius in Polyanth. V. eodem.
III. Matthias Faber conc. 4. 5. & 6. in Feſto Epiphaniæ.
IV. Jacobus Marchantius. in Horto Paſtorum tr. 3. lect. 2.
V. Chriſtophorus Lehman in Florilegio p. 4. V. eodem.

# TITVLVS XXIV.

# VANA GLORIA.

### §. I.

### QUOAD ESSENTIAM.

*Definitio.*

I.

*S. Ambroſ. ſuper Epiſt. ad Rom.* EST inordinatus Gloriæ appetitus. Gloria autem nihil aliud eſt, quàm clara aliorum de nobis boniq; notitia ſeu æſtimatio, quæ ſi intenùs ſubſiſtit, *Fama* vocatur ; ſi verbis proditur, *Laus* appellatur ; ſi aliis ſignis exterioribus manifeſtatur, *Honor* dicitur.

*Diviſio.*

*S. Thom. 2. 2. q. 130. a. 1.* II. Dividitur à S. Thoma in tres ſpecies. 1. In eam, quæ quæritur ex rebus tranſlatoriis, vel de non ente, vel de peccato. 2. In eam, quæ ab hominibus, & non à DEO quæritur. 3. In eam, quæ ad debitum finem non ordinatur.

*Actus.*

III. Primus eſt, *ſua facta vel dicta plus, quàm oportet, æſtimare* ; ex hac enim æſtimatione velut radice, ipſa poſtea inanis gloriatio oritur.

IV. Secundus eſt, *beneplacere ſibi in ſuis operibus aut dictis*, ſeu, quod idem eſt, gaudium voluptatémque ex eorum conſideratione percipere.

V. Tertius eſt, *deſiderare, ut ab aliis quoque cognoſcantur, & æſtimentur*, ſicque bonam apud eoſdem famam quis acquirat.

VI. Quartus eſt, *deſiderare, ut ab aliis non tantùm interiùs concipiatur hæc æſtimatio, ſed exteriùs etiam prodatur, verbiſque manifeſtetur*, in qua manifeſtatione *Laus* conſiſtit.

VII. Quin-

VII. Quintus, *Variis artibus modisque hanc aliorum de suis factis æstimationem, laudémque venari.*

VIII. Sextus, *etiam propriis verbis eadem deprædicare*; quæ prædicatio proprio nomine *Jactantia* vocatur.

## §. II.

## EX S. SCRIPTURA.

### *Qualitas.*

*Isaia.40. v.6.* I. OMnis caro fœnum, & omnis gloria ejus, quasi flos fœni.

*Io.7.v.18.* II. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit.

*Io.8.v.54.* III. Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est.

*Io.12.v.43.* IV. Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam DEI.

*1.Cor.4. v.7.* V. Non, qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem DEUS commendat.

VI. Quasi qui apprehendit umbram, & persequitur ventum, sic & qui attendit ad visa mendacia.

*Iob.20. v.4.* VII. Hoc scio à principio, ex quo positus est homo super terram, quòd laus impiorum brevis sit, & gaudium hypocritæ ad instar puncti.

### *Fuga.*

*Ps.113.v.9.* VIII. Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam.

*Luc.17. v.10.* IX. Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis dicite: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.

*1.Cor.4. v.7.* X. Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?

*Gal 5.v.26.* XI. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes.

*Matth. 6. v.1.* XII. Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est.

*Prov. 27. v.1.* XIII. Ne glorieris in crastinum, ignorans, quid superventiens pariat dies. Laudet te alienus, & non os tuum: extraneus, & non labia tua.

*Jer.9.v.23.* XIV. Non glorietur sapiens in sapientia sua: & non glorietur fortis in fortitudine sua: & non glorietur dives in divitiis suis; sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nôsse me.

### *Damnum.*

*Io.5.v.44.* XV. Quomodo potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam, quæ à solo DEO est, non quæritis?

*Aggai.1. v.7.* XVI. Ponite corda vestra super vias vestras. Seminâstis multùm, & intulistis parùm: comedistis, & non estis satiati: bibistis, & non estis inebriati: operuistis vos, & non estis calefacti: & qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum.

XVII. Percussus est Ephraim, radix eorum exiccata est, fructum nequaquam faciens. *Osea 9. v.16.*

XVIII. Ventum seminabunt, & turbinem metent; culmus stans non est in eo: germen non faciet farinam; quod etsi fecerit, alieni comedent ex eo. *Ib.c.8.v.7.*

## §. III.

## EX SS. PATRIBUS.

### *Qualitas.*

I. INanis gloria hujus seculi fallax est suavitas, & infructuosus labor, & perpetuus timor, & periculosa sublimitas, initium sine providentia, finis sine pœnitentia. *S. August. sup.Ps.7.*

II. Tuba est omnis actus, vel sermo, per quam ipsa operis jactantia designatur; tubâ ergo canere est pompam vanæ laudis appetere. *S. Chrys. sup. Matt.*

III. Laudamus mendaciter, delectamur inaniter: & vani sunt, qui laudantur; & mendaces, qui laudant. *S. August. in quad. epist.*

IV. Sæpe bono operi, dum laus humana obviat, mentem operantis immutat, quæ, quamvis quæsita non fuerit, tamen oblata delectat. *S. Greg. in moral.*

V. Omnia vitia superata marcescunt, & devicta per singulos dies infirmiora redduntur; hoc verò dejectum acriùs resurgit ad luctam, & cùm putatur extinctum, suâ morte vivaciùs convalescit. Et hæc est subtilis Inimici versutia, ut militem Christi propriis faciat telis occumbere, quem hostilibus armis non potuit superare. *Cassian. l.11. Instit. c.7.*

VI. Vitiorum auctor Dæmon in eo, quòd non potest vincere vitiis suis, vincit virtutibus alienis: Armis, quibus eliditur, surgit, & virtute, quâ dejicitur, dejicit. Laudat, quâ se prospicit superari, virtutem, ut victus possit captivare innocentem. *P. Fulg. ep. 3. ad Probam.c.15.*

VII. Si opera virtutum foras exierint, rarus est, qui hominum judicia conspuat, & laudes humanos contemnat. *S. Cyprian. apud Alv. to. 1. l.1.p.2.c.15*

VIII. Valde perfectorum est sic ostenso opere, autoris gloriam quærere, ut de illibata laude nesciat privata exultatione gaudere. *S. Greg. l.22.mor.*

IX. Odium, quo apes fumum prosequuntur, significat eos, qui DEO mellificant, re nullâ æquè offendi, quàm laudum humanarum fumo. *P. Basil.in ascet.*

### *Fuga.*

X. O insipiens, quid tibi prodest hominum memoria, si, ubi es, torqueris; & ubi non es, laudaris? *S. Chrys. sup Matt.*

XI. Quisquis ex deteriore jam melior esse cœpit, caveat de acceptis extolli virtutibus, ne graviùs per vanam gloriam corruat, quàm priùs per lapsum vitiorum jacebat. *Isid. l.1. de summ. bono*

XII. Laus sua justos cruciat, iniquos exaltat; sed justos, dum cruciat, purgat; iniquos, dum lætificat, reprobos monstrat. *S. Greg in mor.*

XIII. Nescit laudem, cùm supperit, fugere; qui ad hanc didicit, cùm deesset, anhelare. *Idem in Pastor.*

XIV. Qui pro virtute, quam agit, humanos favores desiderat, rem magni meriti vili pretio *S. Greg. l. 8. mor. c. 24.*

venalem portat; unde cœli regnum mereri potuit, inde nummum transitorij sermonis quærit.

*S. Greg. ho. 11 in Evang.* XV. Inventus thesaurus absconditur, ut servetur, quia studium cœlestis desiderij à malignis Spiritibus custodire non sufficit, qui hoc ab humanis laudibus non abscondit. In præsenti etenim vita quasi in via sumus, quâ ad Patriam pergimus; magni autem Spiritus, iter nostrum quasi latrunculi quidam obsident. Deprædari ergo desiderat, qui thesaurum publicè portat in via.

*S. Bern. S. de nat. S. Io. Bapt.* XVI. Stultus ut luna mutatur; quia sicut luna modò splendet sine fervore, modò plena, modò exigua, modò nulla videtur (mutuatum siquidem lumen nunquam in eodem statu permanet) ita qui conscientias suas in alienis labiis posuerunt, modo parvi, modò magni sunt, modò nulli, secundùm quod adulantium linguis vel vituperare placuerit, vel laudare.

*Steph. Cantuar. in c. 15. Deut.* XVII. Oves non tondentur in hyeme, sed in æstate, ne asperitate hyemis opprimantur. Hyems est vita præsens, æstas verò futura. Oves in hyeme tondet, qui causâ inanis gloriæ opera sua æstimat; in æstate verò, qui pro vita æterna laborat.

*S. Chrysost. ho. 17. in epist. ad Rom.* XVIII. Nónne clementia est, cùm habeas theatrum in cælo constitutum, Spectatores tamen in terra tibi deligere? Athleta, ubi certat, ibi & probari cupit. Tu cùm in Superioribus certes, in inferioribus coronari quæris. Videamus tamen, si placet, coronas. Illa quidem superbiâ constat, hæc autem invidiâ: quædam ex ironia & adulatione, propter pecunias & adulatione, propter pecunias & alia: nonnulla etiam ex servili ministerio. Quemadmodum enim pueri ludentes ex fœno coronas alicui imponunt, coronatum autem suum post tergum irrident; sic sæpe fit, ut, qui te in faciem prædicant, apud semenpsos clanculùm subsannent.

*S. Chrysost. ho. 28. in Io.* XIX. Nemo Satellitum in hujus sæculi regis, iis omissis, quibus coronato Regi & in solio sedenti placere oportet, graculorum voces, muscarum & culicum obvolantium stridores prosequitur. Neque enim iis ulla ex parte potiores hominum laudes inveniuntur.

*S. Hieron. in vita S. Paulæ.* XX. Fugiendo gloriam, gloriam Paula merebatur, quæ virtutem quasi umbra sequitur, & appetitores sui fugiens, sequitur contemptores.

*Damnum.*

*S. Bern. in serm.* XXI. Time sagittam, leviter volat, leviter penetrat, sed dico tibi, non leve infligit vulnus, citò interficit. Nimirum sagitta hæc vana gloria est.

*S. Greg. l. 8. mor.* XXII. Cùm per accepta bona reprobi in sua laude se elevant, ipsis muneribus contra largitorem pugnant. Inde quippe contra dantem superbiunt, unde & amplius humiles esse debuerunt.

*Ibid.* XXIII. Qui inchoatæ virtutis ab humano honore laudem receperit, quasi ligni plantati fructus ante tempus comedit.

*Idem l. 32 mor.* XXIV. Quasi latrunculus est appetitus laudis humanæ; qui tecto itinere gradientibus ex latere jungitur, ut ex occultis, educto gladio gradientium vita trucidetur.

*S. Basil. conft mon. c. 10.* XXV. Inanis gloria est dulcis spiritualium operum exspoliatrix, jucundus animarum nostrarum hostis, blandissima bonorum nostrorum deprædatrix, eadémque mellis illius fraudis suæ coloratrix, & mortiferi hominum mentibus poculi porrectrix, quod ea de causa facit, ut vitio se illi avidiùs ingurgitent homines, nec ullâ illius expleantur satietate; dulce enim quid impetitis est gloria.

*S. Aug. l. 10. conf. c. 36.* XXVI. Qui plùs gaudet laudari se, quàm donum tuum habere, unde laudetur, iste te vituperante, laudatur ab hominibus. Et melior jam est ille, qui laudavit, quàm iste, qui laudatus est; illi enim placuit in homine donum DEI, huic placuit amplius donum hominis, quàm DEI.

*S. Greg. l. 20. mor.* XXVII. Sub hoste, quem prosternit, moritur, qui de culpa, quam superat, elevatur.

*Idem l. 21. mor. c. 14.* XXVIII. Quicunque se, dum benefacit, extollit, majorem culpam superbiendo peragit, quàm bonam mercedem largiendo; fit que nudus, dum nudum vestit, & fit deterior, dum prius meliorem.

*S. Chrys. ho. 33 in ep. 1. ad Cor.* XXIX. Mater gehennæ est inanis gloria, ignémq; illum vehementer accendit, vermémque pestiferum confovet.

*S. Chrys. ho. 2. in Io.* XXX. Intolerabilis quædam ebrietas est vana gloria: quem suæ subjecit di ioni, is ægrè in sanitatem restituit. Et quam pestifera tabe infecit animam, à cælo abscindens terræ affigit, neque ampliùs sinit, ut ad veram lucem possit dirigere intuitum, qui enim hoc morbo afficitur, nullo Præceptore, omnia sua sponte operatur, quæ aliis placere arbitratur: ut aliis admirationi sit, præceps agitur.

## §. IV.

## EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

*l. 1. c. 6. §. 2.* I. Brevis gloria, quæ ab homine datur, & accipitur. Mundi gloriam semper comitatur tristitia. Bonorum gloria in conscientiis eorum, & non in ore hominum.

*Ibid.* II. Qui veram & internam gloriam desiderat, temporalem non curat. Et qui temporalem requirit gloriam, aut non ex animo contemnit, minùs amare convincitur cœlestem.

*l. 2. c. 10. § 5.* III. Pleni veritate & gloria cœlesti non sunt vanæ gloriæ cupidi. In DEO confirmati & fundati nullo modo possunt esse elati.

*l. 3. c. 40. § 4.* IV. Verè inanis gloria mala pestis, vanitas maxima; quia à vera trahit gloria, & cœlesti spoliat gratiâ; dum enim homo complacet sibi, displicet tibi: & dum inhiat humanis laudibus, privatur veris virtutibus.

*l. 1. c. 7. §. 2.* V. Non placeas tibi ipsi de habilitate aut ingenio tuo, ne displiceas DEO, cujus est totum, quidquid naturaliter habueris.

*l. 3 c. 40. § 6.* VI. Omnis gloria humana, omnis honor temporalis, omnis altitudo mundana, æternæ gloriæ comparata, vanitas est & stultitia.

VII.

*l.3.c.14. §.4.* VII. Quid est omnis caro in conspectu tuo? numquid gloriabitur lutum contra formantem se? Quomodo potest erigi vaniloquio, cujus cor in veritate subjectum est DEO? non enim totus mundus eriget, quem veritas sibi sobjecit: nec omnium laudantium ore movebitur, qui totam suam spem in DEO firmavit. Nam & ipsi, qui loquuntur, ecce omnes nihil, deficient enim cum sonitu verborum: Veritas autem Domini manet in æternum.

*l.4.c.9.§.2.* VIII. Qui extra me voluerit gloriari, vel in aliquo privato bono delectari, non stabilietur in vero gaudio, neque in corde suo dilatabitur, sed multipliciter impedietur, & angustiabitur. Nihil ergo tibi de bono adscribere debes, nec alicui homini virtutem attribuere, sed totum da DEO, sine quo nihil habet homo. Hæc est veritas, quâ fugatur gloriæ vanitas.

*l.2.c.10. §.4.* IX. Qui totum DEO adscribunt, quidquid boni acceperunt, gloriam ab invicem non quærunt, sed gloriam, quæ à solo DEO est, volunt, & DEUM in se, & in omnibus Sanctis laudare super omnia cupiunt, & semper in idipsum tendunt.

*l.2.c.6 §.4.* X. Qui nullum pro se extrinsecus testimonium quærit, liquet, quod totaliter se Deo commisit; non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.

*Ibid.§.3.* XI. Facilè erit contentus, & pacatus, cujus conscientia munda est. Non es sanctior, si laudaris; nec vilior, si vituperaris. Quod es, hoc es, nec major dici vales, quàm Deo teste sis.

*l.2.c.11§.4.* XII. Si dederit homo omnem substantiam suam, adhuc nihil est. Et si fecerit pœnitentiam magnam, adhuc exiguum est. Et si apprehenderit omnem scientiam, adhuc longè est. Et si habuerit virtutem magnam, & devotionem nimis ardentem, adhuc multùm sibi deest: scilicet unum, quod summè sibi necessarium est. Quid illud? Ut omnibus relictis se relinquat, & à se totaliter exeat, nihilque de privato amore retineat, cúmque omnia fecerit, quæ facienda noverit, nil se fecisse sentiat.

## §. V.

## EXEMPLA.

### *Fuga.*

*Io 8.v.50.* I. CHristus de seipso dixit: Ego non quæro gloriam meam, sed ejus, qui misit me. *Matt. 8. v.4.* Et aliàs frequenter, cùm alios vel à leprâ vel alio morbo curavit, iisdem dixit: Vide, nemini dixeris, Super quæ verba S: Chrysostomus ait: *S.Chrys. ho. 26.in Matt* Ideo nulli dicere jubet, docens non diligere ostentationem & honorem: nam quòd alio loco sanatum à se Christus jubet beneficium publicare, non divulgari seipsum jussit, sed dari gloriam DEO. *Luc. 8.v.39* Narra, inquit, quanta tibi fecit DEUS. Per hunc ergo leprosum instruit nos, non esse vanè gloriosos, per istum autem non esse ingratos, sed omnia ad DEI laudem referre.

*Luc.1.v. 47.* II. B. Virgo, cùm S. Elisabeth eam laudare, & inter mulieres benedictam dicere cœpisset, mox ad DEUM refundens eas laudes dixit: Magnificat anima mea Dominum.

III. Joab Dux Militiæ cùm regiam civitatem Rabat oppugnaret, jàmque in sua ferè potestate haberet, nuntios ad Regem misit dicentes? Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obside civitatem, & cape eam, ne, cùm à me vastata fuerit Urbs, nomini meo adscribatur victoria. *2.Reg.12.*

IV. S. Petrus, cùm ob claudum ab eo sanatum populus vehementer obstupesceret, & ad ipsum quasi gratulaturus accurrisset, eidem dixit: Viri Israëlitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute ac potestate fecerimus hunc ambulare? *Act.3.v.12.*

V. S. Bernardus cùm ob varia, pluriniáq; miracula multùm ab aliis laudari & æstimari se adverteret, in hæc verba prorupit: Ex Scripturis deduci, signa fieri vel per perfectos, vel per fictos, Ego nec perfectionis mihi sum conscius, nec fictionis. Nihil ergo mihi & signis istis, quandoquidem meæ illæ famæ magis, quàm vitæ noverim exhiberi, nec ad meam fieri commendationem, sed ad commemorationem potiùs, ad fructum autem aliorum, & ad fovendam de iis bonam opinionem. Sed & aliàs si à vana gloriâ se tentatum advertebat, dicere solitus est: Propter te non cœpi, propter te non desinam. *Surius in Vita.c.6.*

VI. S. Gregorius Turonensis Episcopus semper reliquias Sanctorum è collo gestabat, ut, quoties miraculum ederet, non suis meritis, sed Reliquiarum beneficio adscriberet. *Surius in Vita.*

VII. S. Udalricus Augustanus Episcopus, cùm die Jovis sancta visi essent cum eo sacrum facientes SS. Fortunatus & Adalbero Antecessores, dextra quoque manus consecrans tempore consecrationis super eum apparuisset, tempore communionis Clericis, qui viderant, porrectæ, os compressit, ut visum occultarent, & pòst sub pœna vitæ amittendæ vetuit, ne patefacerent. Eâdem de causâ cùm morbum caducum curare posset, publicè id petentibus negavit. *Sur.in vita 4.Iul.*

VIII. S. Nicolaus Episcopus ad pauperes Filias elocandas argentum occultè per fenestram injecit, & tertiò hoc faciens, ubi se conspectum advertit, celerrimè proripuit. *Surius in Vita 6.Dec.*

IX. S. Eligius Episcopus cùm cœco largam eleemosynam obtulisset, illéque manum subtrahens, potiùs oculorum usum restitui sibi petiisset, manu mendici arreptâ dixit: Tu, amice, necdum nôsti te signare, docebo itaque te. Simúlque signum crucis fronti imprimens visum restituit, totúmque miraculum Fidei hominis attribuendum asseruit. *Surius in Vita.*

X. De S. Thoma Aquinate produnt historiæ, eum per omnem vitam nunquam vanâ gloriâ fuisse elatum, sive ex profundissimâ, quâ excellebat, cognitione, sive ex intellectu ipsius verè Angelico, sive ex aliis amplissimis donis, quæ in ipsum Divina bonitas plenâ manu effuderat. *Surius in Vita 7. Mart.*

XI. S.

XI. S. Guilielmus Episcopus Parisiensis, cùm aliquando à vana gloria se pulsatum advertisset, recede, ajebat, recede, ô gloria, & vade ad DEUM, ad quem solum pertines.

*Vita p. 2. c. 27.* XII. B. Clara de se dixit, se, si à toto mundo honoraretur, nullam mutationē in se, & nec minimum vanæ gloriæ habituram; nec si ab omnibus vilipenderetur, & vituperaretur, ob id turbatum iri.

*Drexel. l. 2. Amuss. c. 4. §. 5.* XIII, Sara sacrarum Virginum Antistita, cùm Dœmonem tredecim annis impugnantem vicisset, illéque ipsi in faciem diceret; Vicisti me, Sara, vicisti: Respondit illa: Non ego te vici, sed Dominus meus JESUS.

*Lyraus in apoph. S. Ign. l. 3. f. 443.* XIV. Joannes Avila si quando ad utilitatem eorum, quibuscum agebat, quidpiam dicendum incideret, quod sibi aliàs accidisset, semper istud velut de tertia persona dexterrimè exarrâsse dicitur.

*Damnum.*

*4. Reg. 20.* XV. Ezechias Rex, quia suos thesauros omnes Assyriis ostentavit, graviter à Propheta increpatus, & graviùs in Filio punitus est, à quo Assyrij omnes illas divitias abstulerunt.

*Vita S. Pachom.* XVI. S. Pachomius Monachum asserentem, se duas uno die storeas contexuisse, & vanam inde gloriam capientem, non modò graviter increpuit, sed insuper præcepit, ut storeas ante Fratres suos humeris portans rogaret, ut DEUM pro se precarentur, & veniam peterent, ut qui duas storeas pluris, quàm regnum cœlorum fecisset. Denique injunxit etiam, ut per quinque menses cellæ inclusus, & à nemine visus binas quotidie storeas conficeret.

*Salutini in speculo p. 2. c. 12.* XVII. B. Claræ de monte Falco propter exiguam tentationem vanæ gloriæ subtractus fuit à DEO annis quindecim Divinæ dulcedinis, & spiritualis illuminationis influxus; nec priùs potuit eum recuperare, quamvis multis lacrymis, jejuniis, ciliciis, flagellis & orationibus pro eo instaret.

## §. VI.

## EXEMPLA DOMESTICA.

*Rib. l. 5. c. 3.* I. S. Ignatius licet ab initio vehementer à vanâ gloriâ fuerit tentatus, id tamen DEI misericordiâ postea est consecutus, ut per multos annos, antequam è vita discederet, nullam inanis gloriæ cogitationem haberet; imò dicebat, nullum se vitium minùs, quàm vanam gloriam timere, quæ ex ignorantia plerumque & cæco sui amore ortum habet, & vel

*Rodriq. p. 1. tr. 3. c. 6.* cedros ipsas Libani evertere solet. Sed & magnus Hispaniæ Prælatus de ipso narravit, quòd rogatus aliquando, quonam modo ipsi mentalis oratio succederet, responderit, nolle se id dicere, nisi in quantùm utilitati aliorum deserviret; illud enim vanitatis, hoc caritatis

*Fab. annc. 3. in fer. cinar.* necessitatísque esse. Aliàs dicere solebat; ut sanus sim in his, quæ ad DEUM pertinent, vehementius tamen mihi verendum est, & cavendum ab his, qui me temerè inflant: Laudantes enim me flagellant.

*Vita l. 6. c. 15.* II. S. Franciscus Xaverius ajebat, eum, qui non segniter suos defectus & peccata considerat, aliud, si à mundo laudetur, cogitare non posse, quàm quòd ridere ipsum & subsannare velit, nec aliter accipere laudes illas atque encomia, quàm pro vera ignominia & injuria: novit enim, omnem suam substantiam tanquam nihilum esse in conspectu DEI.

*Vita l. 4.* III. S. Franciscus Borgia, cùm aliquando ab aliquo variis titulis & encomiis compellaretur, fassus eidem est, se plùs titulorum illorum enarratione, quàm longo, quod paulò ante confecerat, itinere fatigatum fuisse.

*Vita to de Aug. præfa. na.* IV. P. Franciscus Suarez, licet ad summum famæ fastigium pervenisset, candidè tamen fatebatur, nullâ se vanæ gloriæ titillatione moveri. Vitabat hominum congressus, quantùm poterat, ne, ut fit, inter invitandum laudibus oneraretur; id verò cùm fiebat, mox rubore suffusus manu vultum tegebat.

*Vita P. Balth. Alv. c. 46.* V. Cùm Christophorus Gonsalvus magnâ cum laude cursum Theologicum in Hispania perageret, & ob id vanâ gloriâ tentaretur, effecit, ut, salvis studiis, putarent alij, parùm ipsum scire; à quo tempore ad excelsum orationis donum promotus est.

*Vita l. 5.* VI. P. Josephus Anchieta ita virtutes suas arte admirandâ, humilitatis velo obtegebat, ut ipsam etiam humilitatem deprimeret; non enim ille sua facta elevando humilitatem præferebat, sui ludibrio venerationem aucupatus (versura siquidem est plurimorum improbitas, cùm ipsum honorem, quem spernere videntur, ambiunt quàm maximè) sed splendorem, qui ex eo erumpebat, ne emanaret longiùs, per multam dissimulationem obscurabat.

*Lyraus l. 3. apop. 1. 8. Ign. In. f. 447.* VII. Bernardinus Picinus cùm in tota Sicilia, tam scientiæ, quàm virtutis fama celeberrimus esset, ultro P. Generalem exoravit, ut in Italiam migrare, Tiburique ignotus pueros docere Grammaticam posset.

## §. VII.

## EXEMPLA PROFANA.

*Qualitas.*

*Laert. l. 6.* I. Cùm Diogenes aliquando in summo frigore penè nudus in aquis congelatis consisteret, ideóque plebs spectans commiseratione tangeretur, superveniens Plato ad astantes dixit: Si hujus hominis misereri vultis, eúmque hâc molestiâ liberare, discedite. Significans hoc dicto, id Diogenem tantùm vanæ gloriæ aucupandæ studio fecisse,

*Ælian. l. 12. var. hist.* II. Menecrates Medicus cùm Jovis titulum affectaret, Philippus Macedonum Rex eum ad convivium quidem invitavit, sed solam acerram apponi, & suffitum velut DEO fieri jussit, unde fame & siti urgente tandem hominem se fassus est.

*Plin. l. 9. Epist.* III. Plinius de seipso scripsit: Ego verò celebritate nominis mei gaudere non debeo? ego verò gaudeo, & gaudere me dico. & cur?

Quia

Quia nescio, quis alteri dixerit: Vides hunc? Plinius est.

*Fab. in audi tis. 5. in Dom. 3. post Epiph.*

IV. Architectus quidam Venetianus pro duabus insignibus columnis erectis non aliam petiit mercedem, quàm ut lusoribus quibuscunque fieret libertas sub ea quocunque modo ludendi.

*Idem Dom. 4. post Pent. conc. 3.*

V. Hanon Dux Carthaginensium multo labore docuit aves caveâ inclusas hæc verba: Hanon est DEUS: pronunciare; sed illæ libertati redditæ ad suum naturalem redierunt cantum, nec Hanonis ampliùs meminerunt.

*Maffæus in Hist. Iap.*

VI. In Japonia Operarij, licet magna illis pro labore merces offeratur, tristes tamen recedunt, si duo illa verba: Optimè laborâstis: non audiant.

### *Fuga.*

*Plutarch. in Phoc.*

VII. Phocion, cùm inter orandum ejus sententiam universa concio magno assensu excepisset, ad proximos conversus, me miserum, inquit: Vereor enim, ne quod mihi stultum verbum exciderit.

*Erasmus l. 8. Apoph.*

VIII. Trentinus monumentum sibi exstrui vetuit his verbis; Impensa monumenti supervacanea est, memoria nostra durabit, si vitâ meruimus. Excelsi animi est, cùm præclara gesseris, gloriam contemnere.

*Drex. in auruss. l. 2. c. 4. §. 6.*

IX. Demosthenes antequam eloquio Græco innotuisset, operosioris cultûs nitorem appetiisse dicitur; sciebat enim à purpura vendi causidicum; at postquam fœcundiæ famam assecutus est, togâ viliore contentus dicebat, malle se à seipso, quàm à veste aut cultu exquisito gloriam quærere; quem enim suus attollit honor, vilitatem alienam non deprimere; sed nec alienum erigere honorem, quem sua vilitas humo affligit.

### *Damnum.*

*Faber conc. 3. in fer. ciner.*

X. Thurinus Vetronius quia Principis benevolentiam simulato commendationis beneficio vendere solitus erat, à Severo Imperatore fumo perire jussus est, quòd fumum vendidisset.

*Act. 12. v. 22.*

XI. Herodes Rex, quia à plebe sibi occini permisit: DEI voces, & non hominis: confestim percussus ab Angelo, & à vermibus consumptus expiravit.

## §. VIII.

## SIMILITUDINES,

### *Qualitas.*

*S. Bern. S. 14. in Ps. qui habitat.*

I. Sicut Basiliscus neminem interficit, nisi quem priùs ipse viderit; quòd si verò ipse priùs videatur, interit: ita & vana gloria cæcum quidem, negligentem ac videri ab hominibus volentem lædit, non tamen perinde eum, qui priùs ipsam viderit, hoc est, qui consideraverit, quàm vana, falsa, & perniciosa sit.

*Busæus in panar. V. Gloria vana. n. 6.*

II. Sicut umbra corporis, quocunque colore corpus imbutum sit, semper nigra est; sic omnis sæculi gloria vana est, quocunque ex objecto nascatur.

*S. Chrys. ho. 43. ad pop.*

III. Sicut larva occultat vilitatem hominis usque ad vesperam, dimisso autem theatro, unusquisque apparet, quod est; ita si post multas tuas laudes auditas domum revertaris, & solus sis, omnia gloria defluxerit.

*Ratored. in simil.*

IV. Sicut Chamæleon non alio pascitur alimento, quàm aëris, & idcirco os semper hians & apertum habet; ita quosdam aura popularis alit, nec quidquam captant præter inanes laudes & gloriam.

*Plutarch. in moral.*

V. Sicut lumen magis prodest iis, qui vident, quàm illis, qui videntur, sic gloria magis confert iis, qui eam sentiunt, quàm quibus contingit.

*Stapl. th. 2. in Dom. 3. Adv.*

VI. Sicut milvus altè quidem ascendit, & volat, sed semper humum spectat, ut prædam rapiat; sic vanæ gloriæ cupidi multa quidem præclara frequenter agunt, sed semper ad laudes hominum inde captandas intenti.

*Idem t. 3. in Dom. 3. post Epiph.*

VII. Sicut summa dementia foret, ruinosi alicujus parietis rimas pretiosis lapillis implere atque fulcire; sic pro virtute humanos favores desiderare, & rem cœlo dignam vili pretio exponere.

*S. Arsenius apud Sur. f. 257.*

VIII. Sicut meritò stultus crederetur, qui aquam perpetuò hauriret,; ita & qui opera sua propter laudes hominum perficit.

*Stapl. l. c.*

IX. Sicut Amygdalus, quia florem citò emittit, flante vento celeriter amittit; sic qui virtutem suam facilè & citò ostentant, citò quoque amittunt.

*Ibid.*

X. Sicut mulier ante tempus pariens partum imperfectum producit; sic qui ante mortem laudari cupit, nihil verè perfectum aget.

*Ibid.*

XI. Sicut fructus arborum, quæ juxta viam publicam plantatæ sunt, raro maturescunt; quia ante maturitatem à prætereuntibus colliguntur; ita virtutum opera, quæ in conspectu hominum patrantur, raro matura ac perfecta inveniuntur.

*Prov. 27. v. 21.*

XII. Sicut probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum; ita probatur homo ore laudantis.

*S. Chrys. ho. 17. in epist. ad Rom.*

XIII. Sicut pueri ludentes ex fœno coronas alicui imponunt; coronatum autem suum post tergum irrident; sic sæpe fit, ut, qui te in faciem prædicant, apud seipsos clanculum subsannent.

*Stapl. t. 7. in Dom. 11. post Pent.*

XIV. Sicut mulier quotidie se ornans, ut alienorum virorum oculis placeat, meritò non levem marito suo displicentiam generaret; ita & is non minùs displicet DEO, qui laborat, ut hominibus placeat.

*Faber conc. 3. in Fer. cin.*

XV. Sicut venti globus convolvit stramina, & in altum evehit, mox tamen iterum dimittit; sic gloria inanis repentè evehit hominem, sed repentè etiam deserit.

*Ibid. n. 7. Is. 59. v. 5.*

XVI. Sicut Aranea multo quidem labore telas texit, ut muscas capiat, sed illæ levi vento aut motu rumpuntur; ita qui muscas vanæ gloriæ captant, telas aranearum texunt, teste Isaia.

*S. Greg. l. 33 mor. c. 16.*

XVII. Sicut pro necessitate quidem cibus sumitur, sed in ipsa comestione furtim gula surrepit,

repit, & edendi delectatio miscetur; ita licet opera nostra cum optima intentione inchoentur, facilè tamen vanæ laudis & gloriæ cupido ac delectatio irrepit.

*S.Greg. l. 22. mor. c. 3.* XVIII. Sicut arbor, quò altiùs se erexit, tantò ventorum vim vehementius sentit; ita quò plùs quis majoribus operibus attollitur, eò amplioti ab ore laudantium flatu fatigatur.

*S.Chrys. ho. 46 ad pop.* XIX. Sicut gulosi & honestatis expertes ad regale convivium vocati, nec congruam horam expectantes, parvulorum Infantium more suam corrumpunt lætitiam prævenientes, & vilioribus seipsos cibis saturantes; ita & hi mercedem hîc acquirentes & acceptantes futuram dimittunt.

*Fuga.*

*S.Greg. l. 8. mor. c. 30.* XX. Sicut, qui in itinere deprædari formidat, abscondat, necesse est, bona quæ portat; ita qui merita ac virtutes suas salvas cupit, occultas tenere debet.

*Stapl. t. 3. in Dom. 3. Epiph.* XXI. Sicut Mercator stultissimè ageret, qui vilissimo & incerto pretio merces venderet, cùm certo & amplissimo posset; ita non minùs ineptè agit, qui humanam gloriam tam incertam & instabilem pro operibus suis ambit, & accipit, cùm summam certámque DEI laudem pro ea habere possit.

*S. Doroth. doct. 2.* XXII. Sicut indutus purpurâ & serico, si ei lacerna immunda injiciatur, declinat illam & fugit, ne indumentum pretiosum commaculet; sic viri Sancti virtutes præclarissimas induti humanam gloriam devitant, ne ab ea dehonestentur.

XXIII. Sicut Luna, quò magis fulget nobis, hòc magis à Deo distat; ita plerumque id, quod magis placet hominibus, displicet DEO.

*S.Chrys. ho. 33 in epist. ad Hebr.* XXIV. Sicut puerulus, quando canis insiliens placentulam vult auferre, mox eam Patri aut Matri quasi defendendam porrigit; ita & nos, quando Diabolus opera nostra eripere nobis per vanæ gloriæ insultum cupit, per bonam intentionem DEO aut B. Virgini custodienda offerre debemus.

*Balth. Alv. in vita.* XXV. Sicut pauper si parùm purpuræ laceris vestibus adjecisset, stultè gloriaretur; ita &, qui de uno vel altero opere laudem ambit, insipienter agit, cùm plura, imò pleraque imperfecta habeat.

*P.Tausch. in fest. p. 2. cer 2.* XXVI. Sicut puer, qui Magistro eleganter manum ejus ducente & scribente, atramentum super papyrum effunderet, stultè utique gloriaretur; ita & homines illi insipientes mentô creduntur, qui præclaris operibus, quæ DEUS per illos operari decrevit, suas imperfectiones miscent.

XXVII. Sicut iis, qui furto asueti sunt, consultissimum est, occasiones furandi fugere; sic ij, qui DEO per vanam gloriam suum honorem furari asueverunt, optimum est, fugere hominum conspectum.

*Petrus Penneq. in Isgog. diss. 1.* XXVIII. Sicut Phiala Chrystallina radiis Solis illustrata pessimè ageret, si sibi splendorem illum decerneret; ita non minùs peccant, qui dona, desursum descendentia sibi adscribere, & ex iis vanam gloriam aucupari præsumunt.

*Damnum.*

XXIX. Sicut non potest simul herba crescere, & semen nasci, ita impossibile est, ut laudem & gloriam sæcularem habentes simul etiam celestem fructum faciant. *Vita PP. l. 3. n. 113.*

XXX. Sicut cera à facie ignis solvitur, ita & anima per laudem resoluta perit ab intentione sua. *Ibid. n. 114*

XXXI. Sicut sævi quidam venti in tranquillum mare delati totum ab imo subvertunt, ita ut arena cum undis misceatur; sic excæcat mentis impetum gloriæ furor. *S.Chrys. ho. 43.*

XXXII. Sicut Gallina, dum ovum cantu prodit, causam præbet, ut auferatur; sic qui virtutes suas statim prædicant, aut prædicari cupiunt, id agunt, ne illos virtutum actus amplius producant. *Stapl. t. 3. in dom. 5. Post Epiph.*

XXXIII. Sicut navis, quæ multos fluctus transiit, multásque tempestates effugit, in ipso autem portu tandem in scopulum impingit; jacturam totius in se reconditi thesauri facit; ita qui post multos labores ac virtutes linguam & mentem à cupiditate laudis non temperavit, in ipso portu naufragium fecit. *S.Chrys. ho. de profect. Evang.*

XXXIV. Sicut manus Moysis extra sinum extracta, leprâ percussa apparuit; sic opus bonum intra sinum cordis manens, sanum & integrum manebit; foras prodiens vanitatis leprâ inficiebatur. *Stapl. t. 5. in Dom. 2. Post.*

XXXV. Sicut columbæ incautè in aëre circumvolitantes, & quasi de volatu sibi plaudentes, subitò ab accipitre invaduntur, & perimuntur; ita qui de suis operibus vanam gloriam quærunt, sibique complacent, Diabolo in prædam cedunt. *Ibid.*

XXXVI. Sicut olim vermiculus à Domino paratus ascensu diluculi percussit hederam Jonæ, & statim exaruit; ita vermiculus vanæ gloriæ non à Domino, sed ab hoste humani generis, advectus percutit studia hominum, ut quod ad meritum attinet, statim arescant, & pereant. *Iac. Alv. to. 2. l. 5. p. 2. c. 16.*

XXXVII. Sicut luxuriosi & muliebres homines ab uxoribus velut mancipia tractantur, & contemnuntur; sic qui ab inanis gloriæ cupiditate semel subacti sunt, ab eodem in turpissima vitiorum servitute detinentur. *S.Chrys. ho. 65. in Matt.*

## §. IX.

## MOTIVA.

I. QUia hoc vitium *DEO singulariter est exosum*: Eripere illi cupiens, quod unicè sibi reservavit, scilicet gloriam, de qua dixit: Gloriam meam alteri non dabo. *Is. 42. v. 11.*

II. Quia *Diabolicum* est vitium: Ut qui unicè quærit, gloriam DEI in se transferre, & pro DEO adorari & coli.

III. Quia *odiosum* est vitium: sicut enim Saul, quando audivit cantari David: Percussit

sit Saul mille, & David decem millia: Non rectis illum ab eo tempore oculis respiciebat; ita idipsum ejusmodi laudis humanæ Venatoribus contingit.

*Cass. l. 11. instit. c. 6.*

IV. Quia *periculosum* est vitium: nam, teste Cassiano, omnia vitia superata marcescunt, & devicta per singulos dies infirmiora redduntur; hoc verò dejectum acriùs convalescit. Cujus aliam causam reddens S. Chrysostomus sic loquitur: Nullum malum est, quod non habeat contrarium bonum, exceptâ vanâ gloriâ; ita quantavis bona feceris volens compescere vanam gloriam, tantò magis excitas eam. Et causa est ista, quia omne malum ex malo nascitur, sola autem vana gloria de bono procedit, & ideo non extinguitur per bonum, sed magis nutritur.

*S. Chrys. ho. 65. in Matt.*

*S. Chrys. ho. 45. ad pop.*

V. Quia *servile* est vitium: Non enim potest gloriæ servus homo non omnium servus esse, & ipsis servilior mancipiis (ut rectè advertit S. Chrysostomus) nec enim talia præcipimus servis, qualia captivis suis illa.

*S. Chrys. loc. cit.*

VI. Quia *vanissimum* est vitium: Uti pulchrè S. Chrysostomus ostendit his verbis: Hæc inanis gloriæ natura, ut statim decidat. Nihil hominum gloriâ vilius. Nónne vides personas, quæ in Scena versantes induuntur, quàm sint pulchræ & splendidæ? potes mihi talem aspectum in veritate monstrare: nequaquam. Numquid unquam earum amore captus es? non. Quare? Quia vacuæ sunt, & imitantur pulchritudinem, pulchræ tamen non sunt. Similiter & gloria inanis est, & gloriam quidem imitari potest, non tamen est gloria.

*S. Chrys. ho. 19. in Matt.*

VII. Quia *nocentissimum* est vitium: quia omnem operum mercedem destruit. Quid enim à DEO accipies, inquit S. Chrysostomus, qui nihil DEO dedisti? nam quod propter DEUM fit, DEO datur, & ab eo accipitur; quod autem propter homines fit, in ventos effunditur. Quid enim est hominum laus, quàm ventorum transeuntium sonus?

*S. Bern. apud Stapl. t. 3. in dom. 3. post Epiph.*

VIII. Quia *iniquissimum* est vitium: si enim tanto studio vitia nostra abscondimus, ne humanam gloriam amittamus; Quantò majori cura dissimulandæ virtutes sunt, ne cælestis gloriæ jacturam faciamus, inquit rectè S. Bernardus.

## §. X.

## MEDIA.

I. CONsiderare *DEI* suam laudem offerentis *præsentiam*: hæc enim pluris æstimanda est, quàm si ab omnibus hominibus & Angelis simul summpto omni possibili conatu quis laudaretur. Et propterea facili labore obtineri potest, cùm plùs non requirat, quàm ut quisque, quantùm in se est, faciat. Hoc medium suadens S. Chrysostomus, non vides, inquit, in equorum ludis, quomodo hi, qui equos agitant, non advertunt plausum populi assidentis, nec voluptatem ex eo plausu capiunt, sed in unum Regem in medio sedentem oculos intendunt, ac ad nutum illius attendentes, totam multitudinem despiciunt. Hos & tu imiteris non magnifaciendo hominũ famam, sed sententiam justi judicis exspectando, atq; ad nutum ejus omnia dirigendo. Hinc meritò S. Basilius interrogatus, quomodo quis humanæ laudis captandæ vitium declinare possit? respondit: Si tibi certò persuaseris, ubique DEUM adesse. Siquidem est nemo, qui, cùm in oculis Domini sit, cum illius dedecore, conservo suo malit gratiosus esse, quàm Domino.

*S. Chrys. ho. 5. in Joan.*

*S. Basil. in reg. brev. q. 34.*

II. Considerare aliorum *virtutes & dona*: Sic Abbas Isidorus exemplo suo docuit, qui, si occurrebat ejusmodi tentatio, dicere solebat: Numquid talis es, qualis magnus Antonius? Vel alij Patres, qui DEO tantopere placuerunt?

*Pennequin in Isagog. diff. 1. §. 6.*

III. Considerare *suas imperfectiones*: sic S. Gregorius suasit dicens: Cùm bona, Fratres, agitis, semper ad memoriam mala acta revocate: Ut, dum cautè culpa conspicitur, nunquam de bono opere incautè animus lætetur.

*S. Greg. in hom. apud Grav. f. 597. loc. com.*

IV. Considerare illam Christi sententiam: *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.* Hoc medio Abbas Moyses usus est, dum pulsatus assultu vanæ gloriæ, quærebat: an omnia DEI mandata implêsset? Inimicos diligeret, de eorum bono gauderet? an se omnium peccatorum maximum diceret? an illud Christi implêsset: Cùm feceritis omnia, &c. Si eò non pervenisset, non haberet, unde gloriaretur?

*Luc. 17. v. 10.*

*Penneq. l. c.*

V. Considerare *exitum & vanitatem* omniũ rerum humanarum: Sic S. Basilius suasit dicens: Attende tibi ipsi. Mortalis enim tu; quippe terra es, & in terram abibis. Ubi jam, dic, qui civitatum amplissimos Magistratus capessebant? Ubi Rhetores invicti? Ubi exercituum Duces? Ubi Tyranni? Nónne omnia pulvis? non sunt in fabulam versa omnia? memoria vitæ eorum in quàm paucis ossibus retinetur?

*S. Basil. ho. 3. in Verba Moys.*

VI. Considerare *vanitatem, falsitatem, & instabilitatem laudis humanæ*: Qui enim hodie tecum sunt, cras contrariari possunt, & è converso sæpe ut aura vertuntur, quemadmodum rectè Thomas Kemp. dixit. Et præterea, ut idem in sequenti quopiam capite dixit: Non es sanctior, si laudaris: Nec vilior, si vituperaris. Quod es, hoc es: nec major dici vales, quàm DEO teste sis.

*Thom. l. 2. c. 1. §. 3.*

*c. 6. §. 3.*

VII. Considerare, quòd *spernendo* meliùs & certiùs obtineatur vera gloria. Ita S. Chrysostomus suasit his verbis: Quoties difficile existimas, contemnere gloriam, ista tecum animo versa; si hanc despexero, DEO æqualis, id est, similis efficiar; protinùsque subibit contemptus gloriæ ex animo. Nimirum velut umbra corpus, ita gloria ubique virtutem sequitur, teste S. Hieronymo; ita ut, quemadmodum Cassianus ait, in solitudine quoque cunctorum mortalium consortia gloriæ causâ fugientem persequi non desistant. Quantóque universum quis ampliùs vitaverit mundum, tantò eum acriùs insectetur.

*S. Chrys. ho. 2. in epist. ad Titum.*

*S. Hier. epist. 22. ad Eustoch.*

*Cass. l. 11. c. 6.*

VIII. Asuefacere se ad *intentionem puram* singulis operibus præmittendam: uti Cassianus monet:

*Cass. l. 11. c. 18.*

monet: Athleta Christi, qui verum & spiritualem agonem certare desiderat, hanc multiformem bestiam tali remedio poterit evadere, si primitùs nihil proposito vanitatis & inanis gloriæ capessendæ gratiâ fieri permittat. Deinde, quæ bono initio fecerit, observatione simili custodire nitatur.

## §. XI.

## ASCETICA.

I. QUatuor ferè sunt præcipua capita, quæ Asceta circa hoc vitium specialiter bene apprehendere debet: Primum est, ut bene cognoscat rationes, ob quas nihil sibi tribuere, omnémque laudis appetitum excludere debeat; Quæ ad quatuor pariter fontes revocari possunt. 1. Ad *DEUM*: Cui soli debetur gloria, tum quia sibi reservavit; tum quia tibi vires & gratiam ad opus contulit. Unde Apostolus: Si accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? 2. Ad *ipsum*, qui *laudem appetit*: Qui, si omnes virtuosas actiones possibiles solus exercuisset, eásque DEO obtulisset, ne unam quidem minimam partem ex infinito illo debito, quod apud DEUM contraxit, solvisset; quantò minùs ergo de unico tantùm vel altero bono opere, cui ipsi fortè plures imperfectiones mistæ sunt, gloriandum erit; an non stultus crederetur, qui laudari cuperet, quòd ex debito multorum millium talentorum obolum solvisset? 3. *Ad eos, qui laudant*: & in ordine ad veram bonitatem actionum judicandam perinde inepti sunt, ac infans aut stultus aliquis, cùm intentionem à qua omnis actionis bonitas dependet, non cognoscere queant, atque adeò plerumque pro affectu suo de rebus judicent. 4. *Ad ipsam laudem, quam appetit*: Quæ cùm nudissima sit cogitatio aut sonus, nihil utilitatis homini, cujus omnis gloria ab intus est, afferre potest. Unde meritò pius Asceta dixit: Quomodo potest erigi vaniloquio, cujus cor in veritate subjectum est DEO? non eum totus mundus eriget, quem veritas sibi subjecit; nec omnium laudantium ore movebitur, qui totam spem suam in DEO firmavit. Nam & ipsi, qui loquuntur, ecce omnes nihil, deficient enim cum sonitu verborum, veritas autem Domini manet in æternum. *L.3.c.14. §.4.*

II. Alterum est, ut bene apprehendat, hoc vitium, uti perfectis maximè insidiatur, ita ab his speciatim cavendum esse; ut enim Piratæ illis navibus magis insidias struunt, quas pleniores mercibus esse sciunt; ita & Dæmon per vanam gloriam iis præcipuè insidiatur, quos in virtutibus magis profecisse novit. Unde rectè S. Augustinus dixit: Qui bene didicit, vel expertus est vitiorum superandorum gradus, intelligit vitium inanis gloriæ vel solum, vel maximè cavendum esse perfectis, quo primo enim vitio lapsa est anima, hoc ultimum vincit. Hinc S. Nilus Abbas narrat, olim Tirones à provectioribus separatim fuisse institutos, & illos quidem abstinentiam, carnisque mortificationem præcipuè doctos, hos verò adversus vanam gloriam fuisse munitos. *S. August. super Ps. 2.* *Apud Rod. p.1.tr.8.c.4.*

III. Tertium est, ut sciat, solidum & efficacem modum fugiendi hoc vitium: Qui in duabus potissimùm doctrinis consistit, quarum prior tradita est à Ludovico Granatensi his verbis: Quisquis humanæ gloriæ cupiditate tangitur, sibi ipsi dicere debet, quod Joseph Dominæ suæ ad adulterium invitanti respondit: Ecce, inquit, Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo sua, nec quicquam est, quod non in mea sit potestate, præter te, quæ uxor ejus es; Quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum? Verè enim omnium bonorum suorum participes nos DEUS efficiens, unam gloriam sibi tanquam legitimam Sponsam reservavit. Quid igitur indignius, quàm & hanc gloriam velle præripere, & Creatoris gloriam Creaturæ velle copulare? Posterior doctrina à S. Bernardo traditur sic loquente: Cavete oculos Basilisci. Sed cui nocere dicitur Basiliscus? ei, qui non viderit ipsum. Alioquin si tu eum prior videas, jam non nocet tibi (ut ajunt,) magis moritur ipse. Ita est, Fratres. Non videntes necat inanis gloria, cæcos & negligentes, qui se ei ostentant, qui se exponunt, & non potiùs ipsi aspiciunt: Non attendunt, non discutiunt illam, non vident denique, quàm sit frivola, quàm caduca, quàm vana, quàm inutilis. Si quis eum intueatur hoc modo, moritur hic Basiliscus, nec jam occidit eum gloria, sed occiditur magis, & occidit ei quomodo in pulverem versa, imò redacta in nihilum. *Lud. Gran. in loc. com. sor. sol.* *S. Bern. in Ps. qui hab. S.14.*

IV. Quartum est, ut sapienter cognoscat, quæ sit vera gloria, & quomodo acquirenda; ea scilicet, de qua S. Paulus locutus est, dum dixit: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Quid autem sit in Domino gloriari, clarè insinuat alibi, dum ait: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ, quòd in simplicitate & sinceritate DEI, & non in sapientia carnali, sed in gratia DEI conversati sumus in hoc mundo. Hoc enim est, quod ipse DEUS per Jeremiam dixit: In hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nôsse me. Sapienter ergo S. Bernardus concludit: Virtus mater gloriæ est; sola enim est, cui gloria jure debetur. Quæ autem est sine virtute gloria, profectò indebitè venit, properè affectatur, periculosè captatur. *1. Cor. 1. v. 31.* *2. Cor. 1. v. 12.* *Jer. 9. v. 24.* *S. Bern. in serm.*

## §. XII.

## CONCEPTUS PRÆDICABILES.

I. EX occasione thematis: *Non efficiamur inanis gloriæ cupidi*: Ostendi potest, quàm verè laus & gloria humana, inanis vocetur, quia vacua est, & caret omni fructu, nam 1. Nihil utilitatis affert *bonis temporalibus*: Quia licet pauperem toto die laudes & prædices, nec obolo ditior inde efficitur. *Gal. 5. v. 26.*

2. Non

2. Non *corpori*: quia etsi quis sanissimus & pulcherrimus prædicetur, si tamen revera talis non sit, irrisio potiùs hæc prædicatio, quàm vera laus censebitur. 3. Non *animo*: quia non est hic doctior aut sanctior, si laudatur: nec vilior, si vituperatur; sed talis est, qualis est virtus ejus. 4. Non in *gratia & meritis*: quia, hæc non nisi ex operibus virtuosis generantur. Concludetur ergo concio illis S. David verbis: Filii hominum, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? *Ps. 4. v. 4.*

*Matth. 6. v. 1.* II. Ex occasione thematis: *Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus*: possunt explicari damna, quæ oriuntur ex hoc vitio inanis gloriæ. Quòd nempe 1. exerceat, & frangat corpus laboribus; & ut sic Latroni comparari queat, qui associans se viatori, & amicum simulans, inopinatò vitam adimit. 2. Quòd spoliet meritis & præmio; & ut sic Piratæ comparetur, qui naves mercibus onustas ex insidiis aggreditur, & spoliat. 3. Quòd suppliciis gravibus subjiciat, & ut sic Proditori comparetur, qui simulans se amicum, Hostibus tradit, gravibus suppliciis aut tormentis excruciandum. Vide Rodriq. p. 1. tr. 3. c. 3.

*If. 59. v. 5.* III. Ex occasione thematis: *Telas araneæ texuerunt*: possunt vanæ Gloriæ cupidi araneis comparari. 1. Propter laboris fervorem & constantiam, ubi fusiùs enarrari possunt gravissimi labores, & maximè ardua facta propter vanam gloriam suscepti. 2. Propter prædæ spectatæ æqualitatem: quia scilicet & ipsi nihil aliud, quàm muscas, id est, tenuem, inquietam, impudentem (id est, omnia conspurcantem) inanem gloriam venantur. 3. Propter similem exitum laboris: quia scilicet & horum telæ subitò per ventum adversæ fortunæ aut inconstantiæ humanæ dissipantur, id est, optato successu destituuntur, uti plurimorum exemplis demonstrari potest.

*Eccl. 34. v. 2.* IV. Ex occasione thematis: *Quasi qui apprehendit umbram, & persequitur ventum, sic & qui attendit ad visa mendacia*: potest mundana gloria umbræ comparari. 1. Quia sicut umbra, quantumcunque corpus aut pulchrum, aut aliis qualitatibus & ornamentis affectum est semper nigra, & nihil, id est, carentia lucis est; ita omnis gloria & laus mundana, ex quacumque demum causa oriatur, obscura & vana est, quia nihil utilitatis confert homini. 2. Quia sicut umbra frigida est, ideóque homines & animalia æstu solis accensa passim ad se trahit; ita multò magis gloria mundana frigida est, seu calore caritatis divinæ destituta, ad quam proin Homines æstu concupiscentiæ inflammati undique confugiunt, & levamen quærunt. 3. *Iac. 4. v. 14.* Quia sicut umbra est vapor ad modicum parens, & tota à solis illuminantis radiis pendet; ita cùm & gloria nihil aliud sit, quàm aliena de nobis opinio & æstimatio, non potest diu stabilis durare, sed quovis ferè momento accedit, & recedit. 4. Quia sicut umbra hominem quidem repræsentat, sed tam imperfectè & obscurè, ut, quis, vel qualis sit, dignosci nequeat; sic gloria, licet aliquo modo hominem manifestet aliis, & visibilem faciat, revera tamen ex ea dognosci non potest, quis & qualis homo coram DEO, & in seipso. 5. Quia sicut umbra fugientem sequitur, sequentem fugit; ita hunc ipsum gloriæ mundanæ genium esse, tum quotidiana experientia, tum commune hominum judicium ostendit.

## §. XIII.

## MISCELLANEA.

### *Qualitas.*

I. Pulchrè Seniores nostri naturam morbi hujus in modum cepæ, bulborúmque describunt, quæ uno decorticata tegmine, alio rursus inveniuntur involuta, totiésque repeniuntur obtecta, quoties fuerint exspoliata. *Cassianus. l. 11. inst. c. 5.*

II. Vires & efficaciam gloriæ non malè descripsit Ovidius dicens:

Excitat auditor studium, laudatáque virtus *Ovid. l. 4. de ponto eleg. 2.*
Crescit, & immensum gloria calcar habet.

III. Et alibi:

Denique non parvas animo dat gloria vires, *Ovid. l. 5. trist. 15. eleg.*
Et facunda facit pectora Laudis amor.

IV. Ardua per præceps gloria vadit iter. *Id. l. 4. trist. eleg. 3.*

V. Propertius quoque idipsum confirmans canit:

Magnû iter ascendo, sed dat mihi gloria vires, *Propert. l. 4. el. 11.*
Non juvat ex facili lecta corona jugo.

VI. Trahimur omnes laudis studio, inquit Cicero, & optimus quisque maximè gloriâ ducitur. Ipsi illi Philosophi etiam in illis libellis, quos de contemnenda gloria scribunt, nomen suum inscribunt: in quo prædicationem & nobilitatem despiciunt, prædicari se ac nominari volunt. *Cicero pro Achia Poeta.*

VII. Duplex est Gloria juxta Senecam una, adumbrata, & ex populari rumore progenita, propagatáque, quæ nec judicio provenit, nec firma perdurat: quam veluti vitium Sapiens minimè expetit. Altera vera & solida ac durabilis, quæ ex consensu bonorum nascitur, sicut enim consuetudo sermonis est consensus eruditorum, ut Quintilianus ait, sic consentiens laus bonorum gloria appellatur, quam D. Augustinus dixit, esse opinionem hominum bene de nobis judicantium; hæc autem bonis viris non est contemnenda, cùm sapiens non gloriâ, sed conscientiâ rectè factorum virtutem metiatur. *Seneca in l. 18. epist.*

VIII. Democritus dicere solebat: Oratio operis est umbra, significans, laudem ex factis, non aliis qualitatibus nasci. *Laërtius l. 9. c. 7.*

IX. Socrates hanc viam compendiariam ad gloriam dicebat, si quisque id ageret, ut, qualis haberi vult, talis sit. *Cic. l. 2. Offic.*

X. Antiqui vanam gloriam per Pavonem repræsentabant, quia hic pennas suas tunc potissimùm explicat, & ostentat, cùm plurimos ad spectandum convenisse advertit. *Langius in Polyanth. f. 481.*

XI. Alii per bullam expresserunt, quæ inflata vix comparet, & iterum evanescit. *Ibid.*

XII. Plato dicebat, vitium inanis gloriæ esse vestem, quæ omnium ultimò exuitur. Cui con- *Lancic. opusc. 9 n. 165.*

consentiunt, teste Lancicio, Sancti Patres asserentes, esse originæ primum, & conflictu ultimum.

XIII. Plinius ait, olim malum punicam & vitem sine foliis repertas, stirpe fructum tulisse, non palmite & ramis quod idẽ viri boni faciunt, non amantes folia laudis & gloriæ. *Plinius l. 17. hist. nat. c. 25.*

XIV. Idem Plinius narrat, ad extremos fines Indiæ gentem Astomorum degere sine ore, corpore toto hirtam, vestiri frondium lanugine, halitu tantùm viventem, & odore, quem naribus trahunt. His similes sunt inanis gloriæ amantes; os enim non habent ad DEUM & alios laudandos, vestibus virtutum carent, foliis tantùm apparentis virtutis ornantur, & aurâ vanæ gloriæ vivunt. *Idem. l. 7. c. 2.*

XV. Tisandri filios, Hippoclides cùm Agaristam Clisthenis Filiam ambiret, ideòque omnẽ artem, quâ excellebat, in saltatione adhiberet, Pater Agaristæ hâc gesticulatione offensus eidem dixit: Perdidisti conjugem saltando, ô Hippoclida. Idem plerumque evenit iis, qui hominũ laudes venantur, ut, dum placere maximè volunt, displiceant. *Herodian. l. 6. ante fin.*

XVI. Epictetus nobile documentum quoad hanc materiam relinquens, sicut Sol, ajebat, preces aut blandimenta non exspectat, ut exoriatur, sed statim fulget, & ab omnibus salutatur; sic tu nec plausus exspecta, nec strepitus vel laudes, sed sponte bene facias, & pariter ac Sol carus eris. *Epictet. apud Stob. de mag.*

XVII. Sicut inter verum Maritum & adulterum hoc discrimen est, quòd ille bonum prolis, hic solam voluptatem quærit; ita inter veros DEI & falsos amatores pariter hæc differentia est, quòd illi solam DEI gloriam, hi hominum laudes quærant. *Rodrig. p. 1. tr. 3. c. 5.*

XVIII. Non frustra DEUS in Deuteronomio præcepit: Non tondebis primogenita ovium; nam, ut S. Gregorius explicat, tondere primogenita ovium est occultationis suæ tegmine humanis oculis inchoantia opera bona denudare. Cùm ergo vita nostra simplex quid atque innocuum inchoat, dignum est, ut secreti sui velamina non relinquat, ne nudum hoc humanis oculis quasi subducto vellere ostendat. *Deut. 15. v. 19.* *S. Greg. 8 mor. c. 43.*

XIX. S. Macarius percontanti cuidam, cur fame ab hora tertia in eremo pulsaretur, qui in Cœnobio integris sæpe hebdomadis refectionem sine difficultate contemsisset? respondit: Quia nullus hic est jejunii tui testis, qui te suis laudibus nutriat? ibi autem te digitus hominum & cenodoxiæ refectio saginabat. *Cassian. colloq. 5. c. 12.*

### *Fuga.*

XX. Ut fugiamus venenum inanis gloriæ, Aquilam imitari oportet, quæ, quia Parias serpens pullis ejus insidiatur, trahendo ad se ventũ, ut eũ veneno infectũ ad pullos remittat, eósque occidat; instinctu naturali lapidem (qui gagates vocatur, & venenum expellit) nido suo inædificat, & in illa parte, ex qua ventus spirat, collocat; Lapis autem hic Christum spiritualiter denotat, qui contra ventum inanis gloriæ cordi inædificandus est. *Plinius l. 10. c. 3. nat. hist.*

XXI. Animalia, quæ olim Ezechiel vidit, quatuor habebant alas, quorum duabus corpora tegebant, duas sursum erectas habebant; hæ significabant opera sursum tendentia; illæ timorem & humilitatem, quibus ea ab hominibus abscondunt. *Stapl. t. 3. in Dom. 3. post Epiph.*

XXII. Nec malè alius: *Iac. Bilius anthol. Sacr.*

Esse DEO quisquis cupit ergo fulgidus, ipsi
Hæreat, & mundi spernat inane decus.
Nam quò mortales quisquã est magẽ fulgidus, inter,
Hoc minùs est magno fulgidus ipse DEO.

XXIII. Consentit Boëtius sic canens: *Boet. l. 3. metro. 7.*

Quicunque solam mente præcipiti petit,
Summámque credit gloriam.
Latè patentes ætheris cernat plagas,
Arctúmque terrarum situm.
Brevem replere non valentis ambitum,
Pudebit aucti nominis.

XXIV. Sit tibi tam triste laudari à turpibus, inquit Seneca, quàm si lauderis ob turpia. Lætior esto, quoties displices malis, & malorum de te æstimationes pravas veram tibi laudationem adscribe. Sectator epularum non de bene vivente, sed de bene pascente laudabilem profert sententiam. *Seneca.*

XXV. Thymiama juxta ritum legis confectum DEUS sub interminatione mortis in usus suos converti vetuit; quid autem aliud gloria, nisi honor soli DEO reservatus? *Exod. 30. v. 38.*

### *Damnum.*

XXVI. Puellæ Filiæ Loth in monte patrem inebriantes de eo conceperunt; Super quo Origenes ita ait: Observare debes, ne fortè, cùm effugeris flammas sæculi ad instar Loth, & ad scientiæ altitudinem velut ad quædam cacumina montis perveneris, tibi insidientur duæ Filiæ tuæ à te non discedunt, sed sequuntur etiam cùm ascenderis ad montem, nempe vana gloria, & major soror ejus superbia. Quæ idcirco filiæ dicuntur, quia non nobis extrinsecus veniunt, sed ex ipsis operibus perfectionis nascuntur. Vide ergo, ne de his generes Filios, quia qui de his nati fuerint, non ingrediuntur Ecclesiam DEI. *Origenes apud Gran. loc. com. f. 602.*

XXVII. Cùm olim Accipiter insultisset Trochilo, quòd muscis tantùm & vermiculis viveret, respondit Trochilus, non invidere se ipsi delicatam mensam perpetuo bello paratam, cùm tamen ipse viliore suâ mensâ cùm pace fruatur; timendum quoque, ne mensa illi sua sat caro constet pretio. Et ita contigit, nam paulò post accipiter columbis insidiatus à rustico capitur, & ex turri in terrorem suspensus est, quo viso trochilus dixit: Quàm longè, ô Frater, vitæ tuæ consulnus fuisset, unà mecum vermiculos in cibos legere, quàm alienas aves insectari. Applica ad gloriæ vanæ venatores. *Drex in amussi l. 2. c. 4. §. 6.*

XXVIII. Agasides ab Halicarnasseis in exilium relegatus est, quòd tripodem, quem ludis obtinuerat, DEO non dedicâsset, sed domum retulisset. Quid ille, qui vitam suam DEO non dedicat? *Herod. l. 1.*

§. XIV.

## §. XIV.

## AXIOMATA.

I. UBi multa Laus, ibi multa fraus. *Buchlerus*
Vil Lob/ wenig Prob.

II. Nec te collaudes, nec te culpaveris ipse,
Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.
Wer sich selbst lobt/ und schendet vil/
Für einen Narrn g'acht werden will/

III. Qui sese laudat, laudis se munere fraudat,
Laus vera alterius semper ab ore venit.
Der sich selbst rühmet offt und vil/
Verderbt sein eignes Lob und spil..

IV. Laus propria sordet.
Eignes Lob stinckt/
Und häßlich hinckt.

V. Est nimiùm rarus, qui laudis non sit avarus
Ein selzams Wildbrett wird geschätzt/
Der nit von Lobs Begird wird g'hetzt.

*Drex. Æ:uss. l. 2. c. 4. §. 4.* VI. Gloria ambitio, virorum morbus est felicium.

*ibid. §. 5.* VII. Gloria umbra virtutis: etiam invitos comitatur.
Der Tugend Schatten ist die Ehr/
Sie folgt ihr allzeit hinden her.

*Anonymus* VIII. Gloria spernentem fovet, aversatur amantem.
Wann du nachey̆lst flieht dich die Ehr/.
Wann du sie fliechst bleibt sie dir mehr.

*Drex. l. c.* IX. Faciliùs est, gloriam omnino fugere, quàm ritè quærere.
Die Glory leichter wird verflucht/
Alß auff die rechte Weiß gesucht/

*ibid.* X. Vitam agit leporis, quicunque vanus auceps gloriæ est.
Ein Forchtsams Hasen-Leben führt/
Der nach Lob und Ehr tragt Begird.

XI. Gloriæ umbra est parva magnis, pusillis maxima. *ibid. ex monost. trochaic.*
Je grösser du dir selbsten bist/
Je kleiner deß Lobs Schatten ist.

XII. Compendio assequi vis gloriam? contemnito.
Zu Ehr der kürtzist Weeg wird g'acht/
Wann man von Hertzen sie veracht.

## §. XV.

## AUTHORES.

I. JEremias Drexelius in Amussi l. c. 4. & 5.
II. Joannes Busæus in Panario V. Inanis gloria.
III. Ludovicus Granatensis in locis communibus fol. 597.
IV. Bernardinus Rosignolius l. 2. de disc. c. 24.
V. Alphonsus Rodriquez. p. 1. tr. 3. c. 2. & seqq.
VI. Eusebius Nierenbergius de ador. in spir. & verit. l. 2. c. 21.
VII. Joannes Cassianus l. 11. de Instit.
VIII. Jacobus Alvar. de extinct. vitiorum to. 2. l. 1. p. 2. c. 15. & 16.
IX. Hadrianus Lyræi in apophtegmatis S. Ignatij l. 3. c. 11.
X. Matthias Faber conc. 3. in Fer. cin. & in Auctario them. 5. in Dom. 3. post. Epiph. & th. 2. in Dom. 23. post Pent.
XI. Thomas Stapletonus textu 2. in Dom. 3. Adv. & text. 3. post Epiph. & text. 6. in Dom. 4. Quadr. & tex. 5. Dom. Pass. & text. 1. Dom. 1. post Pent. & text. 7. Dom. 7. post Pent. & text. 7. Dom. 10. post Pentec.
XII. Josephus Langius in Polianthæa. Verbo. Gloria.

# Ad Majorem DEI Gloriam.

